THE LIBRARY
THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
TORONTO

PRESENTED BY

La République FranCaise

VITAE

PAPARUM AVENIONENSIUM

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/vitaepaparumave03balu

VITAE
PAPARUM AVENIONENSIUM

HOC EST

HISTORIA
PONTIFICUM ROMANORUM

QUI IN GALLIA SEDERUNT

AB ANNO CHRISTI MCCCV USQUE AD ANNUM MCCCXCIV

Stephanus BALUZIUS

TUTELENSIS

MAGNAM PARTEM NUNC PRIMUM EDIDIT, RELIQUAM EMENDAVIT
AD VETERA EXEMPLARIA
NOTAS ADJECIT ET COLLECTIONEM ACTORUM VETERUM

NOUVELLE ÉDITION

REVUE D'APRÈS LES MANUSCRITS ET COMPLÉTÉE DE NOTES CRITIQUES

PAR

G. MOLLAT

Professeur à l'Université de Strasbourg.

TOME III

PARIS

LIBRAIRIE LETOUZEY ET ANÉ

87, BOULEVARD RASPAIL, 87

1921

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY
OCT 26 1940
11699

NIHIL OBSTAT

Parisiis, die 23 januarii 1921.

Censor deputatus,

F. Mourret.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 31 januarii 1921.

E. Lapalme,

v. g.

PRÉFACE

DE LA

SECONDE ÉDITION

Baluze, comme on sait, fit suivre de notes abondantes et précieuses le texte des chroniques, auxquelles il emprunta les *Vitae paparum Avenionensium*. Ces notes étant, en partie, basées sur les nombreux documents qu'il publia au tome second de son célèbre ouvrage, il m'a paru plus logique d'en entreprendre la réimpression en dernier lieu.

Malgré l'aimable concours que m'ont prêté MM. Ch.-V. Langlois, directeur des Archives nationales, Sœhnée, Coulon, Mirot, je n'ai pas réussi à découvrir toutes les pièces imprimées par Baluze, qui furent puisées dans les archives du roi et de la Chambre des Comptes. Bon nombre, d'ailleurs, ont péri dans l'incendie de la Chambre des Comptes, survenu dans la nuit du 26 au 27 octobre 1737. D'autres, qui existaient dans des dépôts d'archives de province, sont perdues ou sont demeurées introuvables. Par suite, le recueil de Baluze acquiert une grande importance, d'autant plus que ses éditions de textes sont généralement excellentes.

Le grand érudit a cependant eu le tort de restituer souvent des textes, sans prévenir le lecteur, suivant en cela l'exemple de ses contemporains. On peut encore lui adresser un reproche plus grave : c'est de n'avoir pas su dater la correspondance de Clément V et de Philippe le Bel. Victime d'une erreur qui lui est commune avec la plupart des érudits du XVIIe et du XVIIIe siècle, Baluze compta les années du pontificat de Clément V à partir de l'élection, c'est-à-dire depuis le 5 juin 1305, et non à partir du couronnement du pape, qui eut lieu, à Lyon, le 14 novembre suivant. D'autres fois, Baluze a été trompé par les copies qu'on lui adressait ou les formulaires dont il disposait, comme le fait s'est produit pour certaines lettres de Clément VI.

Ainsi avertis, les érudits qui consulteront la présente édition des *Vitae paparum Avenionensium* ne s'étonneront pas des différences notables qui existent entre cette seconde édition et la première et qui consistent surtout dans la datation des documents.

Paris, le 1er juin 1914.

COLLECTIO ACTORUM VETERUM

QUORUM FACTA EST MENTIO

IN NOTIS

STEPHANI BALUZII TUTELENSIS

AD VITAS PAPARUM AVENIONENSIUM

I

[5] ALEXANDRI PAPAE IV EPISTOLA[1] AD CANCELLARIUM PARISIENSEM, QUA EI GRATIAS AGIT OB CONCESSAM SANCTO THOMAE AQUINATI LICENTIAM LEGENDI SIVE DOCENDI THEOLOGIAM IN ACADEMIA PARISIENSI. — Le Latran, 3 mars 1256 *(a)*.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio (b) cancellario Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem (c). Delectabile nobis est auditu percipere quod te in hiis promptum reddis et vigilem, que pietatem continent vel sapiunt honestatem, prout ex eo patenter agnoscitur quod dilecto filio fratri Thome de Aquino, ordinis Predicatorum, viro utique nobilitate generis et morum honestate conspicuo ac thesaurum litteralis *(d)* scientie per Dei gratiam assecuto, dedisti licentiam in theologia *(e)* facultate docendi, priusquam illuc nostre littere *(f)* pervenirent, quas tibi super hoc specialiter [6] mittebamus. Quia vero condecens est ut hujusmodi negotium a te laudabiliter inchoatum festinum *(g)* habeat exitum et felicem, devotionem tuam rogandam duximus et monendam per apostolica scripta tibi *(h)* mandantes quatinus

a) Anno 1255, *Bal.* — *b)* Alexander... filio, *omis par Bal.* — *c)* salutem... benedictionem, *omis par Bal.* — *d)* literalis, *Bal.* — *e)* theologica, *Bal.* — *f)* literae, *Bal.* — *g)* festivum, *Bal.* — *h)* apostolica tibi scripta, *Bal.*

---

1. Archives du Vatican, Armario XXXI, t. 72, ep. 2340; Rome, Archives de Saint-Pierre, *C 117*, fol. 227 r°; Paris, Bibliothèque nationale, ms. latin *4184* (ancien Colbert *128*); Denifle et Châtelain, *Chartularium Universitatis Parisiensis*, Paris, 1889, t. I, n. 270, p. 307.

eumdem fratrem in predicta facultate cito facias regiminis habere principium, et dilectos filios.. priorem et conventum Parisienses, ejusdem ordinis, habeas pro divina et nostra reverentia commendatos, eosque favoris opportuni presidio prosequaris; maxime cum ipsi, pro turbatione studii per quosdam iniquitatis filios nequiter procurata, in multa vexatione hactenus extiterant *(a)* et existant, Parisiensi ecclesia de ipsorum laboribus, sicut nosti, utilitatem non modicam consequente. Preces autem et mandatum nostrum sic adimpleat tua sinceritas quod nos, qui letitiam de predictorum fratrum prosperitate concepimus *(b)*, de tua benivolentia gratiosa circa [7] ipsos exhibita speciales tibi gratias referamus. Datum Laterani v nonas martii, pontificatus nostri anno secundo *(c)*.

II

Fragmentum[1] ex processu facto pro canonizatione sancti Thomae de Aquino, quod deest in tomo primo martii Bollandiani pag. 714, num. 84, linea 20, post illa verba « quem dixerat ipse Dei electus. »

Item dixit dictus testis quod cum ipse legisset aliquibus annis in scriptis dicti fratris Thome, occurrit sibi quadam vice memorie se legisse in eis quod consuetudo populi christiani pro lege servanda est. Et dum hec verba idem testis studiose perquireret per plures dies, cum essent sibi oportuna, nullo modo potuit illa invenire. Finaliter tamen idem testis genuflexit et rogavit dictum fratrem Thomam quod revelaret sibi. Qui statim aperto libro secundo partis secunde sine revolutione cartarum invenit ipsa verba in tractatu de jejunio. Et dixit idem testis quod semper in omnibus necessitatibus suis invocavit eumdem fratrem Thomam, et continue invenit ipsum propitium sibi secundum fidem et devotionem ejus.

Item dixit idem testis quod isti sunt libri quos dedit frater Thomas de Aquino predictus.

a) extiterint, *Bal.* — *b)* concipimus, *Bal.* — *c)* Datum... secundo, *omis par Bal.*

---

1. D'après le ms. latin *3112* (ancien Colbert *1523*), fol. 47 v°-49 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

Primo contra inpugnantes Dei cultum et religionem, contra magistros Parisienses, tempore Alexandri pape quarti.

De operationibus occultis ad quemdam militem ultramontanum.

Item in quibus potest homo licite uti judicio astrorum, ad eumdem.

De principiis nature, ad fratrem Silvestrum.

De regno, ad regnum *(a)* Cipri.

De substantiis separatis, ad fratrem Raynaldum de Piperno.

De rationibus fidei, ad cantorem Antiochenum.

De perfectione vite spiritualis, contra magistrum Geraldum.

[8] Contra doctrinam retrahentium a religione, contra Geraldos.

De sortibus, ad dominum Jacobum de Tolongo.

De forma penitentie absolutionis sacramentalis, ad magistrum ordinis.

Contra errores Grecorum, ad Urbanum papam.

Declaratio triginta sex questionum, ad lectorem Venetum *(b)*.

De regimine Judeorum, ad ducissam Brambantie.

Declaratio quadraginta trium questionum, ad magistrum ordinis.

Declaratio sex questionum, ad lectorem Bisuntinum.

De ente et ex[ist]entia, ad fratres socios.

De mistione elimentorum, ad magistrum Philippum de Castro Celi.

De motu ordinis, ad eumdem.

De unitate intellectus, contra Averroystas Parisienses.

De eternitate mundi, contra murmurantes.

Expositio circa primam decretalem de fide catholica et summa trinitate et secundum *Dampnamus*. [Ad] archidiaconum Tudertinensem.

De articulis fidei et sacramentis Ecclesie, ad archiepiscopum Panormitanensem.

Brevis compilatio theologie, ad fratrem Raynaldum de Piperno.

Supradicta omnia vocantur opuscula.

Tot etiam alia opera eddidit, quorum exemplaria sunt Parisius, videlicet :

Quatuor libros super sententiis.

Tres partes summe.

a) lege regem. — *b) ms.*, lectionem venerum *corrigé postérieurement en* lectorem Venetum.

De questionibus disputatis partes tres. Unam disputavit Parisius, scilicet de veritate, aliam in Italia, scilicet de potentia Dei et ultra, aliam secunda vice *(a)* Parisius, scilicet de virtutibus et ultra.

Undecim quolibet disputati.

Opus contra gentiles, quod continet quatuor libros.

Glosas super quatuor evangelia.

Expositionem super quatuor evangelia ad litteram.

Super epistolam ad Romanos.

[9] Super epistolam primam ad Corinthios.

Super Ysayam.

Super Jeremiam.

Super Trenos.

Super Cantica.

Super Dionisium de divinis nominibus.

Super Boetium de ebdomadibus *(b)*.

Super Boetium de Trinitate.

De fide et spe, ad fratrem Raynaldum de Piperno.

Super primum periermenias *(c)*.

Super librum posteriorum.

Super librum phisicorum.

Super libro de celo tres.

Super primum librum de generatione.

Super duos libros methaurorum.

Super secundum et tertium de anima.

Super librum de sensu et sensato.

Super librum de memoria et reminiscentia.

Super librum de causis.

Super methafisicam.

Super librum ethicorum.

Super politicam libros quatuor.

Si autem sibi alia ascribantur, non ipse scripsit et notavit, sed alii recollegerunt *(d)* post eum legentem vel predicantem, puta lecturam super Paulum ab XI° capitulo prime epistole ad Corinthios usque ad finem; quam recollegit frater Raynaldus de Piperno, socius ejus.

Item lecturam super Johannem, qua non invenitur melior; quam recollegit idem frater Raynaldus. Sed correxit eam frater Thomas.

a) item, *Bal.* — *b)* eddomatibus, *ms.* — *c)* *ms.*, per Jeremiam, *corrigé postérieurement en* periermenias. — *d)* recolligerunt, *ms.*

Item lecturam super quatuor nocturnos psalterii. Idem.

Collectiones de Pater noster et Credo in Deum, dominicales aliquas et festivas et quadragesimales.

Collectiones de decem preceptis. Frater Petrus de Andria.

Lecturam super Mathiam. Idem frater Petrus. Quidam scolaris Parisiensis. Que defectiva est.

Lecturam super primum de anima. Frater Raynaldus de Piperno.

Sequuntur in veteri codice quedam miracula.

III

[10] Determinatio[1] magistrorum theologicae facultatis in Academia Parisiensi circa confessionem peccatorum. — Novembre 1282[2].

Universis presentes litteras inspecturis R[anulphus], divina miseratione Parisiensis episcopus, magister Odo de Sancto Dionysio, canonicus Parisiensis et decanus theologice facultatis, frater Gregorius, prior fratrum Vallis scolarium Parisiensium, frater Johannes de Allodio ordinis fratrum Predicatorum, quondam cancellarius Parisiensis, magister Guillermus de Monciaco, canonicus Parisiensis, magister P[etrus] de Jovigniaco *(a)*, canonicus Parisiensis, magister Albertus ordinis Cluniacensis, prior de Monte Desiderii, magister Adenulphus prepositus Sancti Audomari, magister Nicholaus de Pressorio, archidiaconus in ecclesia Bajocensi, frater Droco Pruvinensis minister provincialis ordinis fratrum minorum in Francia, frater Johannes de Turno, prior fratrum Predicatorum Parisiensium, frater Johannes de Sancto Benedicto ordinis fratrum *(b)* Predicatorum, frater Symon de Lans ordinis fratrum Minorum, magister Adam de Golin *(c)*, archidiaconus Laudonie *(d)*, frater Hugo de Biliomo ordinis fratrum Predicatorum, frater Arlotus de Prato ordinis fratrum Minorum, in sacra theologia doctores, nos notum facimus quod cum nobis fuerint casus propositi, *utrum*

a) Pigniaco, *Bal.* — *b) omis par Bal.* — *c)* Golni, *Bal.* — *d)* Londonie, *Bal.*

---

1. D'après le ms. latin *15899*, fol. 130 v° (Bibliothèque nationale de Paris). — 2. La décision des maîtres de la faculté de théologie de Paris n'est pas postérieure au 29 novembre, car l'official de Paris la vidima ce même jour; cf. Denifle et Châtelain, *Chartularium universitatis Parisiensis*, Paris, 1889, t. I, p. 596.

aliquis vere penitens et confessus et rite absolutus ab eo qui potest teneatur eadem peccata numero iterum confiteri, et utrum aliquis possit aut debeat prohibere aut per modum aliquem obligatorium impedire quominus possit eadem peccata vel alia alteri confiteri, respondimus et respondemus quantum ad primum quod vere penitens et confessus et rite absolutus ab eo qui potest, si penitentiam sibi prius injunctam *(a)* in memoria teneat, non tenetur eadem peccata numero iterum confiteri. Quantum ad secundum dicimus quod non [11] potest aut debet aliquis auditor confessionum prohibere confitentem, confessum, seu *(b)* confessurum quominus uni confessori confessus possit alteri confiteri eadem peccata numero vel alia introducta. Si qui autem dicunt aut dixerunt contrarium *(c)*, quantum in nobis est erroneum reputamus. Datum anno Domini MCC octuagesimo secundo, mense novembri *(d)*.

IV

PHILIPPI IV, REGIS FRANCORUM, EPISTOLA[1] AD NICOLAUM, PAPAM IV, DE NEGOTIO REGNI ARRAGONIAE. — Paris, 26 décembre 1288.

Sanctissimo patri in Domino Nicholao, Dei gratia sacrosancte romane et universalis Ecclesie summo pontifici, Philippus, eadem gratia Francorum rex, devota pedum oscula beatorum. Sanctitati vestre volumus esse notum quod nos dilectis et fidelibus clericis nostris magistris Johanni de Wassoignia, archidiacono Brugensi *(e)* in ecclesia Tornacensi, et Egidio Acelini, preposito Claromontensi, exhibitoribus presentium, quos ad vestram presentiam super hoc specialiter destinamus, committimus et tribuimus plenariam potestatem et speciale mandatum acceptandi, nomine nostro et pro nobis, decimam ecclesiasticorum proventuum regni nostri et quorumdam aliorum locorum, nobis a vestra sanctitate, ob prosecutionem negocii Arragonensis, ad certum tempus concedendam, sub illis condicionibus et modis quos apostolica sanctitas duxerit apponendos *(f)*, acceptandi etiam eodem nomine expresse ac dis-

a) injunctam prius, *Bal.* — *b)* vel, *Bal.* — *c)* contrarium aut dixerunt, *Bal.* — *d)* mense novembri, *omis par Bal.* — *e)* Burgensi, *doc.* — *f)* apponendum, *doc.*

---

1. D'après JJ^{B}, fol. 88 r° (Archives nationales).

tincte ipsas condiciones et modos apponendos, ut premittitur, et in eosdem modos et condiciones conveniendi nomine nostro, ratum et gratum habebimus quicquid per ipsos clericos nostros gestum fuerit in premissis. In cujus rei testimonium presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius, in crastino nativitatis Domini, anno ejusdem millesimo CCLXXXVIIJ.

V

[12] Nicolai papae IV epistola[1] ad Jacobum, regem Majoricarum, in causa Templariorum domus Ruscinonensis. — Rome, 25 janvier 1290.

Nicholaus, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio J[acobo], regi Majoricarum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Credentes te firmiter ad illum habere respectum in cujus potentia sunt reges, et regna et omnium potestates, quodque illi intendis totis viribus complacere, ad ea que sibi placent serenitatem tuam fiducialiter precibus invitamus. Sane pro parte dilectorum filiorum magistri et fratrum domus militie Templi Jerosolimitanensis fuit expositum coram nobis quod tu domum militie Templi de Ruscilione, Elnensis diocesis, ad instantiam carissimi in Christo filii nostri.. regis Francie illustris occupasti, et eam adhuc detines occupatam, eo pretextu quod dicta domus de commenda Arragonie ipsius ordinis existebat. Quare iidem magister et fratres super hoc ad apostolice sedis providentiam recurrerunt. Nos itaque prefatis magistro et fratribus super hoc benigno compatientes affectu, serenitatem regiam rogamus et hortamur attente quatinus si dicti magister et fratres domus Templi Jerosolimitanensis, prout eis expresse mandavimus, dictam domum talibus gubernandam commiserint qui romane Ecclesie ac regalis excellentie fideles existant, et de quibus non possit sinistri aliquid suspicari, eam cum fructibus ex ea perceptis pro nostra et apostolice sedis reverentia magistro et fratribus eisdem restituas, ipsosque illam permittas pacifice possidere, preces nostras in hac parte taliter impleturus quod merearis exinde premium apud Deum,

1. Ex authentico, *Bal.;* pièce non retrouvée; non enregistrée; cf. E. Langlois, *Les registres de Nicolas IV*, t. II, n. 7533.

nosque magnificentiam tuam possimus exinde dignis in Domino laudibus merito commendare. Datum Rome, apud S. Mariam majorem, VIIJ kal. febr., pontificatus nostri anno secundo.

VI

[13] EJUSDEM NICOLAI IV EPISTOLA[1] AD BERTRANDUM DE GOTHO EPISCOPUM AGENNENSEM, QUA EI CONCEDIT FACULTATEM CONDENDI TESTAMENTUM. — Rome, Sainte-Marie Majeure, 3 mars 1293.

Nicholaus, episcopus, servus servorum Dei, venera[bi]li fratri Bertrando, episcopo Agennensi, salutem et apostolicam benedictionem. Quia presentis vite conditio statum habet instabilem, et ea que visibilem habent essentiam, tendunt visibiliter ad non esse *(a)*, hoc salubri meditatione premeditans, diem [tue] peregrinationis extremum dispositione testamentaria desideras prevenire. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, ut de bonis tuis undecumque, non per ecclesiam seu ecclesias, alias tamen licite acquisitis, que ad te pertinere omnimode dinoscuntur, libere testari valeas, ac de bonis mobilibus ecclesiasticis tue dispensationi seu administrationi commissis et que non fuerint altaris seu altarium ecclesiarum tibi commissarum ministerio seu alicui speciali *(b)* earumdem ecclesiarum divino cultui vel usui deputata, necnon et quibuscumque bonis mobilibus a te per ecclesiam seu ecclesias licite acquisitis pro decentibus et honestis expensis tui funeris ac pro remuneratione illorum qui tibi viventi serviverint *(c)*, sive sint consanguinei sive alii, juxta servitii meritum testari ac disponere possis et alias, prius tue ecclesie ere alieno deducto, ut ipsa ecclesia non maneat debitis obligata, de ipsis in pios usus ac licitos convertendis fraternitati tue plenam et liberam auctoritate presentium concedimus facultatem. Volumus tamen ut in eorumdem ecclesiasticorum dispositione bonorum, juxta quantitatem residui, erga ecclesias a quibus eadem percepisti te liberalem exhibeas, prout conscientia tibi

a) cum, *ms.* — *b)* episcopali, *ms.* — *c)* servierint, *Bal.*

---

1. D'après le ms. latin *9134* (ancien Colbert *47*), fol. 33 v° (Bibliothèque nationale de Paris); cf. Langlois, *op. cit.*, n. 6928.

dictaverit et saluti anime tue videris expedire. Datum Rome apud Sanctam Mariam Majorem, IIJ nonas martii, pontificatus nostri anno quinto.

VII

[14] Cujusdam epistola[1] scripta ad papam Benedictum XI adversus Columnenses. — 1304?

Pater sancte, extremitatem super restitutione quondam cardinalium de Columpna depositorum modo non prosequor, quia nec vobis placet. Set si humiliter alte et basse super eorum culpis et processibus habitis contra eos offerrent se vestris et apostolice sedis parituros mandatis, forte pium esset aliquem locum ecclesiasticum honestum vel etiam secularem deputare eis ad manendum cum temperata familia laycorum vel clericorum, in quo usque ad beneplacitum dicte sedis morantibus, et juxta formam Ecclesie ab excommunicationis et suspensionis et interdicti sententiis beneficio eis absolutionis impenso, de multa misericordia ordinaretur quod eis necessarie ministrarentur expense quousque de ipsis sedes eadem aliud ordinaret.

De Stephano expectandum videtur qualiter offeret se ad mandata venturum et dicte sedis pariturum beneplacitis et mandatis; presertim quia creditur ad multa mala in istis partibus perpetrata dominum regem Francie excitasse. Et utinam non sit redditum eis ad malum et plurimum fraudulenter.

Jacobus dictus Sciarra ex processibus habitis contra eum et suos complices est gravissimis penis constrictus per diversos processus diversis temporibus promulgatos et repetitos et de novo factos, et propter adauctam malitiam et scisma, quia postquam juravit domini B[onifacii] predecessoris stare mandatis, ac obtinuit absolutionis beneficium in Reate, et depositi paruerunt et resignaverunt sigilla quibus cardinalatus tempore utebantur, et ex ordinatione ejusdem predecessoris vestri iverunt Tyburim, et steterunt inibi cum subventione facta eis per predecessorem eumdem, postmodum inlicentiati exinde recesserunt.

[15] Et notandum, Pater sancte, quod si considerarentur conti-

1. D'après le ms. latin *4191* (ancien Colbert *764*), fol. 19 r° et v° (Bibliothèque nationale de Paris).

nuata et adaucta facinora, scismata et rebelliones, et scandala, ac alia mala per eos disseminata per orbem et cruces predicate *(a)* contra eos, remissiones date sollemniter, et contumacia eorum in recessu de Tybure et in non comparendo in termino assignato, in festo videlicet beati Martini, non videbuntur subiti, injusti, et repentini processus quos in parte summarie continet illa constitutio de scismaticis *Ad succidendos.*

Item esto quod nullus hactenus per istam Ecclesiam contra dictum Sciarram factus fuisset, ipse Sciarra ligatus est penis contentis in illa constitutione de penis que incipit : *Felicis recordationis Honorius.* Unde sacrilegus et reus lese magestatis merito est consendus, et multa capitalia crimina commisit ex quibus secundum legem esset capite puniendus, capiendo non solum cardinalem, set romanum pontificem, et fuit socius capientium, ipsamque ratam habuit captionem, et in talibus dedit auxilium, consilium et favorem, et receptavit facientes *(b)* et scienter defendit, et fuit de principalioribus in tam nefaria factione et tam [h]orrendis actibus, ex quibus sic est per mundum vittuperata romana Ecclesia et vilificata.

Cum igitur ipse non solum captioni domini cardinalis, sed predecessoris vestri, ymmo et morti ipsius manifestam dederit occasionem et causam et derrobationi thesauri, que emendari non possent, absonum videtur, et nimis periculosum exemplum daretur posteris et universo mundo quod talis primo reciperet gratiam remissionis penarum quam in ipso aliqua signa penitentie apparerent, et ostenderetur digito per urbem et circumpositam regionem ubi commisit tanta crimina, et diceretur : *Ecce quomodo vadit et qualem recepit gratiam qui fuit tantorum flagitiorum patrator.*

Nec est tradendum oblivioni quod ipse in vita predecessoris vestri, qui super [16] vixit post captionem per mensem et ultra, nunquam veniam vel absolutionem seu aliquam gratiam postulavit, ymmo in rebellione, et cum Guillelmo et aliis sociis factionis perstitit, et ipsos secum habuit in urbe et extra urbem et depredatores thesauri in magnum scandalum et honorem fidelium et in gloriam perfidorum et hostium.

Descendo *(c)* igitur, Pater sancte, ad summum consilii, quantum ad presens tempus, quod faciatis ipsum Sciarram primo sufficienter

a) sententie... *au lieu de* cruces predicate, *Bal.* — *b)* facientem, *Bal.* — *c)* discendo, *Bal.*

et ydonee cavere quod inferende pene per apostolicam sedem parebit et auxiliante Domino penitentiam peraget injungendam, et quod per ecclesias principales Urbis et vicinorum locorum de quibus duxeritis injungendum incedet nudus coram populo, femoralia tantum habens, et ferulam ferens in manibus, cum qua per easdem ecclesias fustigetur, iturus postmodum ultra mare vel ad loca vicina terre ultramarine aut ad alia loca peregrinationum remota et extra Ytaliam, inibi acturus penitentiam per tres annos ad minus, nec exinde postmodum reversurus absque sedis apostolice licentia speciali. Ex tunc poterit sanctitas vestra de aliquibus penis contentis in predictis processibus et constitutione *Felicis recordationis* aliquam misericordiam facere, quam vos de consilio fratrum vestrorum *(a)*, considerata dicta penitentia triennali, et laudabilia ejus signa videbitis faciendam; sic tamen quod in Urbe, ejus territorio et districtu, et circumposita regione civilitatem, habitationem, incolatum non habeat, nec ejus hedificia valeant hedificari nec rehedificari de novo, nec aliquod immobile possit ibidem acquirere, vel habere aliquod officium vel honorem.

Item su[p]plico, Pater sancte, quod hujusmodi meum consilium non teneatis secretum, quia illud publicare dispono, quod fideliter do secundum meam conscientiam; et expecto inde premium, non sup[p]licium, divina faciente clementia; et puto posteris profuturum. Et si sanctitas vestra [17] dubitet in aliquo de premissis, paratus sum reddere rationem de tali consilio, quam michi Dominus ministrabit.

Item consului domino in quadam cedula quod mandaret restitui per Sciarram occupata circa partes istas.

Item quod contra posteros domini Bonifacii non audirentur conquerentes de ipsis, nisi primo ipsos restituerent de subtractis.

Breviter videtur michi quod reponere Columpnenses in Urbe et circumposita regione est ponere ignem et sanguinem inter fideles Ecclesie, qui exposuerunt eorum personas et bona pro ipsa Ecclesia, et Columpnenses eosdem, nec propter aliquam prohibitionem invicem se exponent inermes. Et si stipati omnes incederent, confideret prudentia Domini quid eveniret, quia parum timebit penam committendam in laycos, si de commissis transeat impunitus seu parum punitus.

a) omis par Bal.

VIII

Litterae[1] Karoli comitis Valesiae de pace tractanda cum rege Arragoniae. — Paris, 9 février 1295 (n. st.).

Karolus, filius regis Francie, Alanconie, Valesie et Andegavie comes, universis, ad quos presentes littere pervenerint, salutem. Notum facimus quod nos venerabilem patrem P[etrum] Aurelianensem episcopum, et religiosum virum J[ohannem] monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis abbatem, excellentissimi domini nostri Francie regis fideles consiliarios, presentium exhibitores, specialiter deputamus et constituimus nuncios et procuratores nostros speciales ad reddendum, restituendum et liberandum per ipsos vel per deputandos ab eis, vice nostra et pro nobis, nobili viro Jacobo de Aragonia, filio defuncti Petri quondam regis Aragonie, vel ejus certo mandato, pace inter nos et ipsum interveniente, et Ecclesia consentiente, quecumque per inclite recordationis karissimum progenitorem nostrum, karissimum dominum [18] et germanum nostrum Philippum, regem Francie, illustrem regem Majoricarum, nos aut alios quoscumque valitores nostros occupata fuerunt de regnis Aragonie, Valentie, comitatu Barchinone, terra Cathalonie et aliis terris pertinentibus ad predicta post donationem factam dicto genitori nostro, tam pro se quam pro heredibus suis, ab Ecclesia romana de regnis, comitatu et terris predictis, necnon prisionarios et captivos terre predicte per nos vel nostros detentos, cum bonis eorum, dantes eisdem nunciis et procuratoribus nostris, solique dicto episcopo, si forsitan omnes non concurrerint, et deputandis ad hoc ab ipsis duobus vel solo episcopo predicto plenariam potestatem et speciale mandatum in predictis omnibus et pertinentibus ad predicta, ratum et gratum habentes et in perpetuum habituri quicquid per ipsos nuntios et procuratores nostros vel solum episcopum predictum aut per deputandos ab eis, ut premissum est, super hiis deliberatum, restitutum, actum fuerit, sive gestum. Damus insuper, tenore presentium, in mandatis omnibus fidelibus ac subditis nostris, et amicos nostros requirimus et rogamus ut ipsi in predictis et ea contingentibus nunciis eisdem et deputandis ad hoc ab eis, secundum formam predictam, diligenter pareant et intendant. In cujus rei testimonium presentibus litteris

1. Ex authentico, *Bal.*; pièce non retrouvée.

nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius, die martis post festum purificationis beate Marie, anno Domini MCC nonagesimo quarto.

IX

Conditiones[1] pacis inite inter reges Arragoniae et Majoricarum. — 1295?

Actum est quod dominus Jacobus de Aragonia primo et principaliter restituet domino regi Majoricarum regnum Majoricarum et insulas cum ceteris omnibus immobilibus per eumdem Jacobum et suos occupatis de terris, villis [19] et possessionibus ipsius regis Majoricarum, tenendum et possidendum per eum eo modo per omnia quo ipse tenebat ea tempore mote guerre. Et super isto articulo servetur quod ordinatum est per dominum papam, prout continetur in littera domini pape, que incipit post salutem : *Letamur.*

Item, quod in ista restitutione dictus rex Majoricarum ipsi Jacobo et idem Jacobus dicto regi faciant invicem recognitiones, firmitates et homagia secundum formam contentam in instrumento publico super conventionibus initis inter predictos regem Majoricarum et P[etrum], olim regem Aragonie, ita quod per hoc nullum jus dictis regi Majoricarum et Jacobo crescat in aliquo vel decrescat.

Item, quod castra et alia quecumque bona stabilia, occupata per dictum Jacobum, antecessores, adjutores et valitores suos de terris, et aliis quibuscumque bonis stabilibus dicti regis Majoricarum, adjutorum et valitorum suorum, postquam guerra Sicilie extitit inchoata, eidem regi Majoricarum, adjutoribus et valitoribus suis per eumdem Jacobum sine contradictione reddantur.

Et, versa vice, castra et alia quecumque bona stabilia, occupata per ipsum regem Majoricarum, adjutores et valitores suos, de terris et aliis quibuscumque bonis stabilibus dicti Jacobi, antecessorum, adjutorum et valitorum suorum, post commotionem guerre predicte, prefato Jacobo et eis omnino reddantur, prout ista continentur in littera papali que incipit : *Inest cordi nostro.*

Et tenorem istorum duorum instrumentorum *Letamur et Inest* habet dominus rex Majoricarum, in quantum negotium ipsum tangit, in littera sibi missa per dominum papam.

1. Ex authentico, *Bal.*; pièce non retrouvée.

Item, quod ipse rex Majoricarum dicto Jacobo et ipse Jacobus dicto regi invicem ac valitoribus eorumdem remittent omnes injurias, rancores, dampna, et interesse, necnon homagia et fidelitates quas a subditis alter alterius recepe [20] runt post motam guerram predictam.

Item, invicem sibi promittent et jurabunt quod ratione factorum preteritorum alter alteri ac subditis alterutrius de cetero non nocebunt, immo pacem bonam et firmam pro se et suis invicem sibi promittent.

Item, quod dictus Jacobus deliberabit sine redemptione Gobertum de Lalo seu obsides suos.

Item, quod ipse Jacobus et sui restituent quecumque personas et bona immobilia occuparunt de subditis et valitoribus domini regis Francie.

Item, dominus rex Francie restituet quecumque ipse et sui occuparunt post donationem ipsi domino regi factam de regnis et terris ac personis dicti Jacobi et valitorum suorum; excepto Alberto de Mediona, cui nullam faciet dominus rex restitutionem.

Item fidelitates, si quas recepit dominus rex aut dominus Karolus ab hominibus regnorum et terrarum predictarum, remittent.

Ac omnes offensas, rancores, injurias, obligationes, actiones, dampna, interesse invicem sibi remittent. Hoc salvo, quia de valle Aragni nichil agitur hic.

Hoc etiam salvo quod dominus rex diruet, si velit, fortalitia et castra per se et suos facta in terra quam restituturus est. Quia sic actum est, et in instrumento super hoc facto continetur.

Hiis premissis completis, promittent sibi invicem bonam pacem, et quod de cetero sibi aut suis non nocebunt ratione factorum preteritorum.

Et tunc dominus legatus restituet ipsi Jacobo procuratoria, litteras et privilegia que procuratores domini regis in manu domini pape posuerunt.

Et absolvet et tollet interdicta, et fiat matrimonium preloqutum.

Si tamen, dum fient restitutiones predicte, et eas bona fide continuerit, facta prius restitutione regni Majoricarum, medio tempore velint dictum matrimonium fieri, dominus legatus poterit tunc [21] ipsum Jacobum et aliquos de sua comitiva, qui misse intererunt, absolvere sub conditione quod in eamdem sententiam recidant nisi perfecte compleant omnia supradicta.

Item, sequitur hic tenor clausule que loquitur de dirutione fortalitiorum. Et est sumpta de publico instrumento manu Taffuri notarii confecto, quod sic incipit : *In nomine Domini et Salvatoris eterni. Amen. Ego Taffurus de Capua publicus, etc. Notum facimus et testamur quod licet grandia, etc.*

Item, conventum est et promissum per predictos procuratores et nuncios ipsorum dominorum regis Francie et comitis, fratris ejus, quod omnia bona stabilia seu sedentia, que capta et occupata sunt de regnis Aragonie et Valentie, comitatu Barchinone et pertinentiis eorumdem, ac de omnibus juribus et dominiis predicti domini Jacobi, subditorum, adjutorum et valitorum ejus per predictos dominos regem Francie vel Karolum, fratrem ejus, aut predecessorem, adjutores et valitores ipsorum, occasione guerre inchoate, postquam predictus condam dominus Petrus intravit Siciliam vel in aliquo romanam offendit Ecclesiam, reddantur et restituantur cum omni integritate dicto domino Jacobo, et restituantur etiam sibi fortitudines et opera que in suo vel adjutorum et valitorum suorum facta fuerunt a supradicto tempore citra. Liceat tamen dicto domino regi Francie vel valitoribus suis dictas fortitudines diruere a supradicto tempore citra de novo per eum constructas.

X

Bulla[1] Bonifacii papae VIII approbantis conditiones pacis initas inter eosdem reges. — Anagni, 22 juin 1295.

Bonifacius, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Jacobo, regi Majoricarum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. [22] Dilecta pax in tabernaculis Domini, multa diligentibus nomen ejus. Impiis vero nulla est pax : quia dum per celestis preconis ministerium hominibus bone voluntatis in terra promittitur, impiis tollitur, malignantibus denegatur. Sane, fili, operante illo qui pacis est auctor, nuper inter carissimum in Christo filium nostrum Carolum, Sicilie regem illustrem, venerabilem fratrem nostrum Petrum, Aurelianensem episcopum, et dilectum filium

1. Pièce non rètrouvée. *Ex authentico*, Baluze. Digard, *Les registres de Boniface VIII*, n. 163, analyse une lettre ayant le même *incipit*, mais adressée à Jayme d'Aragon.

religiosum virum Johannem, abbatem monasterii Sancti Germani de Pratis prope Parisius, solempnes procuratores et nuntios carissimi in Christo filii nostri Philippi, regis Francorum illustris, et dilecti filii nobilis viri Caroli, Alançonis et Valesii comitis, fratris ejus, ex una parte, ac Gilibertum de Cruyliis, Guillelmum Durfortis, Petrum Costa et Guillelmum Galvani solempnes nuntios et procuratores Jacobi, nati quondam Petri olim Aragonum regis, ex altera, nuper in nostra presentia tractatus pacis est habitus et firmatus. In cujus quidem discussione tractatus, asserentibus prefatis nuntiis dicti Jacobi super restitutione regni Majoricarum, insularum Evicie et Minoricarum, ac aliorum locorum eidem regno adjacentium tibi per eumdem Jacobum facienda se potestatem aliquam non habere, eidem tractatui discrimen dissolutionis instabat, cum prefati nuntii regis Francorum firmiter dicerent non esse intentionis regis ejusdem te spoliatum dimittere, quem a guerre principio ipse ac clare memorie Philippus, rex Francorum, pater ipsius, sicut ejusdem litis consortem susceperant defendendum. Ne tamen tractatus tam Deo placidus mundoque proficuus perduceretur in cassum, quo multa periculosa discrimina sequi possent, negotium restitutionis ejusdem de ipsorum nuntiorum regis Francie conniventia et expresso consensu per modum qui sequitur, apud prefatum Jacobum suscepimus promovendum. Videlicet quod idem Jacobus restituat et restitui faciat tibi prefata regnum Majori[23]carum et insulas cum ceteris omnibus immobilibus sive stabilibus occupatis per dictum Jacobum ac suos de terris, villis et possessionibus tuis, tenenda et habenda per te eo modo per omnia quo tenebas ea tempore mote guerre prefate, ita quod per hoc nullum jus tibi aut ei crescat in aliquo vel decrescat. Salvo quod Sarraceni qui de ipsa insula Minoricarum per eumdem Jacobum vel suos ejecti fuerunt, non reponentur ibidem; sed de habitatoribus christianis ipsius insule, si aliqui sint, quos tu suspectos habeas vel odiosos ex rationabili causa, quam arbitrari habebit dilectus filius noster G[uillelmus], tituli Sancti Clementis presbiter cardinalis, quem ad partes ipsas presentialiter mittimus pro votiva executione tractatus ejusdem, usque ad certum numerum moderandum per cardinalem ipsum de insula prefata recedent; et si nollent recedere, ministrorum manibus expellentur. Verum poterunt, si quas in eadem insula possessiones emerint, vendere et secum portare pretium cum ceteris mobilibus eorumdem. Et ad hoc faciendum dabitur eis certus terminus juxta ipsius cardinalis arbitrium statuendus. Ceteri chri-

stiani, quibus dicta insula Minoricarum populata est, in subjectione tua ibi, si voluerint, remanebunt; sic tamen quod si per eumdem Jacobum aut quondam Alfonsum, fratrem suum, ipsorumve mandatum in eadem insula Minoricarum alique possessiones tradite fuerint in feudum, aut in emphyteosim, vel ad censum pro minori servitio aut valore vel censu notabiliter quam valeant, et equum aut rationabile censeatur, quod judicari debet tempore contractus inspecto, ad equum et rationabile juxta cardinalis arbitrium reducentur. Donationes autem simplices facte per prefatum Jacobum vel dictum quondam Alfonsum, officiales aut fautores ipsorum in predictis et de predictis possessionibus, omnifariam irritentur. Quodque in restitutione dictorum regni, et insularum et aliorum locorum [24] predictus Jacobus tibi tuque sibi faciatis invicem recognitiones, firmitates et homagia, juxta modum et formam contentam in instrumento publico facto de conventionibus initis inter te et quondam Petrum, olim regem Aragonum, fratrem tuum. Necnon castra et alia quecumque bona stabilia occupata per te, adjutores et valitores tuos de terris et aliis quibuscumque bonis stabilibus dicti Jacobi, antecessorum, adjutorum et valitorum suorum, postquam guerra insule Sicilie extitit inchoata, sibi et eis per te sine contradictione reddantur. Et versa vice castra et alia quecumque bona stabilia occupata per sepedictum Jacobum, antecessores, adjutores et valitores suos post commotionem guerre predicte de terris et aliis quibuscumque bonis stabilibus tuis, adjutorum et valitorum tuorum, tibi et eis reddantur omnino. Serenitatem igitur regiam monemus et hortamur attente quatinus debita meditatione considerans universalia mundi discrimina, statum depressum et miserabilem terre sancte, et frementia bella undique, gravibus onusta periculis, quodque per ordinationem pretactam, temporum qualitate pensata, reparationi status tui consulitur oportune, cor et animum ad pacis dulcedinem convertas humane, ac ad semitas suavitatis et lenitatis depressive rigoris inclines affectum; unde regi pacifico placidus et devotus occurras, a nobis et Ecclesia, sponsa sua, in tam grato opere laudandus et favore prosequendus accedas, et per ipsum pacis adventum tuo firmato solio regalis dignitas subditis et sibi proficiat, et incrementis sequentibus, cum auxilio divine providentie, de bono in melius se attollat. Datum Anagnie, x kal. julii, pontificatus nostri anno primo.

XI

[25] Litterae[1] episcoporum Aurelianensis et Carcassonensis de restitutione castrorum facienda Jacobo de Aragonia. — Perpignan, 14 octobre 1295.

Universis presentes litteras inspecturis miseratione divina P[etrus], Aurelianensis, et P[etrus], Carcassonensis ecclesiarum episcopi, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quod nos, auctoritate principis excellentissimi domini nostri Francie regis, nobis in hac parte commissa, deputavimus specialiter nobilem et discretum virum dominum Johannem de Arreblayo, senescallum Carcassonensem, ad cognoscendum et diffiniendum pro parte domini nostri regis una cum illo qui, pro parte nobilis viri domini Jacobi de Aragonia, ad hoc deputabitur de finibus castrorum et bonorum immobilium eidem Jacobo et suis valitoribus restituendorum ex parte dicti domini nostri regis Francie, firmata pace que tractatur inter partes predictas, si forsitan contingeret aliquam oriri super hiis questionem in restitutione facienda de predictis, dantes eidem senescallo, auctoritate predicta, super hoc potestatem plenariam et speciale mandatum. In cujus rei testimonium presentibus litteris nostra fecimus apponi sigilla. Datum Perpiniani, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, die veneris post festum beati Dyonisii.

Universis presentes litteras inspecturis miseratione divina P[etrus], Aurelianensis, et P[etrus], Carcassonensis ecclesiarum episcopi, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quod nos, auctoritate principis excellentissimi domini nostri Francie regis, nobis in hac parte commissa, tenore presentium committimus egregio principi domino Jacobo, Dei gratia regi Majoricarum illustri, quod ipse, firmata pace que tractata est inter sacrosanctam romanam Ecclesiam, dominos [26] Francie et Sicilie reges, ipsum regem Majoricarum, dominum Karolum comitem Alanconiensem, et dominum Jacobum de Aragonia, factaque primitus per ipsum Jacobum eidem domino regi Majoricarum ac ceteris domini regis Francie valitoribus restitutione plenaria de occupatis, castra et cetera bona immobilia de regnis et terris ipsius Jacobi valitorumque suorum per dominum nostrum Francie regem et ejus valitores ratione dona-

1. Ex authentico, *Bal.*; pièces non retrouvées.

tionis apostolice occupata reddat et deliberet eidem Jacobo et suis valitoribus ex parte domini nostri Francie regis, dantes eidem domino regi Majoricarum, auctoritate predicta, super hiis plenariam potestatem. In cujus rei testimonium presentibus litteris sigilla nostra duximus apponenda. Datum Perpiniani, anno Domini MCC nonagesimo quinto, die veneris post festum beati Dyonisii.

XII

Litterae[1] Philippi IV, regis Francorum, et delegatorum ejus de eadem restitutione. — Perpignan, 3 janvier 1298 (n. st.).

In nomine Domini. Amen. Notum sit cunctis hoc instrumentum publicum inspecturis quod anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo [1298, n. st.], primo die mensis januarii, venerabiles et discreti viri domini Guillelmus de Castilione, archidiaconus Carcassonensis, et Stephanus Cadelli, prior de Betolla, ex parte reverendi patris domini Petri, Dei gratia Carcassonensis episcopi, et magistri Petri de Bituris, succentoris Aurelianensis, excellentissimi principis domini regis Francie clerici, presentaverunt et legi fecerunt inclito et magnifico viro domino Jacobo de Aragonia quasdam litteras patentes dicti domini regis Francie, sigillo ipsius domini regis pendenti cereo sigillatas. Item presentaverunt et legi fecerunt eidem domino Jacobo quasdam alias litteras patentes, sigillis ipsorum domini episcopi [27] et succentoris pendentibus cereis sigillatas.

Quarum literarum tenores tales esse noscuntur : PHILIPPUS, DEI GRATIA Francie rex, universis presentes literas inspecturis salutem. Notum facimus quod nos, ob reverentiam sacrosancte romane Ecclesie et propter bonum pacis, omnia et singula facere et complere volentes, que secundum tractatum pacis habitum coram summo pontifice inter nos et carissimum germanum et fidelem nostrum Karolum, Valesie comitem, seu nuncios nostros, ex una parte, et nobilem virum Jacobum de Aragonia seu nuncios et procuratores ejus, ex altera, et juxta tenorem papalium rescriptorum per nos facienda et adimplenda existunt, ne circa hoc possit nobis defectus aliquis imputari, dilecto et fideli nostro episcopo Carcassonensi et magistro Petro de Bituris, succentori Aurelianensi,

1. Ex authentico, *Bal.*; Archives nationales, *P 1354*, n. 841 (pièce en déficit).

clerico nostro, exhibitoribus presentium, damus et concedimus plenam et liberam potestatem restituendi castra et fortalicia ac stabilia omnia que tenemus seu alter pro nobis, occasione guerre inter nos et dictum Jacobum existentis, et specialiter castrum de Salvaterra, quod est in confinio regnorum Navarre et Aragonie, restituendi Jacobo memorato, necnon et castra illa que pro nobis et nomine nostro tenet inclitus princeps carissimus avunculus noster Jacobus, rex Majoricarum illustris, ac ponendi vallem de Herants in manu sequestri seu sequestrorum, compromittendique pro nobis et nomine nostro cum dicto Jacobo vel ejus gentibus in quascumque personas super possessione et jure dicte vallis, ac omnia et singula ad premissa pertinentia faciendi et complendi que circa hec per nos facienda sunt et complenda juxta dictum pacis tractatum et tenorem papalium rescriptorum, ratum habituri et firmum quicquid per ipsos super premissis fuerit pro nobis et nomine nostro factum, dantes omnibus justiciariis et subditis nostris, tenore presentium, in mandatis ut in premissis et ea tangentibus eisdem efficaciter pareant [28] et intendant. In cujus rei testimonium presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius, XIIIJ die novembris, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo.

MAGNIFICO AC POTENTI VIRO domino Jacobo de Aragonia Petrus, divina permissione episcopus Carcassonensis, et Petrus de Bituris, succentor Aurelianensis, excellentissimi principis domini Francie regis clericus, salutem et paratam ad ejus beneplacita voluntatem. Cum serenissimus princeps dominus noster, dominus Philippus, Dei gratia Francie rex predictus, ob reverentiam sacrosancte romane Ecclesie et propter bonum pacis, omnia et singula facere et complere volens, que secundum tractatum pacis habitum coram sanctissimo patre nostro domino summo pontifice inter eumdem dominum regem et germanum ipsius, dominum Karolum Valesii et Alansonii comitem, seu nuncios eorumdem, ex una parte, et vos seu nuncios et procuratores vestros, ex altera, et juxta tenorem papalium rescriptorum per eosdem dominum regem Francie et ejus fratrem predictum facienda et complenda existunt, ne circa hoc possit eidem domino regi defectus aliquis imputari, nobis dederit et concesserit plenam et liberam potestatem restituendi vobis castra et fortalicia et stabilia omnia que idem dominus noster rex tenet, seu alter pro eo, occasione jam mote guerre inter ipsum dominum nostrum regem et vos ac predecessores vestros, et

specialiter castrum de Salvaterra, quod est in confinio regnorum Navarre et Aragonie, necnon castra omnia illa que tenet, pro dicto domino nostro rege, inclitus princeps dominus rex Majoricarum, avunculus et valitor ipsius, ac etiam ponendi vallem de Herayn in manu sequestri seu manibus sequestrorum, ac compromittendi pro ipso domino nostro rege et suo nomine vobiscum super possessione et jure dicte vallis seu cum procuratoribus vestris habentibus super hoc plenam et liberam potestatem, insu[29]per faciendi et complendi, pro ipso domino nostro rege, omnia et singula ad premissa pertinentia, que circa ipsa per ipsum dominum nostrum regem facienda seu complenda sunt, juxta pacis tractatum et secundum tenorem papalium rescriptorum, nos volentes efficaciter ejusdem domini nostri parere mandatis, ne eidem domino nostro ob nostram, quod absit, negligentiam possit defectus aliquis imputari, ejusdem nomine et pro ipso, pro exsecutione predicti mandati procedimus in hunc modum, et per presentem epistolam et insuper per venerabiles et discretos viros dominos Guillelmum de Castilione, archidiaconum Carcassonensem, et Stephanum Cadelli, priorem de Betolla, presentium exhibitores, nuncios nostros, quos ad hoc specialiter destinamus, celsitudini vestre offerimus que sequuntur, videlicet restitutionem castrorum et fortaliciorum ac stabilium omnium que idem dominus noster rex tenet, seu alter pro eo, occasione jam mote guerre inter ipsum dominum nostrum regem, et vos et predecessores vestros, et specialiter castri de Salvaterra, quod est in confinio regnorum Navarre et Aragonie, necnon castrorum omnium illorum que tenet, pro eodem domino rege, inclitus princeps dominus rex Majoricarum, avunculus et valitor ipsius. Offerimus etiam nos paratos ponere vallem de Herayn in manu sequestri seu manibus sequestrorum, et compromittere pro ipso domino nostro rege et suo nomine vobiscum vel cum vestris procuratoribus super possessione et jure dicte vallis, et insuper facere et complere pro ipso domino nostro rege omnia et singula ad premissa pertinentia, que circa ipsa per ipsum dominum nostrum regem facienda sunt et complenda juxta pacis tractatum et tenorem papalium rescriptorum. Requirimus insuper et interpellamus, cum instantia qua majori possumus, dominationem vestram ut per vos, juxta predictum pacis tractatum et secundum or[30]dinationem apostolicam, impleantur a parte vestra que implenda et facienda sunt. Et si infra nativitatem Domini instantem hec per vos non fuerint adimpleta, et specialiter restitutio regni Majoricarum cum perti-

nentiis suis facta, protestantes quod non intendimus recedere nec volumus a termino prefixo vobis ad hujusmodi complenda per sanctissimum patrem dominum nostrum summum pontificem, sed volentes quod lapsus illius termini illum quem potest et debet sortiatur effectum, hoc salvo requirimus ut supra et interpellamus magnificentiam vestram ut nichilominus quantocyus post terminum predictum moram, si quam contraxeritis, purgare curetis; aut quod factum non fuerit nec completum ex parte vestra, interpellamus et requirimus quod illud quantocyus compleatis, secundum quod ordinatio apostolica vos astringit. Et specialiter requirimus et interpellamus quod restituatis plenarie secundum dictum pacis tractatum et ordinationem apostolicam regnum Majoricarum cum insulis Minoricarum et Evice et aliis eidem regno adjacentibus, et castrum et vallem de Rippis inclito domino Jacobo, regi Majoricarum, dicti domini regis valitori, aut ejus certo mandato. Restituatis insuper et faciatis quecumque alia restituenda et facienda sunt, ex parte vestra, predictis dominis Francie et Majoricarum regibus et valitoribus eorumdem. Nos enim, pro complendis et perficiendis actualiter et cum effectu que ex parte domini nostri regis Francie implenda et perficienda sunt, offerimus et nos etiam astringimus ad expectandum vos per triginta dies, computandos a die presentationis presentis epistole vobis faciende apud Panissars vel circa, in loco communi tamen et convenienti vobis et nobis. Requirimus autem magnificentiam vestram ut nos de die certa, quam de dictis triginta diebus elegeritis, ad comparitionem vestram et nostram in loco aut locis predictis abs [31] que defectu tempestive certificare nos curet per litteras patentes nobis per exhibitores presentium deferendas. Hec autem nobis intimantibus predicto domino Majoricarum regi, idem dominus rex predicta tempus et locum acceptavit; et ibidem simul nobiscum personaliter intererit, Deo dante, pro faciendis et complendis que secundum dictum pacis tractatum et ordinationem apostolicam in hujusmodi, ex parte sua, facienda fuerint et complenda. In quorum testimonium et fidem pleniorem huic epistole presenti sigilla nostra duximus apponenda. Datum Perpiniani anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, die martis ante festum beati Thome apostoli [17 decembris].

Quibus litteris in presentia ipsius magnifici domini Jacobi de Aragonia et testium infrascriptorum lectis, et litteris dictorum domini episcopi et succentoris eidem traditis, ac copia litterarum

dicti domini regis Francie sibi facta, et transcripto earumdem sibi tradito, predicti domini archidiaconus et prior obtulerunt ore tenus pro dictis dominis episcopo et succentore, requisiverunt, et interpellaverunt, ac protestati fuerunt eidem domino Jacobo, sicut in dictis literis dominorum episcopi et succentoris plenius et latius continetur. Et dictus dominus Jacobus dixit et respondit quod super premissis deliberaret, et deliberatione habita responderet. Acta sunt hec omnia apud Valentiam, in domo episcopali, prima die mensis januarii anno predicto [1298, n. st.], in presentia et testimonio venerabilis patris domini Raymundi, Dei gratia episcopi Valentini, dominorum Guillermi de Namontaguda et Petri Coste, jurisperiti, Raymundi de Capraria, canonici Illerdensis, Gonçalbo Garçia, militis, dominorum Jacobi de Bernicio, utriusque juris professoris, et Berengarii de Calderiis, militis, Guillermi Maurini, rectoris ecclesie de Ruppe negata, Johannis Palagani, presbiteri, magistri Bartholomei Vesiani, publici auctoritate imperia[32]li notarii, et mei Laurentii Plasense, notarii publici Perpiniani, qui predictis omnibus actis coram prefato domino Jacobo de Aragonia, una cum dictis testibus, presens interfui, et requisitus et mandatus per dictos Jacobum de Bernicio et Berengarium de Calderiis hec omnia manu propria scripsi. Post hec, eodem anno [1298, n. st.], die tertia premissi mensis januarii, dictus dominus Jacobus de Aragonia, deliberatione habita, responsionem suam prefatis dominis archidiacono et priori reddidit in scriptis per hunc modum, et eam legi fecit, et verbo tenus etiam respondit in effectu, sicut in ipsa scriptura continetur.

Cujus scriptura tenor talis est : Ad litteram regis Francie supradictam per Guillermum de Castilione, archidiaconum Carcassonensem, et Stephanum Catelli, priorem de Betolla, nuncios venerabilis episcopi Carcassonensis, et Petri de Bituris, succentoris Aurelianensis, excellentissimo domino Jacobo, Dei gratia regi Aragonie illustri, exhibitam et contenta in ea respondet et dicit prefatus dominus rex Aragonie quod prefatus rex Francie, secundum quod in tractatu pacis actum fuerat et conventum, tenebatur, jam diu est, restituere predicto regi Aragonie et debebat castra, fortalicia et stabilia que ipse rex Francie et inclitus dominus Jacobus, patruus ipsius domini regis Aragonie, vel alius pro ipso rege Francie seu nomine suo tenet occasione guerre inter ipsum regem Aragonie et predecessores suos et dictum regem Francie diu mote. Unde quia nunc restituendi dicto domino regi Aragonie

castra, fortalicia et stabilia supradicta, ac omnia alia faciendi ad que dictus rex Francie predicto regi Aragonie tenetur, dedit prefatus rex Francie predictis episcopo et succentori plenam et liberam potestatem, mandatum ipsius regis Francie super predictis factum et potestatem predictis episcopo et succentori, ut predicitur, attributam, quantum ad restitutionem dicto regi Aragonie fa[33]ciendam de predictis castris, fortaliciis et stabilibus, et aliis eidem complendis, idem dominus rex Aragonie grata habet plurimum et accepta, offerens se paratum recipere castra, fortalicia et stabilia supradicta, et alia que per dictum regem Francie juxta tractatum pacis predictum debent eidem regi Aragonie fieri et compleri. Placet etiam eidem regi Aragonie quod vallis de Arayn ponatur et sit in sequestro romane Ecclesie, et de possessione ejusdem vallis, salvo jure proprietatis utrique parti, cognoscatur, prout in tractatu pacis predicto extitit ordinatum et continetur in eo; et de hoc dabit potestatem nunciis suis super hoc destinandis. Ad litteram autem episcopi Carcassonensis et magistri Petri, Aurelianensis succentoris predictorum, per prefatos eorum nuncios dicto domino regi Aragonie exhibitam et contenta in ea et ad proposita per ipsos nuncios respondet predictus dominus rex Aragonie quod ea que circa restitutionem castrorum, fortaliciorum et stabilium omnium, que prefatus rex Francie et prefatus Jacobus, patruus suus, seu alter pro dicto rege Francie vel nomine ejus, occasione guerre predicte, tenent, predicto regi Aragonie faciendam, et alia etiam que per eumdem regem Francie debent predicto regi Aragonie fieri et compleri per predictam litteram episcopi et succentoris, ex potestate per dictum regem Francie eis data et per prefatos eorum nuncios, eidem regi Aragonie sunt oblata, idem rex Aragonie recipit et admittit, offerens etiam, ut predicitur, et protestans se paratum recipere castra, fortalicia et stabilia supradicta, et alia que per dictum regem Francie juxta tractatum pacis debent eidem regi Aragonie fieri et compleri. Et ad habendum vistas cum predictis episcopo et succentore super recipiendis predictis castris, fortaliciis et stabilibus suos speciales nuntios destinabit; qui erunt versus collem [34] de Paniçars in loco communi et utrique parti decenti, infra triginta dies, ab hodie in antea computandos, parati recipere castra, fortalicia et stabilia antedicta, ac alia que, ut predicitur, per dictum regem Francie juxta tractatum pacis debent eidem regi Aragonie fieri et compleri. Placet etiam eidem domino regi Aragonie quod vallis de Arayn ponatur et sit in sequestro romane Ecclesie, et de possessione

ejusdem vallis, salvo jure proprietatis utrique parti, cognoscatur, prout in tractatu pacis predicto extitit ordinatum, et continetur in eo; et de hoc dabit potestatem nunciis suis super hoc destinandis. Dicit etiam dictus dominus rex Aragonie quod tractatum pacis, qui per regem Francie et illustrem Karolum, fratrem ejus, ac procuratores et nuncios eorum, ex una parte, et per ipsum regem Aragonie, procuratores et nuncios suos, ex altera, coram summo pontifice concessus extitit et firmatus, et per ipsum summum pontificem approbatus et confirmatus, ipse rex Aragonie complevit et servavit, et compleri et servari fecit, et intendit servare in posterum et tenere. Verumtamen, si qua forte apparerent que per eum adhuc fieri debeant et compleri juxta tractatum pacis predictum, protestatur idem dominus rex Aragonie et offert se paratum ea facere et complere. Ad predictam autem requisitionem et interpellationem per litteram predictorum Carcassonensis episcopi et succentoris Aurelianensis ac predictos eorum nuncios dicto regi Aragonie factam, super facto regni Majorice et aliarum insularum, eidem regno adjacentium, et aliis que juxta tractatum pacis et ordinationem summi pontificis asserunt predicti episcopus et succentor in sua littera jam pretacta, ac nuncii eorum prefati, ipsum dominum regem Aragonie debere facere et complere, dicit idem dominus rex Aragonie quod de requisitione et interpellatione predictis quamplurimum admiratur, cum se [35] cundum tenorem littere regis Francie supradicte dicti episcopus et succentor fines mandati regis Francie manifestissime excedentes, super predictis requisitione et interpellatione faciendis nullam habeant ab eodem rege Francie potestatem, maxime cum requirant eumdem regem Aragonie ac etiam interpellent super regno Majorice et appendiciis ejus, que in tractatu pacis predicto, qui per ipsum regem Aragonie ac procuratores et nuncios suos, ex una parte, et prefatos regem Francie et Karolum, fratrem ejus, ac nuncios et procuratores eorum, ex altera, coram summo pontifice, concessus extitit et firmatus, et per eumdem summum pontificem approbatus et confirmatus, nullatenus obvenerunt, nec continentur in eo. Dicit etiam dictus rex Aragonie quod nec scit nec credit super facto regni Majorice predicti ac appendiciarum ejusdem regni terminum aliquem per romanam Ecclesiam assignatum, nec ordinationem aliquam esse factam que ipsum regem Aragonie ad restitutionem regni predicti et appendiciarum suarum artent in aliquo seu astringant. Dicit tamen idem rex Aragonie quod ipse ad preces summi pontificis

litteratorie sibi factas paratus fuit tunc et gratiose etiam postea infra annum immediate sequentem, jam diu tamen lapsum, super facto regni Majorice predicti ac appendiciarum ejusdem regni cum predicto patruo suo ob reverentiam sedis apostolice et gratiam regis Francie convenire; sed ipse patruus suus noluit consentire nec etiam acceptare quod idem rex Aragonie se tunc, ut predicitur, facere ob predictorum reverentiam et gratiam offerebat. Verum cum idem rex Aragonie, zelans cum predictis rege Francie et patruo suo pacis federa reformare et habere veram dilectionem et concordiam cum eisdem, et ad instantiam illustris regis Cecilie, patris sui carissimi, suos propterea speciales et solempnes nuncios ad predictum regem Francie duxerit desti [36] nandos, offert se paratum sequi et observare ea omnia que nuncii sui predicti cum predicto rege Francie circa reformationem pacis predicte ordinanda duxerint et firmanda. Et si contingeret nuncios suos predictos super articulo aliquo reformationis pacis predicte non posse cum predicto rege Francie convenire, paratus est idem rex Aragonie, volens dare, in quantum poterit, locum paci, super hoc stare ordinationi domini Bonifacii, sacrosancte romane Ecclesie pape octavi. Acta fuerunt hec a paragrapho supra fato citra, tertia die mensis januarii, anno predicto [1298, n. st.] apud Valentiam, in domo episcopali, in presentia et testimonio testium prescriptorum, et mei dicti Laurentii Plasense, notarii publici Perpiniani, qui una cum predictis testibus ad predicta presens interfui, et requisitus ac mandatus per dictum dominum Jacobum de Aragonia necnon et predictos dominos Guillermum de Castilione, Carcassonensem archidiaconum, et Stephanum Cadelli, priorem de Betolla, hec omnia manu propria scripsi, et in hanc publicam formam redegi, et hoc signo nostro consueto signavi.

XIII

Litterae[1] Petri, episcopi Carcassonensis, et ejus socii de eadem restitutione. — 30 janvier 1298 (n. st.).

In nomine Domini. Amen. Anno ab incarnatione ejusdem millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, videlicet tertio kalendas febroarii, que fuit tricesima dies mensis januarii. Notum sit cunctis quod convenientibus ad vistas apud Panissars in ecclesia Beate

1. Ex authentico, *Bal.*; pièce non retrouvée.

Marie ejusdem loci reverendo patre domino Petro, Dei gratia Carcassonensi episcopo, et venerabili ac provido viro magistro Petro de Bituris, succentore Aurelianensi, pro serenissimo principe domino Philippo, Dei gratia rege Francie illustri, ac venerabilibus viris dominis Bremundo de Monteferrario et Jacobo de Muredine, militibus, et Arnaldo Bajuli, judice illustris [37] domini regis Majoricarum, pro ipso domino rege Majoricarum, ex parte una, necnon et discretis viris dominis Berengario de Castro Eulino, vicario, et Raymundo Calveti, judice Gerundensi, pro magnifico et inclito domino Jacobo de Aragonia, ex altera, predictus reverendus pater Carcassonensis episcopus et magister Petrus de Bituris, succentor, pro dicto domino rege Francie obtulerunt predictis dominis Berengario de Castro Eulino et Raymundo Calveti, nunciis dicti domini Jacobi de Aragonia pro ipso, dixerunt, petierunt, requisierunt, et interpellaverunt, ac protestati fuerunt, et optionem eis quibus supra nominibus dederunt in scriptis ut sequitur.

Hec sunt que offerimus et petimus nos, Petrus, permissione divina Carcassonensis episcopus, et Petrus de Bituris, succentor Aurelianensis, nuncii seu procuratores ad infrascripta excellentissimi principis domini Philippi, Dei gratia regis Francie illustris. Et in primis, offerimus nomine dicti domini nostri regis Francie vobis, predictis vicario et judici, nunciis seu procuratoribus dicti domini Jacobi de Aragonia, ipsius nomine, nos facturos totaliter et cum effectu et sine more dispendio bona fide, et de plano, et sine aliquo malo ingenio, restitutionem castrorum, fortalitiorum ac stabilium omnium que idem dominus noster rex tenet, seu alter pro eo, occasione jam mote guerre inter ipsum dominum regem Francie et dictum dominum Jacobum et predecessores suos, et specialiter castrum de Salvaterra, quod est in confinio regnorum Navarre et Aragonie, necnon castrorum omnium illorum que tenet pro eodem domino rege inclitus princeps dominus rex Majoricarum, avunculus et valitor ipsius. Offerimus etiam nos paratos ponere vallem de Herany in manu sequestri seu manibus sequestrorum, et compromittere pro ipso domino nostro rege et suo nomine vobiscum super possessione et etiam jure dicte vallis, et insuper facere et com [38] plere, pro ipso domino nostro rege, omnia et singula ad premissa pertinentia, que circa ipsa per ipsum dominum nostrum regem facienda sunt et complenda, juxta pacis tractatum et secundum tenorem papalium rescriptorum super hiis confectorum, dum tamen dictus dominus Jacobus, vel vos aut alii pro

ipso impleveritis que implenda sunt dominis Francie et Majoricarum regibus, ac valitoribus et subditis eorumdem, ea scilicet que secundum tractatum pacis habitum coram sanctissimo patre nostro domino summo pontifice inter eumdem dominum regem Francie et germanum ipsius, dominum Karolum, Valesie et Alançonii comitem, seu nuncios eorumdem, ex parte una, et ipsum dominum Jacobum de Aragonia, seu nuncios et procuratores suos, ex altera, et juxta tenorem papalium rescriptorum adimplenda existunt, ea que per ipsum summum pontificem ordinata sunt et in suis contenta litteris, et specialiter quoad restitutionem regni Majoricarum et insularum Minorice et Evice et aliorum eidem regno adjacentium, necnon castris et villis de Rippis inclito domino Jacobo, regi Majoricarum, dicti domini regis valitori aut ejus certo mandato faciendam, restitueritisque insuper et feceritis quecumque alia restituenda et facienda sunt ex parte dicti domini Jacobi de Aragonia predictis dominis Francie et Majoricarum regibus, ac valitoribus et subditis eorumdem, juxta pacis tractatum predictum et ordinationem domini pape predictam. Super quibus alias meminimus nos interpellasse per litteras et solempnes nuncios nostros predictum dominum Jacobum de Aragonia, prout in instrumentis publicis inde confectis apud Valentiam in presentia ipsius domini Jacobi plenius et latius continetur. Et super quibus etiam vos dictos dominos vicarium et judicem nuncios seu procuratores ejusdem domini Jacobi de Aragonia et ipsum dominum Jacobum per vos majori qua possumus [39] instantia iterato interpellamus ut omnia et singula que per dictum dominum Jacobum tam super restitutione regni Majoricarum et insularum predictarum et aliorum eidem regno adjacentium quam castris et villis de Rippis et aliorum que ex parte dicti domini Jacobi de Aragonia adimplenda et perficienda existunt, omnino compleatis. Et si forte predicta completa non sunt aut non fuerint per dictum dominum Jacobum de Aragonia juxta predictum pacis tractatum et ordinationem apostolicam termino ad hoc prefixo seu per eumdem summum pontificem assignato vel ordinato, protestato et salvo quod non intendimus recedere nec volumus a dicto termino sic prefixo seu ordinato ad hujusmodi complenda per dictum summum pontificem, sed volentes quod lapsus illius termini illum quem potest et debet sortiatur effectum, requirimus et interpellamus ut supra vos nomine ipsius domini Jacobi, et ipsum per vos, ut nichilominus quantocyus post terminum jam lapsum moram quam dictus dominus Jacobus contraxit

in istis ipse vel vos aut alii pro ipso purgare curetis; aut quod factum non est nec completum ex parte ipsius domini Jacobi interpellamus et requirimus quod illud idem dominus Jacobus vel vos aut alii pro ipso quantocyus implere curetis, prout ordinatio apostolica ad hec ipsum astringit. Et ne forsitan quis prior complere debeat, nos videlicet vel vos, que secundum tractatum pacis et ordinationem apostolicam ab utraque parte, et a nobis, et a vobis, nomine dominorum nostrorum complenda sunt, questio aut scrupulum aut cujuscumque subterfugii occasio valeat suboriri, ad hoc tollendum omnino offerimus vobis, si tamen habetis super hiis que hinc inde facienda incumbunt a vestro domino potestatem, et per vos dicto domino vestro obtionem ut eligatis duorum alterum, videlicet quod per nos primitus impleantur predicta que implenda sunt a predictis Francie et Majoricarum regibus, et vos prestetis nobis securitatem [40] seu firmitatem nobis acceptabilem et indubitabilem de complendo illico post infra diem certam et convenientem que complenda supra petiimus et interpellavimus facienda, prout in dictis litteris nostris ac in instrumentis publicis hec interpellatio et quedam alia plenius continentur, aut scilicet quod primitus restitutionem regni Majoricarum et insularum et aliorum eidem regno adjacentium, necnon et castri et vallis de Rippis, et aliorum que ex parte ipsius domini Jacobi de Aragonia implenda et perficienda existunt juxta dictum pacis tractatum et ordinationem apostolicam ex nunc re et verbo, prout erit possibile, faciatis, et absque disgressu non necessario et more dispendio restitutionem predictorum et eorum que sui natura insunt tali restitutioni continuare curetis. Et nos offerimus in continenti absque intervallo temporis rei agende non necessarii prestare vobis firmitatem acceptam secundum dictamen vestrum et vestro arbitrio, nature rei de qua agitur convenientem, que complenda sunt ex parte dictorum dominorum regum Francie et Majoricarum, et nobis complenda mandantur, scilicet super dicta restitutione predictorum castrorum, fortaliciorum, et stabilium et aliorum complendorum, prout superius continetur. Quibus quidem oblationibus, petitionibus, interpellationibus, protestationibus, et obtioni seu obtionibus suprasriptis predicti domini Bremundus de Monteferrario et Jacobus de Muredine, milites, et Arnaldus Bajuli, nuncii seu procuratores dicti domini regis Majoricarum, pro ipso et nomine ipsius consentientes obtulerunt, petierunt, interpellaverunt, et protestati fuerunt, et obtionem dederunt, quatenus ad ipsum dominum regem Majo-

ricarum pertinet seu pertinere potest vel debet, in omnibus et per omnia prefatis nunciis, seu procuratoribus dicti domini Jacobi de Aragonia, sicut per prefatos dominos Carcassonensem episcopum et magistrum Petrum de Bituris, nuncios seu procuratores dicti domini regis Francie, ob[41]latum, petitum, interpellatum, protestatum et obtioni datum extitit, prout superius continetur. Quorum omnium prescriptorum predicti procuratores seu nuncii predicti domini Jacobi de Aragonia copiam sibi fieri petierunt, ut super illis deliberare valeant et ad ea respondere, si eis videatur fore respondendum. Quam copiam et transcriptum omnium predictorum predicti domini procuratores seu nuncii dictorum Francie et Majoricarum regum concesserunt et fieri etiam mandaverunt in crastinum mane apud Panissars. Et cum dicti procuratores seu nuncii dicti domini Jacobi de Aragonia requisiti fuissent per prefatos nuncios seu procuratores dictorum dominorum regum Francie et Majoricarum quod de mandato suo copiam eis facerent, iidem nuncii seu procuratores dicti domini Jacobi de Aragonia ostensa et publice lecta quadam littera patenti sigillo ipsius domini Jacobi, ut prima facie apparebat, pendenti cereo sigillata, copiam de dicta littera seu mandato, sine tamen die et anno et aliquo titulo dignitatum ipsius domini Jacobi, concedentes, tradiderunt quamdam papyri cedulam predictis procuratoribus seu nunciis predictorum regum pro transcripto dicte littere seu mandati predicti.

Cujus cedule tenor talis est: JACOBUS, etc. Confidentes de fide et discretione fidelium nostrorum Berengarii de Castro Eulino, vicarii Gerunde, Raymundi de Toylano et Raymundi Calveti, judicum nostrorum, eis et cuilibet eorum in solidum recipiendi castra, fortalicia et stabilia omnia que illustris rex Francie et inclitus dominus Jacobus, patruus noster, vel alius pro ipso rege Francie seu nomine suo tenent occasione guerre inter nos et predecessores nostros et dictum regem Francie diu mote et omnia alia que per dictum regem Francie juxta tractatum pacis, qui per dictum regem Francie et illustrem Karolum, fratrem ejus, ac procuratores et nuncios eorum, ex una parte, et per nos, procuratores et nuncios nostros, ex altera, coram summo pon[42]tifice concessus extitit et firmatus, et per ipsum summum pontificem approbatus et confirmatus, debent nobis fieri et compleri a venerabili Petro, Carcassonensi episcopo, et Petro de Bituris, succentore Aurelianensi, qui a predicto rege Francie restituendi nobis predicta castra, fortalicia et stabilia, et faciendi et complendi omnia supradicta plenam

habent et liberam potestatem , et consentiendi etiam et firmandi quod vallis de Herany ponatur et sit in sequestro romane Ecclesie, et quod de possessione ejusdem vallis, salvo jure proprietatis utrique parti, cognoscatur, prout in tractatu pacis predicto extitit ordinatum et continetur in eo, auctoritate presentium plenariam tribuimus et concedimus potestatem, ratum et firmum habituri quicquid per ipsos vel eorum alterum super predictis fuerit pro nobis et nomine nostro factum. In cujus rei testimonium, etc. Acta sunt predicta apud Panissars in ecclesia predicta Beate Marie anno et die predictis, presentibus ad hec venerabilibus et discretis viris dominis Guillelmo de Castillione, archidiacono Carcassonensi, Stephano Cadelli, priore de Betolla, Geraldo Aderro, domicello, Bernardo Columbi, notario de Figariis, Eveno Guillemoti, rectore ecclesie de Monteclaro, et Bartholomeo Vesiani, publico auctoritate imperiali notario, testibus ad hec vocatis specialiter et rogatis, et me Laurentio Plasense, notario publico Perpiniani. Quo crastino supradicto, scilicet pridie kalendas febroarii, tricesima prima die mensis januarii, mane, anno predicto, convenerunt apud Panissars in ecclesia Beate Marie predicta suprascripti nuncii seu procuratores dictorum dominorum Francie et Majoricarum regum, ex parte una, et predicti vicarius et judex Gerundensis, nuncii seu procuratores dicti domini Jacobi de Aragonia, ex altera. Et tunc iidem procuratores seu nuncii ipsius domini Jacobi de Aragonia protestati fuerunt pro ipso et obtulerunt predictis procuratoribus seu nunciis dictorum regum ut infra sequitur, et easdem pro[43]testationes et oblationes scriptas tradiderunt in quadam papyri cedula; quasque etiam protestationes et oblationes in effectu heri in loco predicto fecerant dominis procuratoribus seu nunciis regum predictorum.

Cujus papyri cedule dictas protestationes et oblationes continentis tenor talis est : NOVERINT universi quod anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo [1298, n. st.], pridie kalendas febroarii, nos, Berengarius de Castro Eulino, vicarius Gerunde et Bisulduni pro domino rege Aragonie, et Raymundus Calveti, judex ipsius domini regis, procuratores dicti domini regis Aragonie in hac parte, protestamur vobis venerabilibus viris domino Petro, episcopo Carcassonensi, et Petro de Bituris, succentori Aurelianensi, nunciis seu procuratoribus illustris regis Francie quod nos, nomine domini regis Aragonum, sumus parati et offerimus nos paratos recipere castra, fortalicia et stabilia, si ea nobis tradere volueritis, que

illustris rex Francie et inclitus dominus Jacobus, patruus dicti domini regis Aragonum, vel alius pro ipso rege Francie seu nomine suo tenent occasione guerre inter dominum regem nostrum Aragonum et predecessores dicti domini regis et dictum regem Francie diu mote. Sumus etiam et offerimus nos paratos firmare, ponere et consentire pro domino rege Aragonie antedicto quod vallis de Aran sit in sequestro romane Ecclesie, et quod de possessione ejusdem vallis, salvo jure proprietatis utrique parti, cognoscatur, prout in tractatu pacis habito inter predictos illustrem regem Francie et illustrem Karolum, ejus fratrem, ac illustrem regem Aragonum vel eorum nuncios ordinatum extitit et condictum. Qua papyri cedula lecta et tradita, predicti domini procuratores seu nuncii dictorum dominorum regum Francie et Majoricarum obtulerunt eisdem procuratoribus seu nunciis dicti domini Jacobi de Aragonia, petierunt, interpellaverunt, protestati fuerunt, et obtionem dederunt in omnibus et per om[44]nia sicut heri fecerant, et prout superius continetur, requirentes eosdem procuratores seu nuncios dicti domini Jacobi de Aragonia quod ad premissas oblationes, petitiones, interpellationes, protestationes et obtiones responderent, et quod copiam et transcriptum eorumdem reciperent; quod transcriptum paratos eis incontinenti tradere se dixerunt. Qui respondentes dixerunt quod non habebant potestatem respondendi ad premissa a dicto domino suo, nec recipere transcriptum predictum curabant, quia nec mandatum habebant ad hoc a dicto suo domino, ut dixerunt, asserentes quod non venerant, nec potestatem aliam habebant, nisi solum ad recipiendum castra, fortalicia et stabilia predicta, et ad facienda alia que in supra proxime scripta papyri cedula per eos tradita continentur. Acta sunt hec omnia suprascripta apud Panissars anno, diebus, mense et loco predictis, presentibus ad ea omnibus testibus supra nominatis seu scriptis ad hec specialiter vocatis et rogatis, et me dicto Laurentio Plasense, publico notario Perpiniani, qui premissis omnibus et singulis actis apud Panissars in ecclesia Beate Marie predicta per dictos dominos procuratores seu nuncios dictorum dominorum Francie et Majoricarum regum ac predicti domini Jacobi de Aragonia illustris presens una cum dictis testibus interfui, et requisitus ac mandatus ab eisdem procuratoribus seu nunciis dictorum dominorum regum Francie et Majoricarum hec omnia suprascripta manu propria scripsi, et in hanc publicam formam redegi, et hoc meo solito signo signavi.

XIV

Jacobi regis Arragonum litterae[1] de restitutione facienda Jacobo, regi Majoricarum. — 30 juin 1298.

Notum sit universis quod nos Jacobus, Dei gratia rex Aragonum, Valencie et Murcie, et comes Barchi[45]none, attendentes et considerantes quod nos tertio kalendas julii anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo sollempniter nos obligavimus et firmiter nos astrinximus vobis domino Jacobo, Dei gratia regi Majoricarum, comiti Rossilionis et Ceritanie, et domino Montispessulani carissimo patruo nostro, et vobis venerabili Petro, episcopo Carcassonensi, et Petro de Bituris, succentori Aurelianensi, nunciis et procuratoribus illustrissimi regis Francie et incliti Karoli Alanconii, Valesii, Carnotensis, Andegavensis comitis, ejus germani, de restituendo vobis, regi Majoricarum predicto, vel vestro certo mandato, in instanti festo Nativitatis Domini, regnum Majoricarum et insulas Minorice et Evisse, et alias insulas eidem regno adjacentes, necnon castrum et vallem de Rippis, prout continetur in instrumentis dicta die receptis, scriptis manu Michaelis Rotlandi, notarii publici Perpiniani, ob honorem et amorem consanguinei nostri regis Francie antedicti, et ob sincere dilectionis affectum quam ad vos, regem Majoricarum, carissimum patruum nostrum, singulariter.....ostendendum magis et clarificandum bonum animum nostrum et bonam voluntatem et intentionem, quam ad vos habemus, non recedentes ab obligationibus antedictis, nec eisdem in aliquo detrahentes, nec ipsarum novationem aliquam facientes, sed easdem corroborantes et fortificantes... adherentes, promittimus vobis karissimo patruo nostro, regi Majoricarum predicto, et vobis, nunciis et procuratoribus antedictis, nos restituturos vobis vel vestro certo mandato hinc ad primam diem instantis mensis augusti, qua intitulatur kal. augusti, regnum Majoricarum et insulas Minorice et Evisse, et alias eidem adjacentes, necnon castrum et vallem de Rippis, tenenda per vos et habenda a nobis simul cum alia terra vestra juxta conventiones, pacta et conditiones factas et facta dudum inter illustrissimum dominum Petrum, felicis recordationis pa[46]trem nostrum.....,

1. Ex authentico, *Bal.* ; pièce non retrouvée.

noviter renovatas et renovata, prout constat per publicum instrumentum manu Michaelis Rotlandi, notarii publici Perpiniani, factum, volentes et mandantes et precipientes quod nobilis Raymundus Fulconis, procurator noster generalis in Catalonia, se vobis, cum sacramento et homagio, obliget..... de restituendo vobis dictum regnum Majoricarum et insulas antedictas dicto tempore; facta tamen nobis prius restitutione castrorum inferius notatorum; vel etiam non facta dicta restitutione, si per nos vel partem nostram staret quominus fieret restitutio dictorum castrorum, et posita valle de Aran in manu vestri, regis Majoricarum, tanquam in manu sequestri, traditisque vobis nomine nostro recipienti castro de Salvaterra et locis de Ul et de Flera, de quorum vallis et castri de Salvaterra et locorum de Ul et de Flera positione in manu vestra credatur solo simplici verbo vestro vel littere vestre bona fide sine..... Raymundo Fulconis. Et quod ita teneamus et compleamus, et quod contra predicta vel aliquod predictorum non veniamus, bona fide et per stipulationem vobis promittimus sub bonorum nostrorum omnium ypotheca, et juramus ad sancta Dei quatuor evangelia a nobis gratis tacta. Et homagium... presenti. Ad hec nos Raymundus Fulconis, Dei gratia vicecomes Cardone, de mandato dicti domini regis Aragonum, quod nos, rex Aragonum, confitemur esse verum, tenentes regnum Majoricarum et insulas antedictas nobis commendatum et in manu nostra positum..... Aragonum, ut melius et commodius possit fieri restitutio eorumdem vobis, domino regi Majoricarum predicto, promittimus vobis, dicto domino regi Majoricarum, quod facta prius per vos dictorum castrorum restitutione, vel etiam non facta, si per nos staret quominus fieret restitutio dictorum..... Majoricarum cum insulis Minorice et Evisse et aliis eidem regno adjacentibus vobis restituamus vel vestro certo man[47]dato hinc ad primum diem instantis mensis augusti, qua intitulabitur kal. augusti. Et quod ita teneamus et effectualiter compleamus, promittimus vobis dicto domino..... nostrorum omnium ypotheca, et juramus ad sancta Dei quatuor evangelia a nobis gratis tacta, et homagium inde vobis facimus ore et manibus in presenti. Nomina autem castrorum restituendorum per vos dictum regem Majoricarum sunt hec, videlicet castra de Castronovo..... Podio, de sancto Felice, medietas castri et ville de Cereto, salvo tamen jure domine Ave, matris Jazberti, de Castronovo, in dictis castro et villa de Cereto; de Bastida, salvo jure vestri domini

regis Majoricarum, ratione obligationis quam inde habetis ratione cessionis vobis facte per nobilem..... Arnaldum de Corsavino, ratione novem milium solidorum Melgoriensium. Item castrum de Rainio, verbaliter tamen et etiam realiter soluto debito, pro quo est obligatum vobis. Item castrum de Palaudano, item de Fontanils, item de Rocabertino, item de Capmayn, item de Capraria, item de Massanes, item de Cantabris, item de Joncheria, item de Requesen, item de Avalrino, salvo jure Ferrarie et filiarum suarum. In quorum testimonium hoc presens instrumentum publicum et authenticum sigillorum nostri regis Aragonum et Raymundi Fulconis predictorum appensione duximus roborandum. Actum est hoc in castris prope..... dyocesis Elnensis, videlicet pridie kalendas julii, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo. Signum Jacobi, Dei gratia regis Aragonum predicti, qui hoc laudamus, firmamus et juramus. Signum Raimundi Fulconis predicti, qui hoc laudamus, firmamus et juramus. Signum reverendi domini Raymundi, Dei gratia episcopi Elnensis, fratris Raimundi de Ribeles, castlani Emposte, magistri Hospitalis in Aragonia et Catalonia, fratris Raimundi de Guardia, ordinis militie [48] Templi, venerabilis Jaufredi, abbatis Fuxensis, Jacobi de Muredine et Berengarii de Vilaragut, militum, testium. Michael Rotlandi, notarius publicus Perpiniani, hanc cartam scripsit mandato domini regis Aragonum et nobilis Raimundi Fulconis predictorum, et hoc signum fecit.

XV

Litterae[1] Raymundi Fulconis, vicecomitis Cardonae, de eadem re. — 29 juin 1298.

Universis notum existat quod nos Raimundus Fulconis, Dei gratia vicecomes Cardone, tenentes regnum Majoricarum cum insulis Minorice et Evisse et aliis eidem regno adjacentibus pro illustrissimo domino Jacobo, Dei gratia rege Aragonie, tanquam per ipsum dominum regem Aragonie nobis tradita seu in manu nostra posita seu commendata, ut melius et securius possit fieri restitutio eorumdem vobis, domino Jacobo, Dei gratia regi Majo-

1. Ex authentico, *Bal.*; pièce non retrouvée.

ricarum, comiti Rossilionis et Ceritanie, et domino Montispessulani illustri, juxta conventa hodie et ordinata inter dictum dominum regem Aragonum, ex una parte, et vos, dictum dominum regem Majoricarum, et reverendum in Christo patrem dominum Petrum, Dei gratia, episcopum Carcassonensem, et venerabilem magistrum Petrum de Bituris, succentorem Aurelianensem, nuntios et procuratores serenissimi principis domini Philippi, Dei gratia regis Francie illustris et incliti domini Karoli, ejus germani, Valesii, Alanzonie, Carnotis et Andegavie comitis, ex altera, de quibus conventis et ordinatis constat per publicum instrumentum hodie confectum manu Michaelis Rotlandi, notarii publici Perpiniani, idcirco in Dei nomine, de mandato, voluntate expressa, jussu et precepto dicti domini regis Aragonum, quod nos dictus rex Aragonum verum esse confitemur, promittimus nos [49] dictus Raimundus Fulconis vobis, domino regi Majoricarum predicto, et vobis nunciis et procuratoribus antedictis, nomine dictorum dominorum vestrorum stipulantibus, nos realiter, efficaciter et de facto, pure, simpliciter et absolute et sine alterius cujusvis conditionis adjectu restituturos in instanti festo Natalis Domini vobis domino regi Majoricarum predicto vel vestro certo mandato regnum Majoricarum et insulas Minorice et Evisse et alias eidem regno adjacentes, necnon castrum et vallem de Rippis, cum fructibus et obventionibus inde percipiendis ab hodierna die usque in diem dicte restitutionis de facto vobis vel vestro certo mandato faciende, deductis tamen expensis moderatis pro custodia dicte terre et ejus regimine faciendis, facta tamen prius restitutione dicto domino regi Aragonie seu deputato vel deputatis ab ipso castrorum et locorum specialiter et expressim inferius nominatorum. Sane, si staret per ipsum dominum regem Aragonie vel deputandum seu deputandos ab eo quominus per vos seu mandato vestro castrorum fieret restitutio predictorum, restitutionem dicte terre vobis similiter facere promittimus sub sacramento et homagio, dicta die Natalis Domini, realiter et precise. Hec autem promittimus vobis, dicto domino regi Majoricarum, et nunciis seu procuratoribus antedictis quibus supra nominibus stipulantibus nos facturos et perfecte completuros, ut supra dictum est, sub bonorum omnium ypotheca. Et quod ita teneamus et servemus ac integre compleamus juramus vobis per Deum et ejus sancta evangelia a nobis corporaliter gratis tacta, et inde facimus vobis homagium ore et manibus in presenti. Dictorum autem castrorum

et locorum per vos dominum regem Majoricarum restituendorum nomina sunt hec : videlicet de Castronovo, de Pontiliano, de Pulcropodio, de sancto Felice, medietas castri et ville de Cereto, salvo jure domine [50] Ave, matris Jazberti de Castronovo, in eisdem castro et villa de Cereto; item de Bastida, salvo jure vestri, regis Majoricarum predicti, ratione obligationis quam ibi habetis, ratione cessionis vobis facte per Poncium de Guardia contra Arnaldum de Corsavino, ratione novem millium solidorum Melgoriensium; item castrum de Raimon, salva obligatione quam vos, domine rex Majoricarum, ibi habetis; item castrum de Palaudano, item de Fontanils, de Rocabertino, item de Capraria, item de Capmayn, item de Massanet, item de Cantalops, de Joncheria, de Requesen et de Avalrino, salvo jure Ferrarie et filiarum suarum. In quorum testimonium nos, rex Aragonum, et Raimundus Fulconis memorati, hoc presens publicum instrumentum sigillorum nostrorum appensione duximus roborandum. Actum est hoc in castris prope Argilers, Elnensis dyocesis, in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli, videlicet tertio kalendas julii, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo. Signum nobilis Raimundi Fulconis predicti, qui hoc laudamus, firmamus et juramus. Signum Jacobi, Dei gratia regis Aragonie predicti, qui hec omnia concedimus et laudamus. Signum reverendi patris domini Raimundi, Dei gratia episcopi Elne, fratris Raimundi de Ribeles, castellani Emposte, magistri Hospitalis in Aragonia et Catalonia, venerabilis domini Jaufredi, abbatis Fuxensis, Pontii, prepositi de Solsona, Bernardi de Sarriano, et Bremundi de Monteferrario et Jacobi de Muredine, militum, fratris Raimundi de Guardia, ordinis militie Templi, Arnaldi Bajuli, jurisperiti, judicis ipsius domini regis Majoricarum, Berengarii de Vilaragut et Guillelmi de Podio Orfila, testium. Michael Rotlandi, notarius publicus Perpiniani, hanc cartam scripsit mandato dictorum regum Aragonie et Majoricarum, et hoc signum fecit.

XVI

[51] Litterae[1] Petri episcopi Carcassonensis et socii ejus de eadem re. — 30 juin 1298.

Notum sit universis hoc presens instrumentum publicum inspecturis quod nos Petrus, permissione divina Carcassonensis episcopus, et Petrus de Bituris, succentor Aurelianensis, nuntii et procuratores ad infrascripta excellentissimi principis domini Philippi regis Francie illustris et incliti domini Karoli, ejus germani, Valesie, Alançonii, Carnotensis, et Andegavensis comitis, attendentes et considerantes in ordinatione summi pontificis facta per eumdem tempore tractatus pacis inter dictos dominos nostros seu eorum nuntios et procuratores, ex parte una, et magnificum dominum Jacobum, regem Aragonie, seu ejus procuratores et nuntios, ex altera, et in ipso tractatu pacis inter cetera contineri quod omnia stabilia capta hinc inde occasione guerre que tunc erat inter dictas partes, adjutores et valitores et subditos eorumdem, hinc inde debere restitui sive reddi, idcirco nos volentes perficere et adimplere que dictis dominis nostris perficienda et adimplenda incumbunt secundum tenorem tractatus pacis et ordinationis predictorum, castrum de Salvaterra et castra seu loca de Ul et de Filera, sita in Aragonia, capta occasione dicte guerre per gentes dictorum dominorum nostrorum, auctoritate et potestate a dictis dominis nostris datis nobis et concessis, vobis domino Jacobo, regi Majoricarum illustri, tradimus *(a)* verbo, et ipsa realiter et de facto vobis seu illi quem super hoc duxeritis deputandum, auctoritate qua fungimur, tradi per gubernatorem Navarre precipimus et mandamus, per vos illustrissimo regi Aragonum antedicto vel ejus certo mandato pro ipso restituenda secundum ordinationis papalis tenorem, quando per eum vel ejus certum man-[52]datum fueritis requisiti, vel etiam non requisiti, prout fore vobis videbitur faciendum. Et nos, dictus rex Majoricarum, dictum castrum de Salvaterra et loca predicta de Ul et de Filera recipientes, nomine et vice vestri domini regis Aragonum boni *(b)* nepotis nostri, promittimus castrum et loca predicta cum omnibus perti-

a) tradidimus, *Bal.* — *b)* bonni, *doc.*

1. D'après *J 164*, n. 10 (Archives nationales).

nentiis et juribus eorumdem restituere vobis vel Lupo Ferrent, procuratori vestro generali in Aragonia, quandocumque per vos vel vestrum certum mandatum fuerimus requisiti, ita tamen quod nobis liceat castrum et loca predicta vobis vel dicto procuratori vestro seu ejus locumtenenti restituere, quantumcumque non fuerimus requisiti. Et quod predicta omnia teneamus et observemus et inviolabiliter compleamus super hoc ad sancta Dei evangelia juramus a nobis corporaliter gratis tacta, et nichilominus homagium vobis ore et manibus facimus in presenti. In cujus rei testimonium hoc presens instrumentum sigillorum nostri regis Majoricarum et nuntiorum predictorum appensione duximus roborandum. Acta sunt hec in castris prope Argilers, Elnensis dyocesis, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, indictione undecima, trigesima die mensis junii, pontificatus domini Bonifacii pape VIIJ anno quarto, presentibus reverendo patre domino R[aymundo], Dei gratia episcopo Elnensi, venerabili fratre Raymundo de Ripellis, castellano Emposte, magistro ordinis Hospitalis in Aragonia et Cathalonia, dominis Jaufrido abbate Fuxensi, Poncio preposito Solsonensi, Bernardo de Sarriano, Bermundo de Monteferrario, Jacobo de Mora, Berengario de Villareguto, militibus, fratre Raymundo de *(a)* Gardia ordinis militie Templi, Arnaldo Bajuli jurisperito, Guillermo de Podio Orfila, testibus ad hoc vocatis, et me Bartholomeo Vosiani publico auctoritate imperiali notario, qui hec omnia manu scripsi propria, et etiam signo meo solito signavi requisitus et mandatus.

XVII

[53] Philippi IV, regis Francorum, litterae[1] quibus confirmat pacem initam inter reges Arragonum et Majoricarum. — Béziers, 8 février 1304 (n. st.).

Philippus, Dei gratia Francorum rex, universis presentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus quod cum nos et dilectus et fidelis K[arolus], Valesie comes, germanus noster carissimus,

a) sa, *doc.*

1. Ex authentico, *Bal.*; pièce non retrouvée.

tradidimus carissimo avunculo nostro Jacobo, Dei gratia regi Majoricarum illustri, litteras nostras approbatorias et confirmatorias pacis inite inter sacrosanctam romanam Ecclesiam, nos dictum regem et prefatum germanum nostrum ex una parte, et illustrem regem Aragonum ex altera, per ipsum avunculum nostrum predicto regi Aragonum reddendas cum litteras consimiles approbationis dicte pacis recepisset ab eo, prefatus avunculus noster se nobis et dicto germano nostro per suas patentes litteras nobis traditas obligavit ad reddendum nobis consimiles litteras illis dicti regis Aragonum approbatoriis dicte pacis. Cum igitur avunculus noster predictus, prout nobis et dicto germano nostro promiserat, litteras dicti regis Aragonum approbatorias dicte pacis nobis recipientibus tam pro nobis quam pro germano nostro predicto tradiderit et reddiderit, confitemur et recognoscimus ipsum avunculum nostrum a dicta obligatione esse liberum et immunem, et eidem promittimus nos reddituros eidem litteras obligationis predicte, quas ad presens non habemus in promptu, nobis et dicto germano nostro traditas super dictis litteris prefati regis Arragonum approbatoriis pacis predicte nobis et dicto germano nostro tradendis cum hoc compleverit, quodque litteras obligationis predicte tam nobis quam dicto germano nostro per eum traditas eidem avunculo nostro mittemus per certum nuncium nostrum quam prius obtulerit se facultas. In cujus rei testimonium presentibus litteris nostrum fe[54]cimus apponi sigillum. Actum Biterris, die sabbati post Candelosam, anno Domini MCCC tertio.

XVIII

PROTECTIO[1] SPECIALIS CONCESSA MAGISTRIS ET SCHOLARIBUS MONTISPESSULANI PER PHILIPPUM IV, REGEM FRANCORUM.— Châteauneuf-sur-Loire, novembre 1301.

Philippus, Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis presentibus et futuris quod nos dilectorum nostrorum magistrorum, bacallariorum et scolarium in facultate medicine apud Montempessulanum studentium, ut tutius in dicto Montipessulani loco residere ibidemque circa studium melius et frequentius pacificeque

1. Ex archivio regio Parisiensi, *Bal.*; pièce non retrouvée.

vacare valeant, supplicationibus inclinati, ipsos ac eorum successores magistros, bacallarios et scolares in facultate predicta, qui in predicto loco causa studii moram traxerint in futurum, cum omnibus bonis suis in nostra protectione regia specialique gardia suscepimus ac suscipimus de gratia speciali per presentes : quibus mandamus senescallo Bellicadri moderno et qui pro tempore fuerit, ejusque locumtenenti ac ceteris justiciariis nostris, et cuilibet eorumdem, ut supra nominatos magistros, bacallarios et scolares, et singulares eorum in suis juribus, libertatibus, justis possessionibus et saisinis manuteneant et conservent, et ab injuriis, violentiis, oppressionibus, molestiis et indebitis novitatibus tueantur faciantque defendi sub nostris gardia et protectione predictis, et si quicquam contra ipsos aut eorum aliquem in nostre prejudicium gardie attemptari contingat, illud ad statum reduci debitum celeriter faciant, nobisque proinde ac ipsis emendam prestari condignam, prout ad eorum quemlibet pertinebit. Quod ut ratum et stabile perpetuo perseveret, nostrum presentibus litteris fecimus apponi sigillum. Actum apud Castrum novum supra Ligerim, anno Domini millesimo trecentesimo primo, mense novembris.

XIX

CLEMENTIS V PAPAE

PHILIPPI IV, REGIS FRANCORUM ET ALIORUM EPISTOLAE LXXI[1]

---

[55] Clementis V epistola[2] ad Philippum, regem Francorum, de negotio castri Malileonis, vulgo « Mauléon de Soule ». — Bordeaux, 7 juillet 1306 *(a)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Affectu paterno recepimus tue celsitudinis litteras preces regias pro filio nobilis viri Augerii de Maloleone, militis, continentes. Profecto, fili karissime, statim cum audivimus quod predictus Augerius ad tuam personaliter accesserat presentiam, disposuimus ad te super negocio castri de Maloleone, quod est inter te et regem Anglie, sicut nosti, specialem nostrum nuncium destinare. Sed quia postmodum scripsisti nobis quod eras ad nos tuos in proximo nuncios transmissurus, nos credentes quod iidem nuncii super eodem negocio de mandato forent regio nobis aliquid relaturi, ab hujusmodi nostri nuncii missione usque ad adventum nunciorum tuorum fore providimus desistendum. Verum cum credamus quod adhuc dictus Augerius a tua presentia non recesserit, serenitatem regiam rogamus et hortamur attente quatinus nostrum ac Ecclesie romane, et tuum honorem, attenta meditatione, prospiciens, ac habens debitum ad christianitatis bonum et terre sancte passagii respectum, que a te precipuum remedium *(b)* conso[56]lationis expectat, considerans insuper gravia pericula que possent ex hujusmodi negocio predicti castri contingere, quod-

a) Anno 1305 *(sic)*, *Bal.* — *b)* remedia, *doc.*

---

1. Baluze indique comme sources les archives royales de Paris : ex archivo regio Parisiensi. — 2. D'après *J 703*, n. 149[1] (Archives nationales); copie dans le ms. latin *10919*, fol. 57 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

que nulla deveria tibi debita, sicut nosti, propterea differuntur, omnino procures et facias quod dictus miles, antequam a tua discedat presentia, prefatum castrum expeditum et liberum in tuis manibus dimittat, deliberet et assignet, ut de ipso disponere valeas secundum quod videris expedire. Ipso autem milite hoc efficaciter adimplente, nos super facto supplicationis tue pro dicto ejus filio sic gratiose agemus quod videre poteris bonam affectionem quam ad dictum negocium habuimus et habemus. Et quia scire cupimus qualiter in hac parte successerit, quod fieri contigerit super hoc per regias litteras celeriter scribas nobis. Sic autem in hiis regia se habeat excellentia quod digne possit exinde apud Deum et homines ac sedem apostolicam de circumspectionis studio commendari. Super hiis etiam predicto militi per nostras scribimus litteras, quarum transcriptum magnificentie tue mittimus presentibus interclusum. Super eo vero quod nobis dudum scripsisti, quod postquam ordinatum Lugduni extitit quod duo pro parte tua et duo pro parte regis predicti ordinarentur qui omnia dampna data hinc et inde a tempore treuge inite et pacis etiam subsecute inter te et regem prefatum facerent emendari, unus ex illis pro parte ipsius [57] regis deputatis prefato negocio recesserat imperfecto, et quod post ordinationem hujusmodi mercatores aliqui regni tui et eorum bona per prefatum regem Anglie et suos arrestati et bona predicta occupata fuerant et saisita, regia noverit celsitudo nos prefato regi nostras litteras direxisse, et ab eo super predictis responsionem habere; quam tibi nunciare differimus, quia tuis nunciis, qui proxime sunt venturi, illam intendimus latius explicare; ut per eos postmodum tibi que in responsione hujusmodi continentur plenius nota fiant. Datum Burdegalis, nonis julii, pontificatus nostri anno primo.

Ejusdem Clementis epistola[1] ad Augerium de Maloleone. Bordeaux, 7 juillet 1306*(a)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Augerio de Maloleone, militi, salutem et apostolicam benedictionem. Litteras tuas paterna benignitate recepimus, per quas

a) Anno 1305 *(sic)*, *Bal.*

1. D'après *J 703*, n. 149[1] (Archives nationales); copie dans le ms. précité, fol. 58 r°.

nobis pro filio tuo devota instantia supplicasti, necnon et aliqua super castro de Maloleone ad nostram notitiam deduxisti. Nos autem te ad salubria dirigi cupientes, devotionem tuam attentius exhortamur quatinus honorem nostrum et Ecclesie romane ac karissimi in Christo filii nostri Philippi, regis Francorum illustris, cui tam devote, tam constanter et honorifice servivisti, reverenter attendens, et salubri meditatione considerans bonum christianitatis, et precipue Terre Sancte, que a te ac aliis Christi fidelibus remedia consolationis expectat, pensans etiam pericula gravia que ex facto castri predicti in posterum sequi possent, castrum ipsum in manibus prefati regis Francorum absque dilationis et difficultatis obstaculo ponas, deliberes, et assignes, ut de ipso disponat et faciat quod viderit expedire. Vollemus quidem, fili, libenter quod illud et alia plura castra haberes, si posses ea licite et absque periculo retinere. Sed videntes quod hoc non potest [58] absque graviori periculorum eventu contingere, ad assignationem fiendam hujusmodi te, qua possumus instantia, excitamus, ut vitentur pericula, et sperate tranquillitates eveniant, ad quas procurandas ex debito tenemur officii pastoralis. Scire autem te volumus quod assignatione dicti castri a te, ut premittitur, procedente, faciemus pro filio tuo predicto super supplicatione, per te pro ipso porrecta, tantum quod videre poteris bonam affectionem, quam ad te et prefatum filium habuimus et habemus. Datum Burdegalis, nonis julii, pontificatus nostri anno primo.

Ejusdem Clementis epistola[1] ad regem Philippum de gravaminibus Ecclesiae Gallicanae.—Bordeaux, 27 juillet 1306 *(a)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Nobiles viros Milonem, dominum de Nueriis *(b)* marescallum Francie, Guillelmum de Martinhiaco et Guillelmum dictum Cortehuse *(c)* milites, nuncios tuos, et litteras quas nobis per eos tua serenitas destinavit, libenter vidimus, gratanter recepimus et intelleximus diligenter; et auditis hiis que ex parte tua dicti

a) Anno 1305 *(sic)*, *Bal.* — *b)* Noeriis, *Bal.* — *c)* Cortehuze, *Bal.*

1. D'après *J 703*, n. 153 et 153 *bis*; copie dans le ms. précité, fol. 58 v°.

nuncii proponere curaverunt, diu cogitavimus super illis, et cum familiaribus nostris, qui super hiis nos plenius poterant informare, deliberationem, tractatum et collationem habuimus diligentem. Quibus sollicita meditatione discussis, super eisdem puram tibi veritatem et plenam, verbo et scripto, per dictos nuncios tuos, necnon et dilectos filios Guillelmum, abbatem monasterii Mosiacensis, et Arnaldum de Auxio, canonicum Constanciensem, capellanos nostros, quos propter hoc ad tuam destinamus presentiam, respondemus, et in summa pro summa veritate dicere possumus quod nos, quantum nostram contingit personam, in aliquo predictorum nostra conscientia non accusat; non tamen nunciorum nostrorum antequam verita[59]tem sciamus facta volumus excusare, quoniam, ut sententia beati *(a)* Augustini utamur, quantumlibet disciplina vigilet domus nostre, homines sumus et inter homines conversamur. Unde nec nobis arrogare audemus ut domus nostra melior sit quam archa Noe, ubi inter octo homines electos unus reprobus est inventus, aut sanctior quam domus Abra[h]e, ubi etiam aliqui reprobi sunt reperti, aut perfectior quam domus Ysaac, ubi pars filiorum suorum est a Domino *(b)* reprobata; nec tamen ideo Noe, Abraham et Ysaac sunt a Domino accusati. Sane, licet de gravaminibus per nuncios nostros ecclesiis et personis ecclesiasticis, ut dicti tui nuncii proponebant, illatis miremur plurimum et turbemur, miramur tamen amplius quod prelati, qui hec gravamina pertulisse dicuntur, quos, cum de regno oriundi simus eodem, et magnam habuerimus plerumque familiaritatem cum illis ante promotionem nostram ad apostolatus apicem dignitatis, nostros speciales amicos et benivolos credebamus, nunquam verbo vel scripto, nuncio seu epistola, vel alio quovis modo aliquid de predictis nobis significare vel per aliquem de fratribus nostris cardinalibus facere significari curarunt. Quod si fecissent antequam talia publicassent, honorem Sedis apostolice atque suum fecissent, juri, quod etiam circa minores hoc precipit observari, satisfecissent; et nos tale fecissemus apponi remedium super illis quod nunquam habuissent necesse apud nos vel alios secundam deposuisse querelam. Et quia, licet geramus, quanquam inmeriti, Christi vices in terris, de occultis tamen non possumus divinare, illum qui omnia novit et nichil ignorat suppliciter deprecamur quod excessus nunciorum nostrorum et familiarium, si qui sunt, ad nostram notitiam dedu-

a) sancti, *Bal.* — *b)* a Domino, *omis par Bal.*

cantur. Quod si fiat, taliter corrigentur quod erit ceteris in exemplum. Datum Burdegale, VJ kal. augusti, pontificatus nostri anno primo.

[60] EJUSDEM PAPAE EPISTOLA[1] AD REGEM PHILIPPUM DE NEGOTIO CASTRI MALILEONIS. — Bordeaux, 9 août 1306 *(a)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi [Francie] illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Auditis et diligentius intellectis que per dilectos filios nobilem virum Milonem dominum de Noeriis, marescallum Francie, et alios tuos nuncios, nuper ad nostram presentiam destinatos, nobis super nostra et tua presentiali habenda vista misisti, super hiis cum aliquibus ex fratribus nostris particulariter et cum omnibus in communi in privato consistorio diversos et quamplures tractatus habuimus. Et ecce deliberationem nostram inde per dilectos filios Bertrandum, dominum de Duracio, militem tuum, ac Hugonem Giraldi, canonicum Lemovicensem, capellanum nostrum, tue celsitudini nunciamus, quibus tam super hiis quam super negocio de Maloleone, quod est inter te et regem Anglie illustrem, necnon super bonis et rebus per gentes tuas et ipsius regis in tuo et regis ejusdem regnis captis seu etiam arrestatis, postquam pacis inter te et ipsum regem fuerunt federa reformata, indubitanter credas que vive vocis oraculo ex parte nostra tue magnificentie reserabunt, ac per eos nobis super hiis omnibus tue remittas beneplacitum voluntatis. Datum Burdegalis, v ydus augusti, pontificatus nostri anno primo.

ALIA EJUSDEM EPISTOLA[2] AD EUMDEM REGEM, QUA EI COMMENDAT GUILLELMUM EPISCOPUM BAJOCENSEM. — Bordeaux, 27 août 1306 *(b)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Ad fovendum in caritatis visceribus ecclesiarum prelatos, ac eos precipue qui pontificali preeminent dignitate, eo te fiducialius nostris precibus invitamus quo in bono[61]rum

a) Anno 1305 *(sic)*, *Bal.* — *b)* Anno 1305 *(sic)*, *Bal.*

1. D'après *J 703*, n. 151 (Archives nationales); copie dans le ms. précité, fol. 58 r°. — 2. *Ibidem*, fol. 60 v°.

operum exequtione celsitudinis regalis affectum extimamus magis promptum et facilem invenire, maxime cum apud Deum, cujus prelati hujusmodi sunt ministri, retributionis eterne premium et apud homines laudis preconium tibi exinde merito acquiratur. Sane dudum Bajocensi ecclesia per obitum bone memorie Petri, episcopi Bajocensis, pastoris solatio destituta, nos ad ecclesiam ipsam gerentes paterne dilectionis affectum, et ad votivum et prosperum statum ejus sollicite intendentes, provisionem ipsius ecclesie, ea vice, dispositioni nostre et sedis apostolice duximus reservandam, decernentes extunc irritum et inane si contra reservationem hujusmodi scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Ac demum de provisione ipsius ecclesie, ne ulterioris subjaceret viduitatis incom[m]odis, sollicite cogitantes, et cupientes ei de pastore ydoneo providere, ad personam dilecti filii Guillelmi, electi Bajocensis, quam honestas morum, litterarum scientia et alia grandia sue merita probitatis nobis presentant acceptam, nostre direximus considerationis intuitum, ipsam fore perutilem ad regimen ejusdem Bajocensis ecclesie arbitrantes. Hiis itaque digna meditatione pensatis, ipsum Guillelmum, thesaurarium ecclesie Andegavensis, ipsi Bajocensi ecclesie, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, prefecimus in episcopum et pastorem, firma concepta fiducia quod eidem Bajocensi ecclesie, per ipsius electi providentie studium, prosperitatis et honoris, Deo propitio, grata et utilia provenient incrementa. Cum itaque, fili carissime, sit virtutis opus ecclesias et personas ecclesiasticas, presertim pontificali preditas *(a)* dignitate, benigno favore prosequi, et eas verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari, serenitatem regiam rogamus et hortamur attente quatinus eidem electo, pro nostra et apostolice Sedis reverentia, regalia sine qualibet difficultate concedens, ac ipsum et eamdem ecclesiam sibi conmis[62]sam habens propensius commendatos, ipsos regio favore munias et oportunitatis tempore potentie tue brachio tuearis, ita quod magnitudinem tuam exinde dignis possumus in Domino laudibus commendare. Datum Burdegale, VJ kal. septembris, pontificatus nostri anno primo.

a) predictas, *ms.*

EJUSDEM PAPAE CLEMENTIS EPISTOLA[1] AD REGEM PHILIPPUM DE CONSENSU A SE PRAESTITO ELECTIONI DE SE FACTAE IN SUMMUM PONTIFICEM, ET DE QUIBUSDAM ALIIS NEGOTIIS. — 13 octobre 1305.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Qualiter et quomodo supereminentia deitatis, que merita cunctorum excedit et vota, humilitatem nostram, tunc Burdegalensis ecclesie regimini presidentem, in preeminentia apostolice dignitatis assumpsit, plene recolimus regie celsitudini nostris litteris intimasse, quod de solempnitate consensus a nobis postmodum prestiti et aliorum dependentium ab eodem factum fuisse summo desiderio, prout relatu quorumdam intelleximus, affectasses. Super quo majestatem regiam volumus non latere quod illa, non alia, consideratione omisimus tue magnitudini scribere, nisi ex eo quod Narbonensis archiepiscopus et magister Petrus de Latiliaco, familiares tui, presentialiter ea viderant, per quos regalem magnificentiam de premissis reputavimus esse certam, et ex eo etiam quod diem et locum quibus coronationis nostre solempnia, auctore Deo, proponimus recipere intendebamus sublimitati regie indicare. Eapropter quod in hac parte omissum extitit molestum non gerat regia celsitudo. Consensum autem electioni prefate solempniter et publice, licet inviti, ac multis devicti instanciis prestitimus VIIIJ kal. augusti. Verum super quibusdam que postmodum cum tuis sollempnibus nunciis tractavimus, que mandavimus per te et eos secreta teneri, [63] de quibus nobis postmodum tuis supplicasti litteris quod ea posses tribus vel quatuor personis aliis, de nostra licentia, revelare ultra numerum ex parte nostra tibi per eos intimatum, placet quod ea tribus vel quatuor seu pluribus aliis ultra prefatum numerum communicare valeas, de quibus circumspectioni regie videbitur expedire. Scimus enim quod illa personis non revelabis aliis nisi quas credis honorem nostrum et tuum diligere et zelari. Datum apud Salsanum, IIJ ydus octobris, pontificatus nostri anno primo.

1. D'après *J 703*, n. 147 (Archives nationales) ; copie dans le ms. précité, fol. 61 r°.

PHILIPPI REGIS EPISTOLA[1] AD PAPAM CLEMENTEM, QUA EI GRATIAS AGIT DE RESTITUTIS CARDINALIBUS COLUMNENSIBUS IN PRISTINUM GRADUM. — [Décembre 1305-février 1306.][2]

Sanctissimo patri [*in Domino Clementi, divina providentia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo pontifici,*] *Philippus,* [*eadem gratia Francorum rex, devota pedum oscula beatorum.*] Dilectos amicos nostros Jacobum et Petrum de Columpna, Sedis apostolice cardinales, quorum status restitutio, per clementiam vestram facta, quamplurimum grata nobis accessit, ac omnes de genere suo, benivolos et amicos eorum quoslibet paternitati vestre recommendantes, attentius supplicamus quatinus ipsos et suos sub vestre recommendationis amplexibus gratiosis volentes suscipere, statum eorum, in quantum cum Deo poteritis, foveatis, ut diu calcata ipsorum auctoritas gratiis vigeat successivis.

CLEMENTIS V EPISTOLA[3] AD REGEM PHILIPPUM, QUA EI COMMENDAT BERTRANDUM EPISCOPUM LINGONENSEM. — Lyon, 22 janvier 1306.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Divine gratia majestatis acquiritur si ministris ejus, et *(a)* hiis qui *(b)* precipue pontificali sunt prediti [64] dignitate, pro nostra reverentia condignus honor impenditur et favor necessarius exhibetur. Sane Lingonensi ecclesia per obitum bone memorie Johannis, Lingonensis episcopi, solatio destituta pastoris, nos ad ecclesiam ipsam, utpote devotam et fidelem Ecclesie romane filiam, gerentes paterne dilectionis affectum, et prosperum statum ejus, patris more benivoli, sollicite intendentes, ordinationem ipsius ecclesie Lingo-

a) omis par Bal. — *b)* precipue qui, *Bal.*

1. D'après le ms. latin *10919*, fol. 109 v° (Bibliothèque nationale de Paris). — 2. Cette lettre de remerciement dut être expédiée de décembre 1305 à février 1306, car le pape rendit la pourpre aux Colonna le 15 décembre 1305 et leur restitua tous leurs droits le 2 février 1306; cf. A. Eitel, *Der Kirchenstaat unter Klemens V.*, Leipzig, 1907, p. 209. — 3. D'après le ms. Ottoboniano *2546*, fol. 119 v°, de la Bibliothèque Vaticane; autre copie dans le ms. latin *10919*, fol. 53 v°-54 r°, de la Bibliothèque nationale de Paris.

nensis ea vice provisioni et dispositioni Sedis apostolice duximus reservandam, decernentes extunc irritum et inane si secus in hac parte scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Et tandem considerantes attentius magne devotionis affectum et solide fidei puritatem, quas venerabilis frater noster Bertrandus, episcopus Lingonensis, erga prefatam romanam Ecclesiam inconcusse hactenus observavit et servare continuis studiis non desistit, attendentes etiam grandia probitatis merita, honestatem morum, conversationis et vite mundiciam, et aliarum virtutum dotes multiplices, quibus ipse episcopus noscitur insignitus, ac propterea firma ducti fiducia quod per sue circumspectionis industriam predicta Lingonensis ecclesia in spiritualibus et temporalibus Deo propicio laudanda suscipiet incrementa, deliberatione cum fratribus nostris super hoc habita diligenti, ipsum *(a)* B[ertrandum], tunc Agennensem episcopum, a vinculo, quo Agennensi ecclesie tenebatur astrictus, absolvimus, et ad Lingonensem ecclesiam transtulimus supradictam, ipsumque ipsi *(b)* de fratrum ipsorum *(c)* consilio et apostolice plenitudine potestatis in episcopum preficimus et pastorem, liberam sibi tribuentes licentiam ad ejusdem ecclesie Lingonensis regimen transeundi. Celsitudinem itaque regiam rogandam attente duximus et hortandam quatinus diligenter considerans quod ad tue salutis et fame cedit augmentum, si prelatos *(d)* ecclesiarum terre tue benigni *(e)* favoris gratia prosequaris, eumdem episcopum et ecclesiam sibi commissam habens pro [65] divina et apostolica ac nostra reverentia propensius commendatos, te sibi exhibeas in favore munificum et in gratiis liberalem, ac ipsum et eamdem ecclesiam in bonis et juribus suis favorabiliter manuteneas et defendas; ut ipse, tali et tanto fulcimento subnixus et auxilio communitus, predictam ecclesiam, ad laudem Dei et animarum com[m]odum, suo regimini commissarum, utiliter regere valeat et salubriter gubernare, tuque proinde ab eo, qui pro minimis grandia recompensat, condigna premia prosequaris *(f)*, nosque devotionem tuam, quam in hac parte *(g)* promptam cupimus inveniri, uberibus *(h)* in Domino laudibus attollamus. Datum Lugduni, XJ kal. febr., pontificatus nostri anno primo.

a) prefatum, *Bal.* — *b)* illi, *Bal.* — *c)* nostrorum, *Bal.* — *d)* prelatis, *ms.* — *e) omis par Bal.* — *f)* consequaris, *Bal.* — *g)* hoc *au lieu de* hac parte, *Bal.* — — *h)* uberioribus, *Bal.*

Ejusdem papae epistola[1] ad eumdem regem de sospitate sua et de reservatione ecclesiarum. — Lyon, 11 février 1306.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Serenitatis tue litteras, quibus, sicut devotissimus filius, de statu patris certificari volebas, recepimus gratiose. Licet autem reumate aliquibus diebus fuerimus aggravati, nunc tamen per gratiam Jhesu Christi plena fruimur corporis sospitate. De ecclesiis vero, de quibus nobis tua serenitas *(a)* scripsit, scire te volumus quod nos earum provisiones hac vice nobis duximus reservandas. Quibus ecclesiis de personis Deo, nobis, ac tibi gratis et ecclesiis ipsis utilibus curabimus, dante Domino, providere. Datum Lugduni, iij ydus februarii, pontificatus nostri anno primo.

Petri, episcopi Sabinensis, et Amanevi, domini de Lebreto, epistola[2] ad Ludovicum, comitem Ebroicensem, de negotio castri Malileonis. — Corbeil *(b)*, 2 avril [1307].[3]

Magnifico et potenti domino, domino Ludovico, clare memorie [66] *domini regis Francorum filio, comiti Ebroicensi, Petrus, miseratione divina Sabinensis episcopus, et Amanevus, dominus de Lebreto, apostolice Sedis in Angliam nuncii, salutem et paratam ad beneplacita voluntatem.* Super executione negocii ab apostolica Sede nobis impositi inter serenissimos dominos Philippum, Francie, et Eduardum, Anglie reges illustres, feliciter consummandi procedentibus nobis viriliter et ferventer, expositisque ut decuit negocii prelibati conditionibus, circumstantiis et tractatibus universis, magnitudini vestre presentium tenore describimus quod illius annuente clementia, in cujus manu sunt corda regum et principum, tam prefato regi Anglie et domine regine illustri ac principi ejusdem regis primogenito quam magnatibus, proceribus, baronibus et gentibus universis tractatus ejusdem negotii sic

a) sinceritas, *ms.* — *b)* 1306, *Bal.*

1. D'après le ms. latin *10919*, fol. 53 r° et v° (Bibliothèque nationale de Paris). — 2. Même ms., fol. 79 v°-80 r°. — 3. Cette lettre ne peut être datée que de 1307, car les lettres de créance des deux ambassadeurs furent expédiées le 29 novembre 1306; cf. Rymer, *Fœdera*, Londres, 1816, t. i, 2e partie, p. 1005.

gratus extitit et acceptus quod, ut felicem celeriter consequatur effectum, omnes unanimiter desiderant et affectant, idemque princeps promptus et paratus existit ut quam cito de castri *(a)* Malileonis restitutione constiterit, se ad iter accingat, que ordinata sunt ad invicem et tractata totaliter completurus. Nosque preterea nichil aliud quam restitutionem castri prefati celerem expectamus; quia non valemus ante recedere, nisi prius restitutionem sciverimus dicti castri. Superest igitur ut vos dominum regem Francie, sicut expedire videritis, sollicitetis attentius ut, quantum [poterit], ejusdem castri restitutionem acceleret, ut negocium ipsum, sicut est laudalibiter inchoatum, sic deinceps auctore Domino efficaciter compleatur. Hec huc usque magnitudini vestre significasse nequivimus propter apostolice prohibitionis edictum; et ideo penes vos secreta remaneant quousque per dominum nostrum summum pontificem fuerint intimata. Nobisque quid et qualiter super premissis agi contigerit intimare velitis, qui parati sumus ad omnia que vestris affectibus cognoverimus placitura. Datum Corboli, IIIJ nonas aprilis.

[67] Clementis V epistola[1] ad Philippum, regem Francorum, de Dulcino, heresiarcha. — Poitiers, 15 avril 1307.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Quia inter cunctos principes catholicos orbis terre te scimus velut quoddam sidus lucidissima claritate choruscans, vere religionis ac fidei pura ac precipua devotione clarere, et ut validissimum Christi pugilem ad defensionem ipsius fidei orthodoxe toto cordi affectu intendere vires tuas, propter que in ipsius religionis catholice adversitate quamplurimum contristaris, ac prosperaris in prosperitate ejusdem, more christianissimi principis reddendo te participem in utrisque, ideo, quotiens nobis obvenit leta relatio circa felicem statum sancte romane Ecclesie ac totius fidei christiane, eam tibi ut filio dilectissimo, quem sincerissime dilectionis brachiis amplexamur, libenti animo celeriter intimamus,

a) castro *(sic)*, *Bal.*

1. D'après *J 703*, n. 157 (Archives nationales); copie dans le ms. précité, fol. 80 v°.

scientes in hoc tuum animum ad letitie gaudia eo affectuosius excitari quo ipsius catholice fidei te novimus ferventissimum zelatorem. Hac siquidem die presenti post vesperos nova gratissime exultationis jocunditate fecunda nostris auribus pervenerunt quod ille demon, pestifer filius Belial, horrendissimus heresiarcha Dulcinus, miro Dei prodigio, cum magnis stragibus, laboribus, et periculis, ac expensis quamplurimis frequenter intervenientibus, finaliter est cum multis suis sequacibus nostris carceribus mancipatus per venerabilem fratrem nostrum Raynerium, episcopum Vercellensem, captusque extitit in die sancta Cene Domini proximo preterita per gentes episcopi supradicti, et infinitus populus, qui tunc erat cum ipso, ejus contagio labefactus, occisus extitit illa die. Et ut plenius possis videre modum et formam sub quibus dicte strages et captio processerunt, et ad exul[68]tationis tue gaudium ampliandum, tibi mittimus seriose transcripta litterarum nobis super hoc transmissarum ab episcopo supradicto et a Symone Advocato de Colobiano, cive Vercellensi, presentibus interclusa. Te igitur rogamus et hortamur attente ut super hiis devota ac humili mente assurgas in actionibus gratiarum Domino Jhesu Christo, provide considerans quomodo clementia summi patris pie compassionis oculo humanum christianorum genus respicit incessanter, quantumque in hoc defertur nomini christiano, dum obstacula ipsi catholice *(a)* fidei obviantia dispositione Dei mirifica radicitus extirpantur. Datum Pictavis, XVIJ kal. maii, pontificatus nostri anno secundo *(b)*.

Philippi, regis Francorum, epistola[1] ad papam Clementem de negotio castri Malileonis. — [1307] *(c)*.

Sanctissimo Patri [*in Domino Clementi divina providentia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo pontifici*] *Philippus*, [*eadem gratia Francorum rex, devota pedum oscula beatorum.*] Sanctitatis apostolice recepimus litteras mentionem inter cetera facientes de nogotio castri Malileonis, pro quo disposueratis vestros ad nos nuncios destinare, nisi postmodum cognitus a vobis nostrorum ad vestram presentiam adventus obstasset. Eidem igitur sanctitati vestre presentibus intimamus quod dilectus ac fidelis

a) fidei catholice, *Bal.* — *b)* primo *(sic)*, *Bal.* — *c)* 1306, *Bal.*

1. Même ms. fol. 110 v°.

noster Augerus de Maloleone, fidelitatis cujus constantiam novimus ab experto, castrum predictum ad manum nostram liberaliter posuit, et ponere, prout vobis placuerit, est paratus, ut ex eo nostram facere velimus omnimodam voluntatem. Preces ergo nostras, quas pro nato ipsius vobis porreximus, velitis perducere ad affectum, ita quod idem Augerus, qui ex vestra rescriptione et grato responso spem concepit pro nato suo validam, sperato non fraudetur effectu. Datum, etc. *(a)*.

[69] Clementis V epistola[1] ad regem Philippum de eodem negotio. — Poitiers, 17 juillet 1307 *(b)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Nuper, antequam regalis magnificentie reciperemus litteras, nobis super eo quod dilectus filius nobilis vir Augerus de Maloleone, miles tuus, qui ad tuam accessit presentiam, castrum de Maloleone cum aliis castris in dominio Seule existentibus tibi, ut scripsisti *(c)*, deliberabit in brevi, et aliis certis articulis destinatis, quasdam a venerabili fratre nostro Petro, episcopo Sabinensi, et dilecto filio nobili viro Amanevo, domino de Lebreto, litteras recepimus inter alia continentes quod ipsi, receptis *(d)* quibusdam litteris nostris super hoc tam sibi quam regi Anglie illustri et .. *(e)* principi, primogenito suo, transmissis, statim eidem regi et principi hujusmodi suas litteras destinarunt, regi persuadentes eidem ut pro honore nostro et apostolice Sedis reverentia, pro statu quoque pacifico Francie Anglieque regnorum, ac pro generali bono totius fidei christiane, juxta dictarum ei directarum *(f)* litterarum tenorem patentes litteras fieri faceret, per quas .. senescallo suo Vasconie recipiendi, suo nomine *(g)*, dictum castrum de Maloleone concederet potestatem, quodque tu secure castrum ipsum restitueres senescallo predicto ipsius regis Anglie nomine, qui restitutionem hujusmodi per eumdem senescallum recipiendam ratam et gratam haberet ac si eidem regi personaliter facta foret, quodque

a) omis par Bal.— b) Anno 1306 *(sic)*, *Bal.— c)* dixisti, *Bal.— d)* receptio *(sic)*, *doc.— e)* Eduardo, *ajouté par Bal. — f)* ei directarum, *omis par Bal. — g)* nomine suo, *Bal.*

1. D'après *J 703*, n. 155 (Archives nationales); copie dans le ms. latin *10919*, fol. 45 r° et v°.

insuper rex ipse, antequam predictas nostras sibi missas reciperet litteras, eumdem principem totamque militiam quam secum Londoniis cum magnis ad transfretandum preparatam sumptibus a festo Trinitatis fecerat *(a)*, ac reginam, que jam applicarat *(b)* Londonias, propter tantam prorogationem restitutionis predicte in Scotiam revocavit, mittens ad presentiam nostram venerabi-[70] lem fratrem nostrum .. episcopum Wigorniensem et nobilem virum Thomam de Berkeley, militem, ad excusandum dictum regem Anglie et eumdem principem quod per eos non stetit quin dictus princeps transfretasset et complevisset omnia que hinc inde fuerant ordinata, dummodo nova de dicti castri restitutione, prout ordinatum extiterat, pervenissent, et adhuc cum castrum ipsum fuerit restitutum, sicut debet restitui, et de hoc ad notitiam ejus pervenerit, de transfretatione ipsius principis quantocius ordinabit ad complendum omnia que circa consummationem inchoati negocii necessaria dinoscentur. Nos autem, qui, more laudabili pii patris, pacis inter te et dictum regem tractate completionem et corroborationem, sicut firmiter tenere te credimus, summis desideriis affectantes *(c)*, ad id studia nostra incessanter convertimus et labores nostros indefessis vigiliis et sollicitudinibus adhibemus, ex hiis que in dictis tuis continebantur litteris plurimum exultati *(d)*, illa, prout etiam in dictis tuis petiisti litteris, regi significamus eidem, videlicet quod tantam curam et diligentiam duxeras adhibendam nec majorem posses modo aliquo adhibere quod idem Augerus dictum castrum Malileonis et alia predicta cum pertinentiis eorumdem tibi deliberabit in brevi absque aliquo impedimento pro tua facienda omnimoda voluntate, mediante restitutione per te facienda eidem, de qua se tenet plenarie pro contento, et quod, ut perficiantur premissa, certos fideles nuncios tuos ad partes Navarre e vestigio destinabis, qui castrum et pertinentias ejus predicta nomine tuo et pro te recipient, et restitutionem predictam eidem regi plenius assignabunt; sibique scribimus, juxta quod in ipsis continetur litteris, ut aliquos nuncios de consiliariis suis ad partes istas festinanter mittere non postponat, qui nomine suo castrum predictum cum pertinentiis suis a te recipiendi ac tradendi tibi vel alii de mandato tuo manu ad manum terram de Marenfin in Vasconia cum ipsis terre red [71] ditibus et pertinentiis universis, remittendi quoque dicto Augero omnem ranco-

a) fuerat, *doc.* — *b)* applicatur, *doc.* — *c)* affectamus, *Bal.* — *d)* exhilarati, *Bal.*

rem et omnia alia que in ipsius regis majestatem forsitan attemptaverit temporibus retroactis, plenam et specialem ab eo habeant potestatem; eumdem regem motu proprio nostro nichilominus exhortantes ut eumdem principem, ne vadat in Scotiam, revocet, ita quod, cum dicta restitutio facta fuerit nunciis memoratis, princeps ipse ad transfretandum immediate ad partes istas absque alicujus difficultatis obstaculo sit paratus. Quocirca serenitatem tuam, fili carissime, rogamus attentius et obsecramus in Domino Jhesu Christo quatinus quod de hujusmodi restitutione tam laudabiliter tamque nobis acceptum etiam inchoasti voluntariis semper et continuatis operibus efficaciter prosequaris, ut predicta feliciter et celeriter compleantur, dilationis cujuslibet impedimento remoto, que si contingeret, quod absit, quasi in desperato poneret consummationem negocii prelibati, ac inter te et dictum regem perpetue pacis, dilectionis, et concordie indissolubile vinculum solidetur ad laudem divini nominis, sueque exaltationem Ecclesie, tuique ac dicti regis regnorum pacem et commodum ac tranquillitatem eorum et totius etiam populi christiani. Datum Pictavis, XVJ kal. augusti, pontificatus nostri anno secundo.

EJUSDEM PAPAE EPISTOLA[1] AD EUMDEM REGEM, QUA EI COMMENDAT ARBERTUM AYCELINI, EPISCOPUM CLAROMONTANUM. — Poitiers, 11 août 1307 *(a)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Gratie tibi divine premium et humane preconium laudis acquiritur si ecclesias et personas ecclesiasticas, precipue regni tui, regali presidio foveas et favore benivolo prosequaris; nosque ad id celsitudinem tuam eo fiducialius apostolicis exhortationibus excitamus quo magis illam in operum [72] executione bonorum speramus promptam et facilem invenire. Dudum siquidem Claromontensi ecclesia per obitum bone memorie Petri, episcopi Claromontensis, solatio destituta pastoris, dilecti filii R[aymundus] prepositus et capitulum ipsius ecclesie pro facienda futuri electione episcopi, die ad hoc prefixa, insimul convenerunt *(b)*. Et licet

a) Anno 1306 *(sic)*, *Bal.* — *b)* convenere, *Bal.*

1. D'après le même ms., fol. 53 v°.

dilectus filius frater Bernardus de Ganniaco, ordinis fratrum Predicatorum, in episcopum Claromontensem per viam compromissi fuisset electus, postmodum tamen dilectus filius Johannes de Fargetis, canonicus Claromontensis, asserens quod ad eum ex certa causa legitima jus eligendi ea vice fuerat devolutum, memoratum prepositum in episcopum Claromontensem elegit. Porro hujusmodi electionum negocio per appellationem dicti prepositi ad Sedem apostolicam legitime devoluto, ipsisque electis pro earumdem suarum electionum prosequendo negocio ad sedem accedentibus supradictam, demum dictus prepositus omne jus, si quod ei fuerat ex hujusmodi electione de se facta quesitum, sponte ac libere in nostris manibus resignavit. Nosque, hujusmodi resignatione recepta, electionem que de dicto fratre Bernardo fuerat attemptata ob certas causas legitimas cassavimus, seu cassam et irritam nunciavimus, justitia exigente. Ac tandem ad provisionem dicte ecclesie, ne vacationis ulterioris detrimenta subiret, sollicite intendentes, post deliberationem quam ad ponendum ibi approbatam ydoneamque personam habuimus cum nostris fratribus diligentem, consideratis virtutibus quibus personam dilecti filii Arberti Aycelini, electi Claromontensis, illarum dominus multipliciter illustravit, ad eumdem Arbertum, archidiaconum Carnotensem, virum utique litterarum scientia preditum, moribus et vita laudabilem, fama preclarum, in spiritualibus providum, et *(a)* temporalibus circumspectum, direximus aciem nostre mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona ipsius [73] nobis et eisdem fratribus ob ejus exigentiam meritorum accepta de predictorum fratrum consilio et apostolice plenitudine potestatis ipsi ecclesie duximus providendum, preficiendo memoratum Arbertum eidem ecclesie in episcopum et pastorem, curamque *(b)* et administrationem ipsius sibi in spiritualibus et temporalibus committendo, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod eadem ecclesia sub illius felici regimine, dextera Domini sibi assistente propitia, salubriter et prospere dirigetur et salubria suscipiet incrementa. Quocirca magnificentiam tuam rogamus et hortamur attente quatinus eumdem electum et commissam sibi ecclesiam habens pro divina, dicte sedis et nostra reverentia propensius commendatos, eidem electo regalia ejusdem ecclesie, que per te vacationis ejus tempore detineri dicuntur, sine qualibet difficultate restituas,

a) in, *ajouté par Bal.* — *b)* que, *omis par Bal.*

teque alias exhibeas eidem benivolum et in cunctis oportunitatibus gratiosum, ita quod ipse, regio favore suffultus, commissum sibi dicte ecclesie regimen possit salubriter exercere, tuque proinde concrescas meritis apud Deum, apud nos gratia, et apud fidelium populos clara fama. Datum Pictavis, IIJ ydus augusti, pontificatus nostri anno secundo.

EJUSDEM PAPAE EPISTOLA[1] AD EUMDEM REGEM DE NEGOTIO CASTRI MALILEONIS. — Ligugé, 24 août 1307 *(a)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Tuam volumus excellentiam non latere quod venerabilis frater noster G[uillelmus] *(b)* Wigorniensis episcopus et dilectus filius nobilis vir Thomas de Kerleye *(c)*, miles, qui ad nos destinati fuerunt per clare memorie Eduardum regem Anglie *(d)* et per suum primogenitum, qui nunc regnat, quique ab ipso rege defuncto per duos dies ante ejus obitum recesserunt, ad nostram presentiam accedentes, inter alia pro parte dictorum.. regis et primogeniti [74] quedam per se, reliqua vero per litteras quas portabant exponere curaverunt quod dicti rex et primogenitus multum humiliter et devote excusabant se nobis : videlicet dictus rex, quia sine nostra licentia dictum primogenitum suum, propter instantem necessitatem guerre sue quam habebat in Scotia, eumdem primogenitum *(e)* ad se ac *(f)* ad dicte guerre exercitium revocabat, et dictus primogenitus, quoniam recedebat de Anglia in Scotiam profecturus. Et licet dictus primogenitus multo tempore expectaverit existens in Anglia, Londoniis et circa, scilicet huc ad veniendum paratus, a festo fere dominice Resurrectionis usque ad transactum festum nativitatis beati Johannis Baptiste, non sine magnis anxietatibus et expensis ac periculo gravissimo dicte guerre, et adventus suus in tantum prorogatus fuerit propter tot dilationes restitutionis castri de Maloleone, quod dicebat dictus rex non in nostri nec tui *(g)* honoris

a) Anno 1305, *(sic)*, *Bal.* — *b) omis par Bal.* — *c)* Kerloye, *Bal.* — *d)* regem Anglie' *omis par Bal.* — *e)* eumdem primogenitum, *omis par Bal.* — *f)* et, *Bal.* — *g)* sui, *Bal.*

1. D'après *J 416*, n. 1 (Archives nationales); copie dans le ms. latin *10919*' fol. 66 v°.

decentiam redundare nec nota reprehensionis carere, quod instigante humani generis inimico pro restitutione castri predicti, quod magnum tue magnificentie non existit, tante pacis utilitas differatur, et tanti matrimonii tam sollemnis et tam ac[c]om[m]odi, nedum regno tuo et regno Anglie, quinymmo et toti christianitati sic inaniter prolongetur, cum tibi ac dicto.. regi, patri *(a)*, si viveret, dictoque primogenito, circumstanciis consideratis omnibus et pensatis, dicti matrimonii perfectio summe debeat esse cordi, adhuc tamen, cum restitutio dicti castri fuerit expedita, scripsit nobis dictus .. rex dictum primogenitum suum sine more dispendio transmissurum, et ad partes istas idem primogenitus se venturum, dum tamen hoc eis congruo tempore fuerit intimatum. Te igitur, fili carissime, dum tempus adest pacis et gratie, attentius deprecamur ut restitutionem predictam accelerari facias; ne inter temporis moras, quod absit, impedimentum possit contingere et emergere obstaculum, vel occasio tolli *(b)* quominus sequatur tantum pacis gaudium, non solum a nobis, sed uni [75] versis Christi fidelibus a longis temporibus concupitum. Quando autem dicti castri restitutionem fieri credas, ad quam continue an[h]elamus, nobis celeriter rescribat tua serenitas circumspecta. Et quam cito mortem dicti *(c)*.. regis recepimus, ad dictum primogenitum nostros semel et postmodum alios quamplurimum sibi devotos destinavimus nuncios speciales, eumdem inter cetera multipliciter inducentes ut ad completionem dictorum pacis et matrimonii quibuscumque sinistris spretis consiliis efficaciter se coaptet, eidem intimando quamplurima propter que non solum decens vel utilis, sed perquam necessaria suo nomini et etiam ditioni existit expeditio predictorum. Ceterum cum pridie nobis scripseris quod pro quibusdam, que dilectus filius magister Gaufridus de Plexeyo *(d)*, notarius noster, et G[uillelmus] de Plasiano, miles tuus, tue celsitudini retulerunt, nobis quosdam nuncios circa festum Assumptionis beate Virginis Marie mittere intendebas, serenitati tue volumus fieri manifestum quod de consilio phisicorum nostrorum circa principium mensis septembris proxime venientis intendimus quedam preparatoria sumere et postmodum purgationem accipere, que secundum predictorum phisicorum judicium auctore Domino valde utilis nobis erit. Quare non oportet te festinare ad dictos nuncios transmittendum; sed circa medium octobris proxime venientis poteris

a) patri regi, *Bal.* — *b)* tollere, *ms.* — *c) omis par Bal.* — *d)* Pleixeyo, *Bal.*

ad nos mittere nuncios prelibatos. Nos enim extunc ad expeditionem negociorum tuorum permittente Altissimo intendemus, omnibus aliis pretermissis. Sane a memoria tua non credimus excidisse quod Lugduni et Pictavis de facto Templariorum, zelo fidei ac *(a)* devotionis accensus, nobis tam per te quam per tuos pluries locutus fuisti, et per priorem monasterii tui *(b)* novi de Picciaco *(c)* aliqua intimare curasti. Et licet ad credendum que tunc dicebantur, cum quasi incredibilia et impossibilia viderentur, nostrum animum vix potuerimus applicare, quia tamen plura inaudibilia *(d)* et inaudita extunc audivimus de predi [76] ctis, cogimur hesitare, et licet non sine magna cordis amaritudine, anxietate ac turbatione, quicquid ordo postulaverit rationis, de consilio fratrum nostrorum facere in premissis. Quia vero magister militie Templi ac multi preceptores tam de regno tuo quam aliis ejusdem ordinis cum eodem, audito, ut dixerunt, quid tam erga nos te quam erga aliquos alios dominos temporales super predicto facto multipliciter eorum opinio gravabatur, a nobis, nedum semel, sed pluries cum magna instantia petierunt quod nos super illis eis falso impositis, ut dicebant, vellemus inquirere veritatem, ac eos, si reperirentur, ut asserebant, inculpabiles, absolvere, vel ipsos, si reperirentur culpabiles, quod nullatenus credebant, condempnare vellemus, nos, ne circa negocium fidei aliquid negligamus, et quia verbum tuum nobis super hiis pluries factum non modici ponderis arbitramur, ad dictorum magistri et Templariorum instantiam, diligentis inquisitionis indaginem, infra paucos dies, de consilio fratrum nostrorum, propter hoc instanti die veneris civitatem Pictavensem intraturi, proponimus inc[h]oare vel alias in negocio procedere, prout de fratrum ipsorum consilio videbitur utilius faciendum, quod super hoc concepimus intimantes et intimaturi tue magnificentie quod circa premissa in posterum faciemus, serenitatem tuam in Domino ex[h]ortantes quatinus tuum consilium in premissis et informationem quam super hiis recepisti ac quicquid tue providentie videbitur expedire, nobis, per litteras tuas vel nuncios, plene ac integraliter e vestigio intimare procures. Datum in prioratu de Lugudiaco, Pictavensis dyocesis, VIIIJ kal. septembris, pontificatus nostri anno secundo.

a) omis par Bal. — *b) omis par Bal.* — *c)* Pictavo, *Bal.* — *d)* incredibilia, *Bal.*

EJUSDEM PAPAE EPISTOLA[1] AD EUMDEM REGEM DE CARDINALIBUS AD EUM MISSIS PRO QUIBUSDAM ARDUIS NEGOTIIS. — Pessac, 5 novembre 1306.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio [77] *nostro Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem.* Pro quibusdam negotiis christianitatem tangentibus, sed specialius regnum tuum, que multum insident cordi nostro, et tuo debent non mediocriter insidere, dilectos filios nostros Berengarium, tituli Sanctorum Nerei et Achillei, et Stephanum, tituli Sancti Ciriaci in T[h]ermis presbiteros cardinales, magne auctoritatis et prudentie viros, quos honoris tui et com[m]odi novimus ferventissimos zelatores, ad presentiam tuam decrevimus destinandos, serenitatem tuam requirentes attentius et rogantes quatinus in adventu dictorum cardinalium ad presentiam tuam, qui erit, Domino concedente, infra tres septimanas vel circa a data presentium computandas, tecum habeas totum consilium tuum secretum, cum quo sine more dispendio deliberare valeas super hiis que dicti cardinales tue celsitudini ex parte nostra duxerint proponenda, ne propter absentiam dicti consilii cardinales eosdem, quorum presentia diu carere nolumus, nec id predicta et alia, que in presenti im[m]inent, negocia patiuntur, oporteat in Francia diutius remanere. Sane regalem excellentiam volumus non latere quod, postquam ultimo sibi scripsimus, nos dire cujusdam infirmitatis aculeus adeo molestavit quod fere usque ad mortis januas nos adduxit. Sed clementia favente divina nunc sumus, ut nobis videtur, et dicunt nostri medici, ab omni infirmitate liberati et restituti plenarie sanitati, tanta tamen debilitate depressi quod nostram debilitatem verbis vel litteris exprimere nequiremus *(a)*. Super hiis que de mutua vista nostra tua excellentia per dilectum filium magistrum Amisium, tuum clericum, nobis scripsit responsionem commisimus prefatis cardinalibus, qui eam referent oraculo vive vocis. Datum apud Pessacum prope Burdegalam, nonis novembris, pontificatus nostri anno primo *(b)*.

a) requiremus, *Bal.* — *b)* secundo *(sic)*, *Bal.*

1. D'après le ms. *10919*, fol. 61 v°-62 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

[78] Ejusdem papae epistola[1] ad eumdem regem qua ei commendat Guillelmum episcopum Lingonensem. — Bordeaux, 15 novembre 1306.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Divine gratia majestatis acquiritur si ministris ejus, et hiis precipue qui pontificali sunt prediti dignitate, condignus honor impenditur et favor necessarius exhibetur. Sane vacante nuper apud Sedem apostolicam ecclesia Lingonensi pastore per translationem venerabilis fratris nostri Bertrandi, episcopi Agennensis, olim episcopi Lingonensis, per nos factam de ipso ad Agennensem ecclesiam, tunc pastore carentem, nos de ipsius ecclesie Lingonensis ordinatione celeri, ne diu viduitatis subjaceret incom[m]odis, sol[l]icite cogitantes, et cupientes illum eidem ecclesie Lingonensi per nostre providentie studium pontificem presidere, de quo certam haberemus notitiam quod ipsum clara meritorum suorum insignia redimirent, nec dubia esset ipsius caritas erga plebem suo regimini com[m]ittendam, et in cujus fide fida recumberet securitas subditorum, et per ejus *(a)* diligentie studium eadem ecclesia Lingonensis spiritualiter et temporaliter gubernaretur, ac Deo auctore grata susciperet incrementa, post deliberationem super hoc habitam, ad personam venerabilis fratris nostri Guillelmi, episcopi Lingonensis, genere nobilem, litterarum scientia preditam, ac providam in spiritualibus, et in temporalibus circumspectam, cujus laudabilia merita nobis sunt per familiarem experientiam non ignota, direximus oculos nostre mentis. Quibus omnibus diligenti meditatione [pensatis] *(b)*, de ipso Guillelmo, tunc abbate monasterii Moysiacensis, Cluniacensis ordinis, Caturcensis dyocesis, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis eidem Lingonensi [79] ecclesie duximus providendum, preficiendo eum ipsi Lingonensi ecclesie in episcopum et pastorem, sibique subsequenter per venerabilem fratrem nostrum Leonardum, episcopum Albanensem, apud dictam sedem munus fecimus consecrationis impendi, firma concepta

a) opus, *ms.* — *b)* prospectis, *Bal.*

1. D'après le même ms., fol. 68 r°.

fiducia quod eadem Lingonensis ecclesia per ipsius G[uillelmi] circumspectionis industriam et industriam circumspectam a noxiis preservabitur, et spiritualiter et temporaliter auctore Domino felicibus proficiet incrementis. Quocirca serenitatem regiam rogamus et hortamur attente quatinus te prefato episcopo Lingonensi pro divina et apostolice Sedis reverentia reddens affectu benivolum et opere gratiosum, ejusdem ecclesie Lingonensis jura, quantum in te fuerit, benivolo favore protegas et defendas, ita quod idem episcopus in exequenda sol[l]icitudine sibi tradita possit prosperari facilius, et nos celsitudinem tuam exinde condignis prosequi commendationibus valeamus. Datum Burdegalis, XVIJ kal. decembris, pontificatus nostri anno secundo.

PHILIPPI REGIS FRANCORUM EPISTOLA[1] AD PAPAM CLEMENTEM DE TRANSLATIONE CAPITIS SANCTI LUDOVICI REGIS IN SANCTAM CAPELLAM PARISIENSEM. — [Après le 17 mai 1306.]

Sanctissimo Patri in Domino Clementi, divina providentia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo pontifici, Philippus, eadem gratia Francorum rex, devota pedum oscula beatorum. Eximie devotionis affectum quem beatissimus Ludovicus, gloriosus Christi confessor, quondam rex Francorum, avus noster, ad insignia sacrosancta dominice passionis et reliquias alias, quas in capella nostri Parisiensis palatii suis temporibus summa cum reverentia collocavit, habebat, dum vitam in humanis ageret, propensius in animo revolventes, dignum esse decrevimus ut ad capellam eamdem, quam caput totius regni Francie per stricti districtionem*(a)* examinis appel[80]lamus, prefati caput gloriosissimi confessoris, qui Francis tum laudabiliter prefuit et profuit gloriose, sollempniter transfer[r]etur, et translatum a Christi fidelibus in perpetuum cum reverentia coleretur ad honorem nostri Salvatoris Jhesu Christi regnantis in secula seculorum. Ob hoc autem, et ut ad sanctum eumdem devotio fidelium augeretur, venerabiles patres Robertus Remensis, Stephanus Senonensis, Egidius Narbonensis archiepiscopi, Guido Suessionensis, Gazo Laudunensis, Symon Belvacensis, Guido Silvanectensis, Andreas Noviomensis, Johannes Catha-

a) discrissionem, *ms.*

1. D'après le même ms., fol. 107 v°-108 v°.

la[u]nensis, Guillelmus Ambianensis, Ingerrannus Morinensis *(a)*, Philippus Cameracensis, Johannes Carnotensis, G[uillelmus] Parisiensis, Bertrandus Aurelianensis, Nicholaus Meldensis, P[etrus] Magalonensis, Bertrandus Lingonensis, Matheus Ebroicensis, Robertus Constanciensis, et Guido Lexoviensis episcopi, qui hujus sancti venerandi capitis translationis festo die martis ante festum Penthecostes ultimo preteritum solempniter celebrato presentes nobiscum Parisius astiterunt, votis ardentibus an[h]elantes ut hujusmodi translatio eo devotius, solempnius et honorabilius a Christi fidelibus observetur quo sanctus ipse dignior fore suorum obtentu dignoscitur meritorum, omnibus vere penitentibus et confessis, qui animis devotis hujusmodi translationi interfuerunt, et illis qui capellam ipsam in die translationis ejusdem venerabiliter visitarunt, singuli eorum unum annum et viginti dies, et illis similiter qui in anniversario die festi translationis ejusdem singulis annis ac in aliis festivitatibus confessoris prefati et per octo dies festivitatis ipsos immediate sequentes ad capellam eamdem causa devotionis accesserint unum annum et viginti dies de injunctis sibi penitentiis, si de vestris beneplacito et assensu *(b)* procedat, et ad id confirmationis apostolice munus duxeritis impertiri, misericorditer relaxantes, prout in litteris suis super hoc confectis sigillisque eorum sigil [81] latis, quas apostolice sanctitati mittimus, plenius continetur. Nos igitur ad capellam eamdem, ubi tantus reliquiarum sanctarum thesaurus una cum dicti capite confessoris quiescit, tam sacris dotatam muneribus nostre considerationis occulos et devotionis intuitum convertentes, sanctitati apostolice supplicamus eamdem attentius postulantes quatinus indulgentiis predictis a dictis concessis pontificibus et prelatis vestrum impertientes beneplacitum et assensum, easdem *(c)* ad laudem divini nominis, nostre intercessionis obtentu, velitis de sedis apostolice plenitudine confirmare. Datum etc. *(d)*.

a) Morisinensis, *ms.* — *b)* affectu, *Bal.* — *c)* eisdem, *ms.* — *d)* Datum, etc., *omis par Bal.*

P. DE LUPORUM VIIS, OFFICIALIS REMENSIS, EPISTOLA[1] AD PHILIPPUM REGEM DE MIRACULIS EJUSDEM SANCTI LUDOVICI. — [1306].

Excellentissimo ac christianissimo principi, domino Philippo, Dei gratia Francorum regi illustri, Christique fidelibus universis magister P[etrus] de Lupporum viis, officialis curie domini Remensis archidiaconi ordinarii civitatis et archidiaconatus omnis subjectionis et humilitatis reverentiam in cunctis debitam regie majestati, et longevi regni salutari prosperitate concessa sibi vindicare supernum. Jocundetur sacrosancta mater Ecclesia, et exultet angelica tu[r]ba celorum. Exultent regni celestia ministeria, et pro terreni regis jam super astra regnantis gloria in excelsis Deo, nove laudis sollempnia celebrentur in terris. Gratuletur interius plausibus et exterius inter ceteras orbis provincias nostra regio Gallicana sibi letitie nuptialis illuxisse serenum, lineaque regalis, que tantum et talem meruit placidum produxisse patronum in superna civitate, gratiosum in conspectu Domini et christiani populi pul[l]ulavit in fructum. Letentur catholici reges et principes atque bonorum temporalium potestates quod de ipsorum consortio generose virtutis strenuus athleta progrediens, celestium sedium possessor effectus, pius habetur et sedulus pro Christi fidelibus intercessor. Gaudeat [82] inquam Remis metropolis novo jubilo letabunda, que deposito desolationis nubilo, dato sibi divinitus ad consolationis remedium novo sponso, post transactum sue orbitatis incom[m]odum ex regie domus gremio novum patrem suscipiens, ex uno per te partu inclite prolis fecundata, solatio tanti sponsi ac tanti temporis nobilitata consortio presidioque noscitur et fulcita, in qua sanctissimi Ludovici sudarii et sepulcri sancte reliquie in ecclesia fratrum Predicatorum in reverentia populi inaudita, ipsius beatissimi corporis ymaginem, que in cordibus fidelium est infixa, representant, adeo quod occidentis Remensium tenebras divina gratia novi splendore luminis illustravit, accrescente affectu qui aspectui denegatur. Consoletur igitur civitas Remorum, quia sicut Lucifer discutiens tenebras in ortu suo clarus apparet et rutilans, sic adventus reliquiarum ipsarum sibi gaudiosus existit, illius ante quem gloriosum effectum in celis Dominus noster Jhesus

1. D'après le ms. latin *10919*, fol. 101 v°-102 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

Christus mirificavit in terris, qui in Remensium lumine prodiit et gloriam divinitus superfusam *(a)*. Hic est siquidem ille sanctus Dei angelus, cujus compassionis de[s]censum piscina cordis desiderat, ut interius et exterius totus sanetur egrotus, qui te oleo perunget letitie pre participibus tuis. Ille inquam Raphael; qui te tanquam unicum Thobie filium a mortis periculis preservavit. Surge itaque, surge et illuminare, civitas generosa, et nobis caliginem procul pelle. Jam enim est a Domino tibi dictum, *Tolle grabatum tuum et ambula*, cum sana facta sis, que sedebas in tenebris et in umbra mortis infeliciter tabescebas. Leva in circuitu oculos tuos, et contemplare celum novum et gloriam libertatis. Noverit igitur excellentia vestre celsitudinis, rex illustrissime, domine noster reverende, quod cum Dominus noster Jhesus Christus beatissimum Ludovicum confessorem suum, regem quondam Francorum, quem in sue consortio hereditatis elegit, in ecclesia fra [83] trum Predicatorum Remensium frequentiori fulgore miraculorum nomen ipsius et gloriam *(b)* laudibus populorum attollens, multis languentibus morborum per naturam incurabilium afflictione col[l]apsis ipsius meritis restituit sanitatem, surdis auditum prebuit, variis contractos infirmitatibus erexit, mutis linguas solvit et reddidit cecis lumen. Catervatim etiam a longinquis partibus ruente populo mira, que per eum fiunt, cernere cupientes, mox sani efficiuntur ibidem, et quisque sospes regreditur laudans Deum, nec abeunt illius sanctitatis expertes, quantacumque fuerint invalida contractione membrorum diutius impediti, prout oculis vidimus, et jam multiplicata notorie per regionem refulgent.

Philippi regis epistola[1] ad papam Clementem de itinere Navarrico Ludovici, primogeniti sui. — [Juillet-août 1307] *(c)*.

Sanctissimo [*patri in Domino Clementi, divina providentia sacrosancte Romane ac universalis Ecclesie summo pontifici, Philippus, eadem gratia Francorum rex, devota pedum oscula beatorum*]. Dilecti et fideles nostri magister G[aufridus] de Plexeio, notarius vester, et Guillelmus de Plesiano, miles, a vestra presentia redeun-

a) divinitus superfusam, *omis par Bal.* — *b)* gloriam et, *ms.* — *c)* Anno 1306, *Bal.*

1. Même ms., fol. 110 v°-111 r°.

tes, ad nos diebus istis novissime pervenerunt : quorum relationibus diligenter auditis, de immensis laboribus quos pro negotiorum nostrorum expeditione felici, estivis caloribus et quibuslibet aliis persone periculis non vitatis, ac postpositis quibuslibet aliis, subiistis, assurgimus vobis ad gratiarum uberes actiones, intendentes super expositis et relatis per eos cum secretis consiliariis nostris, quos ad instans festum sancti Laurentii ad nos Parisius jam duximus advocandos, plenioris deliberationem habere consilii, et propter hoc et alia ad vos indilate remittere gentes nostras. Ceterum, cum Ludovicus, carus primogenitus noster, iter suum ad partes regni sui Navarre sit e vestigio arrepturus, ut in Pampilonensi, unica cathedrali ecclesia dicti regni, in jocundo adventu suo de [84] bito recipiatur honore, sanctitatem vestram attente rogamus quatinus interdictum cui, ut nostis, eadem ecclesia subjacet, in ejus adventu, et quamdiu in predicto regno moram traxerit, mandetis, si placet, de speciali gratia relaxari. Datum, etc. *(a)*.

Ejusdem regis epistola[1] ad capitulum Ecclesiae Autissiodorensis pro Petro de Gressibus, cantore Parisiensi. — [17 janvier-12 juillet 1308[2].]

Philippus, Dei gratia Francorum rex, dilectis nostris in Christo ... (b) decano et capitulo ecclesie Autissiodorensis salutem et dilectionem sinceram. Recte rationis examine circa fulciendam de persona benemerita tanquam columpna stabili vestram ecclesiam nunc pastoris solatio destitutam, quam quidem inter ceteras regni nostri ecclesias favore prosequimur speciali, libenter insistimus, ut per eam oportunis temporibus preservetur a noxiis, et ab adversantium eidem molestiis ipsius persone presidio defensetur. Hinc est quod nos attendentes probitatis merita, morum honestatem, litterarum scientiam, aliaque virtutum dona quibus dilectum magistrum P[etrum] de Gressibus, cantorem Parisiensem, concanonicum vestrum, clericum nostrum familiarem, divina ditavit clementia,

a) Datum, etc., *omis par Bal.* — *b)* G., *Bal.*

1. Même ms., fol. 112 v°. — 2. Les trois lettres suivantes sont postérieures au 17 janvier 1308, date à laquelle mourut l'évêque Pierre de Belleperche, et antérieures au 12 juillet 1308, époque à laquelle Pierre des Grès lui succéda ; cf. *Regestrum Clementis V*, n. 2851. Baluze leur a assigné la date de 1306.

summe nostris inheret affectibus ut ipse in ecclesie vestre predicte preficiatur pastorem, quodque dicta ecclesia de persona ejus tanquam perutili decoretur, sperantes quod ex circonspectione ipsius dicta ecclesia fructuosis proficiet incrementis. Mittentes igitur ad vos propter hoc specialiter dilectos et familiares nostros magistrum Alanum de Lambalia, canonicum Laudunensem, et Petrum de Diciaco, latores presentium, quibus super hoc plenius aperuimus mentem nostram, dilectionem vestram attentis precibus requirimus et rogamus quatinus eisdem et eorum cuilibet in hiis que vobis, ex parte nostra, quoad hoc referenda duxerint, fidem adhibere velitis credulam et ea sic effectui *(a)* mancipare quod exinde dictam [85] ecclesiam vosque universos et singulos habeamus in vestris agendis propensius et merito commendatos. Datum, etc. *(b)*.

Ejusdem epistola[1] ad Raymundum de Gotho cardinalem, qua ei commendat eumdem Petrum de Gressibus. — [17 janvier-12 juillet 1308.]

Philippus [*Dei gratia Francorum rex*] *amico nostro carissimo R*[*aymundo*] *Sancte Marie Nove diacono cardinali salutem et sincere dilectionis affectum.* Sollicitudo vigil et diligentia operosa quas in nostris et nostrorum agendis in curia utiliter promovendis, et specialiter in negocio dilecti et fidelis clerici nostri magistri P[etri] de Gressibus, cantoris Parisiensis, carissimi primogeniti nostri Ludovici regis Navarre cancellarii, jugiter exhibetis, affectionem puram et fidelitatis constantiam, quas erga nos integre geritis et gessisse vos hactenus plene cognovimus, arguunt evidenter quod voluntatis vestre studium regiis affectibus fideliter coaptatis. Quare dilectionem vestram attente requirimus et rogamus quatinus in prosecutione negocii dicti cantoris, quem suis exigentibus meritis benivolentia *(c)* prosequimur gratiosa, in ecclesia Autissiodorensi a saniori parte capituli ecclesie memorate electi, contemplatione precum nostrarum, que prodeunt ex affectu, continuatis studiis opem et operam adeo efficaciter impendatis ut optatam efficaciam mediante vestro presidio sortiatur. Super hoc autem Domino summo pontifici scribimus diligenter, prout dilectus clericus noster prior de

a) effectum, *ms.* — *b)* Datum, etc., *omis par Bal.* — *c)* benignolentia, *ms.*

1. Même ms., fol. 113 r°.

Chesa vobis aperiet plenius viva voce, cui super hoc plenam fidem adhibere velitis. Datum, etc. *(a)*.

Ejusdem epistola[1] ad papam Clementem de vacatione Ecclesiae Autissiodorensis. — [17 janvier - 12 juillet 1308.]

Sanctissimo patri [*in Domino Clementi, divina providentia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo pontifici, Philippus, eadem gratia Francorum rex, devota pedum oscula bea* [86] *torum*]. Ut ecclesie Autissiodorensi, quam inter ceteras regni nostri speciali quadam *(b)* prerogativa prosequimur et favore, nunc solatio destitute pastoris, provideatur de persona per quam dicta ecclesia debitis proficiat incrementis, ex certis causis que nostram admodum tangunt interius conscientiam, nedum pariter et vestram, sicut firmiter credimus, non dubitet apostolica sanctitudo, istis temporibus affectamus. Cum igitur ad aures nostras secrete pervenerit et de novo quod in electione de pastore dicte ecclesie proximo facienda, [h]abilitatis quorumdam intentionibus de generando *(c)* scandalo et ad destructionem omnimodam honoris et com[m]odi ecclesie supradicte debeat magna controversia suboriri, beatitudini vestre ea qua possumus affectione et ex cordis intimis imploramus quatinus provisionem de pastore dicte ecclesie proximo faciendam ista vice, receptis presentibus, dignemini reservare et reservationem hujusmodi in vestris tenere manibus usque ad vestre pariter et nostre tempus visionis mutue faciende breviter, divina nobis gratia assistente. Tenemus procul dubio, beatissime Pater, quod tunc vobis causas nostrorum hujusmodi rogaminum sic rationabiliter ostendemus quod exinde paterna clementia contentabitur, gratulabitur in animo, ac nostris desideriis in hac parte liberaliter et merito saniori ducta conscientia condescendet.

Ejusdem epistola[2] ad eumdem papam de vacatione Ecclesiae Laudunensis. — [Après le 1er mai 1307[3].]

Sanctissimo patri in Domino Clementi, divina providentia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo pontifici, Philippus,

a) Datum, etc., *omis par Bal.* — *b)* quodam *(sic)*, *ms.* — *c)* generanda *(sic)*, *ms.*

1. Même ms., fol. 100 r° et v°. — 2. Même ms., fol. 100 v°. — 3. D'après A. Longnon, *Obituaires de la province de Sens*, Paris, 1902, t. I, p. 523, Gazon mourut le 1er mai 1307. Donc Baluze se trompe, en datant la lettre de 1306.

eadem gratia Francorum rex, devota pedum oscula beatorum. In Laudunensi ecclesia, quam licet in facultatibus tenuem, inter ceteras regni nostri, utpote paritate seu pariagio regni ejusdem dotatam, excel[87]lentia nobilissimam reputamus, cujusque honorem nostrum et regni nostri proprium arbitramur, nunc per mortem Gazonis quondam dicte presidentis ecclesie pastoris solatio destituta, personam prefici cupientes que honoris regii et regni nostri zelatrix existat, et per quam prefata ecclesia debitis proficiat incrementis, urgente causa rationabili, sanctitati apostolice presentium tenore attentis precibus supplicamus quatinus ad provisionem aliquam de pastore eidem ecclesie faciendam minime procedere velitis usque ad vestre pariter ac nostre terminum mutue visionis faciende breviter divina nobis gratia assistente. Personam siquidem, pater sanctissime, dignis attollendam honoribus, quam et sanctitati vestre notam et gratam credimus, quamque scimus procul dubio fore dicte ecclesie, si sibi de ea provisum fuerit, futuris temporibus multipliciter fructuosam, sana conscientia proposuimus reducere ad ipsius vestre memoriam sanctitatis; per quam etiam, sicut nobis et statui regni nostri expedire conspicimus, regimen ipsius paritatis seu pariagii, quod est honoris regii pars non modica, poterit in melius augmentari, precipue cum ipsa sit ecclesia prope introitum regni Alemannie situata. Datum, etc. *(a)*.

Ejusdem epistola[1] ad eumdem papam de quibusdam clericis regiis ad episcopalem dignitatem evectis. — [Avant le 27 août 1306[2].]

Sanctissimo patri [*in Domino Clementi, divina providentia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo pontifici*], *Philippus*, [*eadem gratia Francorum rex, devota pedum oscula beatorum*]. Grata nobis accedens promotio per uberem gratiam clementie vestre facta de dilectis et fidelibus clericis nostris, viris utique quos laudanda virtutum merita commendationis cujuslibet titulis dignos reddunt, videlicet de Petro de Bellapertica ad Autissiodorensem, de Guil [88] lelmo Barneti *(b)* ad Bajocensem, et Nicholao de Lusar-

a) Datum, etc., *omis par Bal.* — *b) lege* Bonneti.

1. Même ms., fol. 111 r°. — 2. Cette lettre doit précéder la date du 27 août 1306, qui est celle des bulles de promotion des trois évêques.

chiis ad Abrincensem ecclesias, nostrum valde exhilaravit animum; ex quo vobis referimus multas grates. Sane quia diutina ipsa vacatio ecclesiarum multa posset eisdem dampnosa parare dispendia, sanctitati vestre ex intimis supplicamus quatinus quid pro earum relevatione deceat quidve expediat attendentes, prefatis clericis nostris provisionis hujusmodi litteras celeriter faciatis transmitti, ut per eorum industriam circonspectam predictis ecclesiis, que ex ipsa provisione quietis beatitudine letabuntur, feliciter consulatur. Datum, etc. *(a)*.

Ejusdem regis epistola[1] ad eumdem papam de mutuo colloquio habendo, et de cardinalibus ad se missis. — [Mars 1307.]

Sanctissimo [*patri in Domino Clementi, divina providentia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo pontifici*], *Philippus*, [*eadem gratia Francorum rex, devota pedum oscula beatorum*]. Ex relatione dilectorum et specialium amicorum nostrorum Berengarii, tituli sanctorum Nerei et Achillei, et Stephani, tituli sancti Ciriaci in T[h]ermis presbiterorum cardinalium, vestre beatitudinis nunciorum, diebus istis accepimus beneplaciti vestri esse, sicut per apostolicas litteras se noviter accepisse dicebant, quod condicta jampridem inter vos et nos vista seu mutua visio, sicut scitis, Tholose vel Pictavis in medio instantis mensis aprilis aut in kalendis sequentis maii, in altero videlicet loci et termini predictorum qui nostris potius affectibus inerit, habeatur. Porro, sicut alias sanctitati vestre nunciare curavimus, sic et ipsis cardinalibus duximus respondendum, quod variis ex causis, quas prolixum esset scriptura repetere, nos temporibus istis nullo modo possemus transferre Tholosam. Et licet de vista ista Pictavis habenda alias tractatus habitus fuerit, prout nostis, dum tamen consideramus attentius quod preter no [89] stre vestreque magnitudinem comitive ac cardinalium et curialium aliorum sequelam ad locum viste confluet undique magnatum et populi multitudo, inter alia loca que multitudinis tante capacia et alias pro vista congrua reputantur, civitas Turonensis, locus quasi communis et a Pictavis non multum remotus,

a) Datum, etc., *omis par Bal.*

1. Même ms., fol. 104 r° et v°.

ut scitis, accom[m]oda nostris considerationibus se presentat. Est enim inibi et in circumpositis partibus fluviorum navalium copia, quorum suffragio possunt ad locum victualia undique levi facilitate deduci. Est ibidem habunda domorum habilitas, villarum insignium copiosa vicinitas, victualium et aliorum necessariorum fertilitas, incolarum mansueta benignitas, et quod nostrum precipue invitat affectum, temperati aeris puritas, cujus votivo beneficio et vestra veneranda persona ab egritudinibus variis, que ipsam, proh dolor, diutius afflixerunt, divina favente clementia respirare et grati resumere poterit incrementa vigoris. Castrum quoque nostrum aliquantulum a villa sepositum, quod prospectus supra Ligerim suos habet, vestre valde videtur accom[m]odum mansioni; ad quod ex hospitio quod ex parte alia haberemus per aquam ad vos accessum habere possemus liberum et secretum. Et licet hiis et aliis considerationibus Turonensis locus pro vista com[m]odior videatur, nosque vistam ipsam in medio instantis aprilis ibidem fieri peroptemus, si tamen eam tunc vel in kalendis sequentis maii plus placeat Pictavis haberi, quod vultis volumus in hac parte, tanquam qui hoc precipue in votis gerimus, hoc ferventi prosequimur voluntate, ut paternis filiales conformemus affectus, vestrisque semper in omnibus beneplacitis placeamus. Et quia propter temporis brevitatem et garnisiones seu munitiones faciendas in loco et locum et terminum expedit cito scire, eorum certitudinem nobis, si placet, per latorem presentium, quem propter hoc specialiter mittimus, celeriter intimetis.

[90] Clementis papae epistola[1] ad regem Francorum Philippum de eadem re. — Pessac, 9 février 1307.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii nostri Berengarius, tituli sanctorum Nerei et Achillei, et Stephanus, tituli sancti Ciriaci in T[h]ermis presbiteri cardinales, nuper ad nos, directis suis litteris, intimarunt quod tu, fili karissime, pro vista inter nos et te mutuo facienda de duobus locis, Turonis aut Pictavis, et de duobus terminis, videlicet medii mensis aprilis aut kalendarum maii, alterum quem maluerimus, acceptasti, quodque optionem nostram circa premissa tibi

1. D'après *J 703*, n. 156 (Archives nationales); copie dans le ms. précité, fol. 75 v°.

curaremus quam citius intimare. Et licet nobis et fratribus nostris tertius locus, Tholosa videlicet, ex causis multis fuisset magis accom[m]odus et acceptus, maxime propter debilitatem nostri corporis post longam egritudinem, a qua etsi per Dei gratiam convaluerimus, reliquie tamen ejus multa et varia in nobis causant incom[m]oda, tamen in quantum *(a)* possumus tue semper optantes [con]descendere voluntati, pro loco civitatem P[ictavensem] elegimus, de qua inter nos et te condictum alias extitit, prout nosti. Sed quia medicorum nostrorum in unum convenit consilium ut opus sit nobis in hac novitate temporis recipere medicinam, ad quam recipiendam tempus temperatum, videlicet principium mensis maii, arbitrantur, visum est nobis quod si vista nostra in medio mensis aprilis sumeret exordium, forsan que tractanda sunt in vista infra principium mensis maii, quod tempus prefati nostri medici ad medicinam nobis prestituunt nullatenus obmittendam, propter brevitatem temporis non possent ad effectum perduci. Et quia inter hec duo artamur, quia et vistam per omnem modum tenere volumus sicut condiximus, et medicinam tempore prestituto a medicis sine gravi et evidenti corporis pe [91] riculo, ut asserunt, pretermittere non valemus, cui periculo ut precaveatur desiderare te credimus, tanquam illum quem passionum nostrarum necesse est probata dilectio constituat socium et germanum, tempus eligimus, videlicet principium mensis aprilis, ut tunc intremus Pictavis, sic quod per totum mensem aprilis possint tractari et perfici que in vista perficienda fuerint aut tractanda, et reliquum tempus medicis nostris ad curam nostri debilis corporis relinquatur. Placeat igitur serenitati tue, fili karissime, ad principium mensis aprilis tuum in Pictavis ordinare et properare adventum; et consideres diligenter quod non absque magno cordis affectu ad negocia que in vista incumbunt tractanda, in tanta debilitate corporis constituti, etiam nobis qualitate temporum obsistente, laborem itineris aggredi non veremur. Super premissis igitur de voluntate tua nos per tuas litteras studeas quantocius facere certiores. Galhardo vero de Pressaco *(b)*, domestico et familiari nostro, latori presentium, quem celsitudini tue super predictis dirigimus, fidem adhibeas in hiis que ex parte nostra tibi circa ea duxerit proponenda. Datum apud Pessacum,v ydus februarii, pontificatus nostri anno secundo.

a) quibus, *ms.* — *b)* Puisaco *(sic)*, *Bal.* et *ms.*

EJUSDEM PAPAE EPISTOLA[1] AD EUMDEM REGEM SUPER EODEM NEGOTIO. — Pessac, 17 février 1307.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Grate venerunt in affectus nostros bine celsitudinis tue littere, quas heri die jovis XVJ mensis februarii presentis per presentium portitorem accepimus, et que continebantur in eis inspeximus diligenter. Profecto, fili karissime, largitori bonorum omnium, qui dat esse rebus, et serenum post nubilum impertitur, quique miraculose facit tempestates mundi hujus pro sua voluntate ad tranquillitatem deduci, devotas laudes exsolvimus quod eo inspi- [92] rante tibi benignius et prebente tuis oculis saluberrimam claritatem in negocio pro quo dilectos filios nostros Berengarium, tituli sanctorum Nerei et Achillei, et Stephanum, tituli sancti Ciriaci in T[h]ermis presbyteros cardinales, ad tuam duximus presentiam destinandos, tutiorem et salubriorem viam juxta nostra monita elegisti, prudenter per semitas pacis et salutis incedens, per quas regnandi status augetur, et sine quibus nichil potest perfecte prosperitatis haberi. Serenitatem itaque tuam inde multipliciter in Domino commendamus; et sperantes quod hujusmodi negocium, ex quo sic bonum sumpsit exordium, annuente Domino votivum et felicem sortiatur effectum, rogamus et hortamur attente ut semper in laudabili proposito perseveres, sic quod tibi et regno tuo et toti christianitati quietis et pacis et justitie in regno tuo liberius exercende multiplicia proveniant incrementa, et miserrimo statui terre sancte succurrere valeas, prout te credimus ingenti desiderio affectare, et in hoc et in aliis intendas efficaciter ad eternam gloriam promerendam. Super eo autem quod duorum locorum duorumque temporum pro mutua vista facienda, quod nobis placeret, alterum intimare curasti, sic tibi presentibus respondemus, quod statu nostro et debilitate nostri corporis, que adhuc ex preteritis infirmitatibus nos contingit, ac civitatis Turonensis aeris intemperie, que ibidem dicitur invigere, prout non solum a quibusdam fratribus nostris, sed etiam ab aliquibus illarum partium indigenis, necnon et a nostris medicis percepimus, suscipiendarum quoque necessario medicinarum a nobis de nostrorum consilio medicorum tempore oportuno, attente pensatis, de consilio etiam fratrum nos-

1. D'après *J 703*, n. 156[3] (Archives nationales); copie dans le ms. précité, fol. 78 v°.

trorum, civitatem Pictavensem et principium futuri proximo mensis aprilis ad hujusmodi fiendam vistam elegimus, secundum quod tibi alias etiam ante predictarum litterarum tuarum receptionem nostris meminimus litteris intimasse. Sic igitur te prepares et accingas sicque deliberatio [93] nem hujusmodi prosequaris quod eodem statuto tempore divina faciente clementia ingrediaris civitatem Pictavensem predictam, cum nos ibi in predicto tempore esse auctore Domino proponamus, et tecum presentialibus affatibus recreari ad laudem Altissimi, felicem pertracti *(a)* consummationem negocii, ac honorem et statum prosperum tui culminis et honoris. Datum apud Pessacum, XIIJ kal. martii, pontificatus nostri anno secundo.

EJUSDEM PAPAE CLEMENTIS EPISTOLA[1] AD NAVARROS DE PACE INTER REGES FRANCIAE ET ANGLIAE, ET DE ITINERE LUDOVICI FILII REGIS FRANCIAE IN NAVARRAM. — Bordeaux, [11 mars 1307].

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis prelatis, baronibus, militibus, et aliis nobilibus, ac universitatibus et communitatibus regni Navarre salutem et apostolicam benedictionem. Inter sollicitudines nostras illa est temporibus istis precipua quod inter carissimos filios nostros reges Francorum et Anglorum illustres pacis vinculum solidetur, quodque negocium passagii transmarini sic inchoetur, ordinetur et ad effectum auctore Domino perducatur quod cedat ad honorem ejus cujus res agitur, scilicet Jhesu Christi, cujus vices, licet immeriti, exercemus in terris, et ad exaltationem fidei christiane, ac recuperationem felicem et celerem terre sancte; pro quibus et aliis regni Francie et totius orbis salubrem statum tangentibus venturam ad presentiam nostram proximo mense aprilis in civitate Pictavensi dicti regis Francorum serenitatem speramus. Quibus tractatibus et dicti regis crucesignationi, si Deus dederit, sicut confidimus, adesse dilectum filium Ludovicum, ejus primogenitum, heredem legitimum regni Navarre, valde decens et honestum, quinimo expediens et necessarium arbitramur. Sane quoniam intelleximus quod prefatus rex Francorum suum primogenitum prelibatum ad prefatum regem Navarre mittere istis

a) pertactati, *Bal.*

1. D'après le ms. latin *10919*, fol. 76 r°-77 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

temporibus propo [94] nebat, sic quod dictis tractatibus interesse non posset, discretioni vestre presentibus intimamus quod nos propter pretermissam decentiam et necessitatem scripsimus dicto regi quod ipse usque ad transactos predictos tractatus, qui brevem ac votivum, ut speramus, exitum Deo propitio sortientur, dictum filium suum a prefato itinere cessare faciat et predictis tractatibus interesse, ac eidem primogenito quod dictis tractatibus intersit, aliis omnibus pretermissis. Quapropter discretionem vestram attente requirimus et in Domino paternis affectibus exhortamur tam dictum regem quam ejus primogenitum, si ad vos istis temporibus non accedit, velitis ex predictis causis valde rationabilibus et necessariis excusatos habere. Nam post dictos tractatus, qui Deo dante felicem et celerem expeditionem habebunt, sicut dilectus filius magister Berengarius de Olargio *(a)*, capellanus noster, quem propter hoc ad vos duximus destinandum, vobis poterit proficisci. Datum Burdegalis [v ydus martii, pontificatus nostri anno secundo].

Ejusdem papae epistola[1] ad Philippum regem de eadem re.
Bordeaux, 11 mars 1307.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Inter sollicitudines nostras illa est temporibus istis precipua quod inter te et carissimum in Christo filium nostrum regem Anglorum illustrem pacis vinculum solidetur, quodque negocium passagii transmarini sic inchoetur, ordinetur et ad effectum auctore Domino perducatur quod cedat ad honorem ejus cujus res agitur, scilicet Jhesu Christi, cujus vices, licet immeriti, exercemus in terris, et ad exaltationem fidei christiane, ac recuperationem felicem et celerem terre sancte; pro quibus et aliis regni tui et totius orbis salubrem statum tangentibus venturam [95] ad presentiam nostram proximo mense aprilis in civitate Pictavensi tuam serenitatem speramus. Et quoniam valde decens est, expediens, et honestum, quinimmo etiam necessarium videtur quod dilectus [filius] Ludovicus, tuus *(b)* primogenitus, heres legitimus regni Navarre, trac-

a) Clargio, *Bal.* — *b)* cujus *(sic)*, ms.

1. D'après le ms. latin *10919*, fol. 77 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

tatibus supradictis et tue crucesignationi, si Deus dederit, ut speramus, intersit, magnificentiam tuam requirimus et in Domino paternis affectibus exhortamur quatinus dictum primogenitum tuum ad regnum Navarre volentem, ut intelleximus, proficisci usque ad transactum tractatum inter nos et te, ut premittitur, faciendum cessare facias ab itinere supradicto et tractatui supradicto adesse. Datum Burdegalis, v ydus martii, pontificatus nostri anno secundo.

Ejusdem epistola[1] ad eumdem regem de itinere Pictaviensi. Bordeaux, 10 mars 1307.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Devotionis tue litteras, per latorem presentium nobis missas, recepimus leta manu, et ea que in eis continebantur libenter legimus, intelleximusque gaudenter. Sane serenitatem tuam nolumus ignorare quod nuper fratrum nostrorum consiliis requisitis, Pictavis locum elegimus pro loco mutue visionis, ibique tam nos quam fratres nostri predicti garnisiones fecimus non absque magnis expensis, sic quod locum sine magno incom[m]odo nostro et fratrum nostrorum mutare aliquatenus non valemus. Unde super hoc nos habeat tua magnificentia excusatos, et ad locum Pictavis venire non tardet tempore prestituto. Datum Burdegalis, vj ydus martii, pontificatus nostri anno secundo.

[96] Ejusdem papae epistola[2] ad eumdem Philippum regem de prorogato termino mutuae visionis. — Baignes, 17 mars 1307.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Cum de consilio phisicorum, necessitate nostri corporis hoc admodum exigente, pro salute nostra intendamus immediate post Pascha resurrectionis dominice minutionem sanguinis celebrare, ut ipsorum phisicorum verbis utamur, ac propter hoc tunc diebus aliquibus, quibus nos oportebit habere quietem, in incepto jam itinere

1. D'après *J 703*, n. 156[2] (Archives nationales) ; copie dans le ms. précité, fol. 77 v°. — 2. D'après le ms. latin *10919*, fol. 80 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

sic continue procedere nequeamus, non miretur tua serenitas si in kalendis aprilis non possumus esse Pictavis, prout tibi a nobis fuerat intimatum. Nos enim infra sex vel septem dies dicti mensis aprilis ibi esse proponimus, divina nobis gratia assistente. Datum Beanie, Xanctonensis dyocesis, XVJ kal. aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

KAROLI II REGIS SICILIAE EPISTOLA[1] AD EUMDEM REGEM PHILIPPUM DE QUADAM COMMOTIONE EXORTA APUD AVENIONEM. — Marseille, 26 avril [1307?].

Serenissimo principi consanguineo nostro, carissimo Philippo, Dei gratia Francorum regi illustri, Karolus eadem gratia Jherusalem et Sicilie rex, salutem felicibus ad vota successibus abundantem. Super discordia que inter curiam vestram et nostram propter injurias que per certos officiales et subditos nostros de civitate nostra Avinionis contra gentes vestras illate ponuntur exorta dinoscitur, quam quidem ac profecto quicquid aliud vestris obvium esset affectibus cordialiter execramur, Ricardum de Gambatesa, comitatuum nostrorum Provincie et Forcalquerii senescallum, et Johannem Cabassolam, juris civilis professorem, curie nostre magistrum rationalem, milites, consiliarios, familiares, et [97] fideles nostros dilectos, ad vos ecce transmittimus collocuturos et tractaturos, ex parte nostra, vobiscum qualiter discordia ipsa deinceps omnino sileat, sequatur debita hinc inde concordia, pax surgat et omnis contentio conquiescat. Quamobrem quo carius possumus consanguinitatem vestram rogamus ut benigne illos velitis, si placet, audire ac eis super his que circa predicta ex parte nostra retulerint fidem indubiam adhibere. Datum Massilie, die XXVJ aprilis.

LITTERA[2] PAPAE DIRECTA REGI FRANCIAE PROPTER FACTUM TEMPLARIORUM. — Poitiers, 9 juillet 1308 *(a)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum (b) illustri, salutem et apostolicam bene-

a) Anno 1307 *(sic)*, *Bal.* — *b)* Francie, *Bal.*

1. Même ms., fol. 80 r°. — 2. D'après *J 416*, n. 4 (Archives nationales).

dictionem. Propter fervens desiderium quod ad recuperationem terre sancte et ejus defensionem novimus te habere, ad gaudium tuum et exaltationem *(a)* tibi tenore presentium intimamus quod si oporteat ordinem Templariorum suis exigentibus demeritis dissolvi, cassari vel tolli, omnia bona et jura, redditus et proventus, in quibuscumque juribus vel rebus consistant, que habet in presenti vel habere reperietur in futurum, terre sancte subsidio volumus deputari, nec ad aliquem alium usum converti, nec nos vel successores nostri ab illis qui predicta bona custodient vel tenebunt in aliquo alio casu vel ad aliquem usum alium repetemus. Datum Pictavis, IX die julii, pontificatus nostri anno tertio.

ALIA[1] EJUSDEM PAPAE CONSTITUTIO DE BONIS TEMPLARIORUM.
Poitiers, 11 juillet 1308 *(b)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Ut omnia secundum equitatem et justitiam procedant, non intendimus nec volumus quod propter aliquam ordinationem aut con[98]cessionem circa bona vel factum Templariorum hac vice a nobis vel a te, fili carissime, factas aliquod prejudicium generetur tibi, prelatis, ducibus, comitibus, vel aliis quibuscumque regni tui in homagiis, feodis, jurisdictionibus, censibus, laudemiis vel aliis quibuscumque juribus que in bonis Templariorum tu et prefati habebatis tempore captionis ipsorum, facte in regno Francie anno Domini millesimo trescentesimo septimo de ipsis et bonis ipsorum, nec fiat etiam tibi vel ipsis prejudicium in aliis negotiis sive factis. Datum Pictavis, XJ die julii, pontificatus nostri anno tertio.

EJUSDEM ALIA[2] CONSTITUTIO DE BONIS EORUMDEM TEMPLARIORUM.
Poitiers, 12 juillet 1308 *(c)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Justum et laudabile largitorum propositum circa

a) exultationem, *Bal.* — *b)* Anno 1307 *(sic)*, *Bal.* — *c)* Anno 1307 *(sic)*, *Bal.*

1. D'après *J 416*, n. 7 (Archives nationales). — 2. Pièce non retrouvée.

opera pietatis eo avidius illibatum cupimus conservari quo magis largitorum concessionem ipsorum Deo gratam speramus et credimus extitisse. Sane circa gubernationem et dispositionem bonorum ordinis militie Templi, cujus persone ex certis causis tenentur generaliter carceribus mancipate, intendentes salubriter providere, ipsa, in quibuscumque rebus, fructibus, redditibus, proventibus annuis et juribus consistere dignoscantur, et quicquid ex illis vel ob ea perceptum vel redactum extiterit, in eo casu in quo bona ipsa dictique fructus, redditus, et proventus, ac jura vacarent per dissolutionem ipsius ordinis, quam ex predictis causis fieri contingeret, ex nunc in terre sancte subsidium per hanc ordinationem nostram perpetuo valituram convertimus et etiam deputamus, et ad utiliorem gubernationem ipsorum, a quibus tu regiam manum appositam in ipsis in regno tuo existentibus amovisti, certos statuemus universales, et nichilominus volumus quod quilibet prelatus singulariter in sua civi[99]tate et dyocesi constituat administratores seu etiam curatores, ad quorum requisitionem ipsa bona, quantum ad te pertinebit, tueberis et defendes. Volumus autem quod pecunia collecta et colligenda de bonis eisdem, prius de ipsa computis redditis diligenter, in certis et tutis locis infra regnum Francie sub tua protectione ponatur et conservetur fideliter expendenda dumtaxat in subsidium terre predicte, quam tu in aliquem alium usum, quantum in te fuerit, non permittes expendi, nec in ipsum subsidium terre sancte sine nostra vel successorum nostrorum licentia speciali, prout nobis ore tenus et etiam per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas, neque nos vel successores nostri preterquam in usum predictum eamdem pecuniam expendemus, nec illam etiam pro aliquo alio negotio nos vel ipsi repetemus, nisi deberet restitui ordini memorato. Volumus tamen, et ad hoc tu consensisti expresse, quod nobis et successoribus nostris et Ecclesie romane ac nostre et ipsorum libertatibus in presenti vel in futurum propter predicta vel aliquod eorumdem nullum prejudicium generetur, quodque predicta omnia sic persistant et remaneant quousque de ordine et bonis prefatis aliter extiterit ordinatum. Si vero successores nostri ordinationem factam per nos super predictis et personarum custodia predictarum immutarent notabiliter cum effectu, volumus quod quicquid in hujusmodi bonorum negotio et personarum custodia per nos et te ordinatum existit, predictis ordinationibus et concessionibus nequaquam obstantibus, per omnia in eodem statu sint hinc inde in quo ante

ordinationes hujusmodi existebant. Datum Pictavis, XIJ die julii, pontificatus nostri anno tertio.

[100] ALIA[1] EJUSDEM PAPAE CLEMENTIS CONSTITUTIO DE EADEM RE. Poitiers, 12 juillet 1308 *(a)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis, per regnum Francie constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. Circa custodiam et gubernationem bonorum ordinis militie Templi volentes sollicitudine vigili providere, generales ad gubernandum bona predicta curatores seu administratores in brevi volente Deo proponimus deputare. Quare volumus et fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus singuli vestrum in singulis vestris civitatibus et dyocesibus unum vel plures, sicut videritis expedire, curatores seu administratores ydoneos qui bona predicta gubernent fideliter et conservent, quousque super hoc aliud fuerit ordinatum, ponere et deputare curetis. Volumus autem quod curatores seu administratores predicti jurent quod fideliter se habeant in gubernatione et conservatione bonorum ipsorum et de ipsis coram deputandis a nobis et vobis vel deputandis a vobis reddent *(b)* legitimam rationem; qua *(c)* reddita, fient per ipsos deputandos ad hujusmodi rationes audiendas littere et instrumenta vobis et hujusmodi curatoribus seu administratoribus, videlicet ipsorum cuilibet, de quantitate pecunie ex administratione bonorum predictorum per eos recepte. Fient etiam per eosdem curatores seu administratores diverse littere seu instrumenta quolibet anno de totali summa pecunie de predictis recepte et reposite et de resta computorum; quorum nobis *(d)* duo, et alia duo similia carissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francorum illustri, annis singulis assignentur. Datum Pictavis, XIJ die julii, pontificatus nostri anno tertio.

a) Anno 1307 *(sic)*, *Bal.* — *b)* reddant, *Bal.* — *c)* que, *Bal.* — *d)* vobis, *Bal.*

1. D'après *J 416*, n. 8 (Archives nationales).

[101] Ejusdem epistola[1] ad Petrum de Capella, episcopum cardinalem Praenestinum, de custodia Templariorum. — Poitiers, 13 juillet 1308 *(a)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Petro, episcopo Penestrinensi, salutem et apostolicam benedictionem. Cum carissimus in Christo filius noster Philippus, rex Francorum illustris, nobis simpliciter reddiderit generaliter personas Templariorum regni sui, per se et gentes suas, ad requisitionem generalis inquisitoris heretice pravitatis in regno suo, ratione heresum et errorum eisdem impositorum, captas, tibique com[m]iserimus curam et custodiam earumdem *(b)*, volentes negotium procedere in securo, tibi auctoritate apostolica tenore presentium recipiendi a dicto rege dictas personas realiter et ordinandi de custodiendis predictis infra regnum predictum, nomine nostro et prelatorum dicti regni, necnon de ex[h]ibitione et presentatione earumdem *(c)* facienda nobis et deputandis a nobis sive a te loco nostri et prelatis predictis ad faciendum quod decebit, plenam committimus potestatem. Datum Pictavis, xiij die *(d)* julii, pontificatus nostri anno tertio.

Ejusdem epistola[2] ad regem Philippum, qua ei significat se custodiam Templariorum commisisse Petro, episcopo Praenestino. — Poitiers, 13 juillet 1308 *(e)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Cum tu, fili carissime, nobis simpliciter reddideris generaliter personas Templariorum regni tui, per te et gentes tuas, ad requisitionem inquisitoris heretice pravitatis generalis in regno tuo, ratione heresum et errorum eisdem impositorum, captas, quorum curam et custodiam venerabili fratri nostro Petro, episcopo Penestrino *(f)* commisimus, scire te volumus quod nos *(g)* [102] prefato fratri nostro com[m]ittimus, auctoritate apostolica, plenam potes-

a) Anno 1307 *(sic)*, *Bal.* — *b)* eorumdem, *Bal.* — *c)* eorumdem, *Bal.* — *d) omis par Bal.* — *e)* Anno 1307 *(sic)*, *Bal.* — *f)* Penestrinensi, *Bal.* — *g) omis par Bal.*

1. D'après *J 416*, n. 11 (Archives nationales). — 2. D'après *J 416*, n. 10 (Archives nationales).

tatem ordinandi de ipsis custodiendis, nostro, infra regnum tuum et prelatorum regni tui, nomine, necnon et *(a)* de ex[h]ibitione et presentatione per te et ministros tuos eorumdem facienda nobis [vel] dicto fratri nostro vel deputandis a nobis vel ab ipso loco nostri et prelatis predictis ad faciendum de ipsis Templariis quod decebit. Datum Pictavis, XIIJ die julii, pontificatus nostri anno tertio.

CLEMENTIS PAPAE EPISTOLA[1] AD QUOSDAM EPISCOPOS GALLIAE DE NEGOTIO GUICHARDI, EPISCOPI TRECENSIS. — Poitiers, 9 août 1308 *(b)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Senonensi, et episcopo Aurelianensi, et dilecto filio Petro Autissiodorensi electo, salutem et apostolicam benedictionem. Pridem ad auditum apostolatus nostri perducto quod venerabilis frater noster Trecensis episcopus, si dici venerabilis mereatur, ad inconsulta dilapsus, et ad execranda quelibet convertens dampnabiliter actus suos, sortilegiorum perversis operibus se immiscuerat turpiter in fame et salutis proprie detrimentum, et eo illa nequiter exercente, ac intervenientibus ipsis, clare memorie Joanna *(c)* regina Francie dire mortis sustinuerat passionem, quodque idem episcopus Trecensis de malo labens in pejus, dilecto filio nobili viro Carolo, comiti Andegavensi, dum hactenus ad partes Campanie accessisset, necnon et carissimo in Christo filio nostro, regi Navarre illustri, tunc moranti Pictavis, conatus fuerat pestifere potionis haustum facere propinari, et nichilominus potionem ipsam nonnullis aliis de facto propinans, quidam ex eis miles et plures alii, qui sumpserant hujusmodi potionem, seve *(d)* mortis occasum, quod referimus dolenter, subierant, et alia multa commiserat enormia et nephanda in divine majestatis offensam, exempli mali perniciem, et [103] scandalum plurimorum, nos, quia non poteramus, prout nec etiam debebamus, sub dissimulatione transire, tibi, frater archiepiscope, dedisse meminimus per nostras alias litteras in mandatis ut caute et absque cujusvis rumore tumultus prefatum episcopum caperes et captum faceres sub fida custodia detineri.

a) omis par Bal.— b) Anno 1307 *(sic)*, *Bal.— c) omis par Bal.— d)* severe, *Bal.*

1. D'après *J 438*, n. 3, double (Archives nationales).

Verum intendentes super hiis scire certitudinem veritatis, discretioni vestre, per apostolica scripta, mandamus quatinus super premissis et singulis premissorum et quibuscumque premissa tangentibus, auctoritate nostra, summarie et de plano, sine strepitu et figura judicii, in forma tamen juris, contra dictum Trecensem episcopum diligentius inquirentes, ea que super predictis inveneritis per inquisitionem hujusmodi fideliter in scriptis redacta nobis, sub sigillis vestris inclusa, studeatis per proprium nuncium quantocius destinare. Testes autem de quibus videritis expedire ad perhibendum super premissis testimonium veritati, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Pictavis, v ydus augusti, pontificatus nostri anno tertio.

Ejusdem epistola[1] ad Philippum regem de causa Templariorum. Simul ad eum mittit exemplar literarum quas acceperat ab Amalrico, domino Tyri. — Lusignan, 20 août 1308 *(a)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Considerantes quod nova, et presertim de partibus ultramarinis et facto Templariorum, te audire delectat, tibi quasdam litteras, quas a dilectis filiis nobili viro Amaurico, domino Tyri, gubernatore regni Cipri, et fratre Aittone, consanguineo regis Ermenie, domino de Curco, recepimus noviter, mittimus presentibus interclusas, in quibus nova nobis intimata per eos [104] poteris intueri. Retulit enim ore tenus quidam frater, qui litteras nobis presentavit easdem, exponens apparatum maris Soldani, quod idem Soldanus facit inter alia octuaginta galeas numero preparari. Datum Lusigniaci, XIIJ kal. septembris, pontificatus nostri anno tertio.

Sanctissimo patri in Domino, Clementi, divina providentia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo pontifici, Amauricus olim Jherusalem et Cipri regis filius, Thiri dominus, et ipsius regni

a) Anno 1307 *(sic)*, *Bal.*

1. D'après le ms. latin *10919*, fol. 93 r°-94 r°.

Cipri gubernator et rector, pedum osçula beatorum. Apostolicis litteris per virum nobilem fratrem Haitonum, dominum de Curcho, michi super facto Templariorum de mense maii, proxime *(a)* preteriti, presentatis, ferventi spiritu et ardentissima voluntate decrevi, cujuslibet more sub[s]cisa materia, totis viribus mandatis apostolicis obedire, nichil, prout possibile foret, de contingentibus omittendo. Verum inspecto statu et conditionibus partium cismarinarum, quia [i]idem Templarii erant in regno multi numero, robusti, ac fortes in armis et equis, et jam dudum antea, sicut qui cuncta presciverant, recollegerant se cum stipendiariis etiam apud Nimocium in bellico apparatu, et de ap[p]aratu potissime que[m] ultra solitum certissime, sicut fertur, per insulam Cipri, per mare Soldanus fieri faciebat et facit ubique, adverti negocium ponderosum satis et grave per patrem in filii humeros fuisse transjectum, sicque oportuit in hujusmodi complendo negocio cum multa deliberatione, studio, et cautela procedere, secundum quod paterne littere continebant. Attamen levia reputans universa que in favorem fidei ort[h]odoxe per Christi vicarium mandabantur, tanquam obedientie filius circa hec cepi cum illius auxilio cujus negocium gerebatur, continuatis vigiliis solerter intendere. Et quia longum foret cuncta narrare per singula, ne aures sanctitatis vestre sermonum prolixitate graventur, fructum qui ex apostolico huc [105] usque mandato provenit quam brevius intimare curavi. Noverit igitur pie sanctitatis vestre paternitas quod post multos et varios apparatus ad bellum, quibus per terram et mare ad eorum exterminium intendebam, tamen cum ipsi Templarii, sic collecti, clare perpenderent quod mandatum apostolicum volebam modis omnibus adimplere, die XXVII[a] dicti mensis maij, marescalchus, preceptor, tricoplerius, draparius ac thesaurarius cum fratribus aliis circa decem, tanquam majores et capita, pro se ac aliis de regno Templariis apud Nicossiam in domo habitationis mee, presentibus duobus.. episcopis, fratribus Predicatoribus et Minoribus, Cisterciensibus et Carmelitis, prelatis atque canonicis *(b)* quampluribus, necnon baronibus et militibus, aliaque multitudine copiosa, in humilitatis vultu devote venerunt, offerentes personas suas et aliorum qui apud Nimocium a[d]huc in presidio residebant, res et bona quecumque ad beneplacita vestra et mandatum apostolice sedis, submittentes se et sua michi pro vobis et apostolica sede. Disposui ergo, prout

a) proximo, *Bal.* — *b)* canonibus *(sic)*, *ms.*

securius expedire conspexi, non simul, sed divisim *(a)*, per certa loca, ipsos facere custodiri, armis et equis eorum jam in mea potestate receptis, ad descriptionem bonorum et inventaria facienda secundum vestrarum continentiam litterarum, absque dilatione ac mora qualibet processurus ; super quibus continue proceditur, aliis pretermissis. Et cum primum effici poterit, unum ex inventariis sanctitati vestre transmittam, et si quid circa predicta fuerit aliud intimandum. Erat siquidem impossibile michi eos et eorum bona capi facere una die, cum, ut pretactum est, rumores longe antea prescivissent, sicque ad se muniendum grande spacium habuerunt ; quod nisi fuisset, ad litteram mandatum apostolicum per me foret executioni mandatum. Hoc tamen et alia mandata vestra, Deo propitio, juxta mee possibilitatis modum sollicite ac effectualiter complebuntur. Ceterum [106] me ipsum et regnum vere situm in medio nationis perverse sanctitati vestre sollicite hiis diebus potissime recommendo, instantissime supplicans quatinus circa conservationem et custodiam regni Cipri respiciat oculus apostolice sanctitatis. A seculo enim, sanctissime pater, auditum non est quod Sarraceni de navigio talem ubique fecerint apparatum ut nunc. Ego autem conditiones, rumores et nova studiose ac solerter inquiro, et quanto plus examino, plura gravis timoris invenio. Posset enim michi, pater, imputari gravissime, si vobis ista non scriberem, aut minus etiam quam sentirem. P[ropt]er hec et alia que de vestra sanctitate sperantur, fundo preces incessanter *(b)* ad Dominum quod dies vestros feliciter augeat : ut quod in partibus cismarinis est per tempora dispendiose deperditum, per infuse vobis providentie studium restauretur.

Ejusdem papae Clementis epistola[1] ad eumdem regem Philippum, qua ei commendat Arnaldum, episcopum Pictaviensem, quem mittit in Angliam. — Lusignan, 20 août 1308.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Sicut tecum ante recessum tuum de Pictavis condixisse meminimus, ecce quod venerabilem fratrem nostrum Arnaldum,

a) et, *ajouté par Bal.* — *b)* instanter, *Bal.*

1. D'après le ms. latin *10919*, fol. 93 r° (Bibliothèque nationale).

episcopum Pictavensem, ad regnum Anglie, pro certis ibidem discordiis, tue excellentie non ignotis, sopiendis, duximus destinandum, sperantes quod per ipsius circumspectam prudentiam dictarum discordiarum negotium ad statum laudabilem reducetur. Unde, cum per te facere transitum mandaverimus episcopo memorato, gentes tuas, quas pro premissis ad partes illas providit, etiam regia magnitudo transire, presertim cum ignis discordiarum ipsarum, sicut audivimus, de die in diem gravius accendatur, sic celeriter facias preparari, ut cum eo regnum possint ingredi supradictum et fructum in hujus[107]modi *(a)* negotio germinare, Deo propitio, salutarem, nec predictum episcopum tecum moram contrahere oporteat propter ista. Datum Lusigniaci, XIIJ kal. septembris, pontificatus nostri anno tertio.

ALIA EJUSDEM EPISTOLA[1] AD EUMDEM REGEM DE ARNALDO, EPISCOPO PICTAVIENSI, MISSO IN ANGLIAM. — La Sauve Majeure, 5 octobre 1308 *(b)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Magnificentie tue litteras benignitate paterna recepimus inter cetera continentes quod litteras nostras receperas tibi per venerabilem fratrem nostrum Arnaldum, episcopum Pictavensem, per nos ad partes Anglie, pro reformatione discordie, que inter carissimum in Christo filium nostrum Eduardum, regem Anglie illustrem, ex parte una, et barones regni Anglie vertebatur, ex altera, per literas affirmans easdem quod ex infrascriptis causis in eisdem tuis contentis litteris, super quibus volebas nostram deliberationem habere, retinueras episcopum memoratum, eumdem apud nos nichilominus excusando. Adjecisti preterea in eisdem litteris quod dilectus filius nobilis vir Ademarus de Valencia tibi pacem inter ipsos regem et barones initam et statum dictorum regis et regni retulerat, quodque rex ipse mobilia et immobilia Templariorum regni predicti bona velut propria pluribus personis distribuerat et donarat, petens quod prefato Pictavensi episcopo scriberemus ut regem commoneret eumdem quod fautoribus

a) ejusmodi, *Bal.* — *b)* Anno 1307 *(sic)*, *Bal.*

1. Pièce non retrouvée.

dilecti filii nobilis viri Petri de Gavastone in dicti regni Anglie domo plantatis a se aliquantulum elongatis, eosdem barones et dicti regni magnates ac nobiles et fideles ad sua consilia revocaret, et eorum fideli et circumspecta prudentia suum et dicti regni sui statum et rempublicam dirigeret et etiam gubernaret, dictoque regi loqueretur super distributione bo[108]norum Templariorum ipsorum, prout expediens videremus. Ad que tibi duximus respondendum quod licet prefatum episcopum nedum pro dicte pacis negocio, verum etiam pro quorumdam prelatorum liberatione, qui in illis partibus detinentur captivi, et pro multis aliis variis et arduis negotiis ad easdem partes Anglie misissemus, tamen moram ejusdem episcopi propter intimata per te excusatam habemus. Recolimus enim memorato episcopo in suo recessu efficaciter mandavisse eumque diligentius informasse quod, cum ipsum ad dictas partes ipsius regni Anglie pervenire contingeret, ad pacem inter regem ipsum et barones suos et dilectionem uniendam et unitam invicem conservandam, et quod consilio prelatorum, baronum et aliorum procerum regni predicti, progenitorum suorum vestigiis inherendo, se et regnum suum vellet feliciter gubernare, sublatis omnibus impedimentis et adversis que premissa impedire valerent, juxta datam a Deo sibi providentiam efficaciter interponeret partes suas. Super elongatione autem dictorum fautorum a domo regis predicti non visum fuit nobis episcopo predicto scribendum de novo specialiter, cum in injunctis sibi, quando a nobis recessit, predicta et omnia alia similia generaliter includantur. Si enim ipsis inauditis super hoc dicto episcopo scriberemus, nos, qui ex debito pastoralis officii cunctos quos professio christiane religionis includit juxta evangelicam doctrinam diligere tenemur et portare in visceribus caritatis et a molestiis ipsorum manus innoxias continere, eis conquerendi de nobis rationabilem materiam preberemus, maxime cum ex hoc corporum et bonorum pericula possent merito formidare. Nunc autem dicto episcopo efficaciter scribimus, repetendo que in predicto recessu injunxeramus eidem, videlicet quod pro dicta pace opportune et importune laboret, dictumque regem ad illam per viam et modum quos poterit efficaciter inducere studeat, et a con[109]trario retrahere non omittat, subtrahendo impedimenta omnia juxta posse per que possent hujusmodi pax et tranquillitas impediri. Et etiam dilectum filium nobilem virum Othonem de Grandisono, quem pro predicta pace firmanda juxta cor nostrum et tuum utilissimum reputamus, per nostras litteras inducimmus et

hortamur, nichilominus sibi mandantes quod ad presentiam ipsius regis Anglie, omnibus aliis pretermissis, se conferre aliquatenus non omittat, et una cum dicto episcopo et illis quos ad hoc mittet tua serenitas super pace hujusmodi efficaciter studeat laborare, dictaque bona, super quibus nos etiam dicto regi scribimus, et per te scribi efficaciter petimus, nobis dimittat omnino certis assignanda personis quas ad partes illas in brevi propter hoc proponimus destinare, prout te hactenus existente Pictavis fuisse recolimus ordinatum. Preterea per alias nobis litteras intimasti quod nuper dilectus filius nobilis vir Robertus, filius Pagani, miles de regno Anglie oriundus, ad tuam presentiam accedens, exposuit quod ipse, fidei fervore succensus, corpus suum, amicos et bona paratus erat exponere pro negotio terre sancte, et cum nos intenderemus ad certum passagium in ipsius terre succursum in brevi, auctore Domino, faciendum, idem Robertus, qui potens erat et dives, in hoc sancto proposito nostris cupiens parere mandatis, dirigebat e vestigio ad nostram presentiam gressus suos. Propter quod nobis attente per easdem litteras supplicasti ut ipsum militem commendatum habere, clementer admittere et favorabiliter exaudire, ipsumque passagio predicto, si eum ydoneum et ad tantum decerneremus negotium fore aptum, preficere de solita benignitate vellemus. Ad quod tue magnitudini respondemus quod, eodem nobili pro se et multis magnatibus regni Anglie ad nostram presentiam accedente, obtulit pro se et ipsis magnatibus quod, a festo beati Johannis Baptiste proximo venturo usque ad unum annum, quingenti vel circa no[110]biles cum armis et equis transfretarent in subsidium Terre Sancte, dum tamen eis, sicut Hospitalariis, qui in proximo transfretare tenentur, concederemus indulgentiam consuetam. Quamvis nobilis [vir] ipse nullam ex parte dictorum magnatum super hoc nobis literam exhiberet, nos volentes eidem nobili, de quo alias etiam per literas carissimi in Christo filii nostri Eduardi, regis Anglie illustris, nobis per ipsum nobilem presentatas audivimus multa bona, tui consideratione, et ut ex hoc passagium ipsum auxilium consequatur, plenitudinem nostre benivolentie liberaliter exhibere, eidem respondimus quod nos indulgentiam memoratam sibi et aliis usque ad pretactum numerum transfretare volentibus ex nunc concedebamus assequendam ex tunc cum ad hujusmodi passagium arripuerint iter suum, et super hoc ei concessimus litteras nostras bullatas. Super eo autem quod eumdem nobilem prefici dicto passagio postulasti, tue excellentie respon-

demus quod cum, sicut regalis prudentia plene novit, dilectum filium.. magistrum Hospitalis Sancti Johannis Jherosolimitani prefecerimus in capitaneum passagii memorati, non decet honorem nostrum absque causa rationabili ordinationem hujusmodi aliquatenus immutare. Quare non gerat molestum regia celsitudo si super hoc non satisfecimus votis tuis. Datum apud Silvam majorem Burdegalensis dyocesis, IIJ nonas octobris, pontificatus nostri anno tertio.

ALIA EJUSDEM PAPAE EPISTOLA[1] AD EUMDEM REGEM UT FIDEM ADHIBEAT ARNALDO DE FAUGERIIS. — Poitiers, 17 novembre 1307.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Dilectum filium magistrum Arnaldum de Faugeriis, capellanum nostrum, prepositum Arelatensem, latorem presentium, serenitati regie duximus destinandum, cui plenam [111] fidem adhibeas in hiis que super captione Templariorum ubique facienda et quibusdam aliis que ad nos noviter pervenerunt, ac quadam littera negotium pacis inter te et.. regem Anglie contingente concessa per nos, dum Lugduni romana curia resideret, ex parte nostra tibi duxerit referenda. Datum Pictavis, XV kal. decembris, pontificatus nostri anno tertio.

PHILIPPI REGIS RESPONSORIA[2] AD EPISTOLAM SUPERIOREM. [1307?]

Sanctissimo patri in Domino Clementi, divina providentia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo pontifici, Philippus, eadem gratia Francorum rex, devota pedum oscula beatorum. Beatitudinis vestre littere, quas nobis venerabilis vir magister Arnaldus de Faugeriis, capellanus vester, Arelatensis prepositus, presentavit, reverenter recepimus et letanter. Expositis autem nobis per eum seriatim et valde prudenter hiis que sanctitas apostolica sibi super articulis in dictis contentis litteris duxerat injungendum, et a nobis plenius intellectis, visaque quadam cedula, cujus formam singulis regibus et principibus catholicis dirigitis vel estis in proximo direc-

1. D'après le ms. latin *10919*, fol. 69 r° et 171 r° (Bibliothèque nationale). — 2. D'après le ms. *10919*, fol. 69 r° et v°.

turi, sanctitati vestre gratiarum referimus multiplices actiones, super eo potissime quod sanctum et laudabile propositum vestrum de facto Templariorum nobis aperiendum duxistis. Ad accelerationem autem, pater sanctissime, pro honore vestro et universali Ecclesia sancta Dei, vos festinare cum instantia requirimus et rogamus. Ceterum petimus quod, prout melius fieri poterit saniorique modo, illum prosecutionis terminum, carissimum filium nostrum regem Anglie contingentem, usque ad instans festum Resurrectionis dominice prorogetis. Datum, etc.

[112] Clementis papae epistola[1] ad regem Philippum de negotio Templariorum. — Poitiers, 1er décembre 1307.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Regie magnitudinis litteras leta mente recepimus, inter alia continentes quod cum admiratione acceperas quod per aliquos de tuis quibusdam de nostris curialibus scriptum fuerat quod nos totum negotium Templariorum in personis et bonis per apostolicas litteras, quas dilectus filius magister Gaufridus *(a)* de Plexeyo, notarius noster, tibi attulerat, tuo totaliter commiseramus arbitrio, tuam omnino super hoc conscientiam onerantes : quarum etiam auctoritate litterarum idem notarius, sub commissa in eis sibi credentia, tibi ex parte nostra retulerat quod ad generalem captionem personarum et bonorum Templariorum ipsorum deberes procedere contra eos. Ex quibus multa admiratione commotus scire et pro certo nos *(b)* tenere volebas quod prefatus notarius super dicto Templariorum negotio nullas unquam tibi patentes vel clausas credentie vel alias apostolicas attulerat litteras, nec ex parte nostra premissa vel consimilia verba dixerat, sed quasdam alias vias sub certa forma tibi retulerat tangentes utilitatem negotii memorati. Circa quod negotium Templariorum, cujus promotionem pro exaltatione fidei et conservatione ecclesiastice *(c)* libertatis assumpseras, libertatem ipsam, progenitorum tuorum sequendo vestigia, illesam omnino servare nec eam tuis temporibus volebas infringere vel minuere quoquo modo, quin potius ad conservationem

a) Gaufredus, *Bal.* — *b) omis par Bal.* — *c)* ecclesie, *Bal.*

1. D'après *J 416*, n. 15 (Archives nationales) ; copie, dans le ms. latin *10919*, fol. 170 v°-171 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

ipsius intendere solito ferventius in hac parte ob persone nostre presentiam, reverentiam et honorem, tanquam ille qui in predicto negocio ea solummodo queris que sunt Dei, ad laudem divini nominis, exaltationem catholice fidei, honorem nostrum, et sancte matris Ecclesie, et [113] promotionem felicem respiciunt sepedicti negotii Terre Sancte disposueras mente firma. Quibus omnibus cum diligentia recensitis, de multitudine affectionis hujusmodi, quam ostendis, et bono proposito, quem habere dinosceris, gaudemus in Domino et multipliciter exultamus, celsitudinem regiam rogantes et hortantes in Domino quatinus pro divini nominis gloria tueque salutis augmento de bono in melius circa propositum hujusmodi dirigens actus tuos *(a)* et perseverans in illo constanter, ad ea que dilecti filii nostri Berengarius, tituli Sanctorum Nerei et Achillei, et Stephanus, tituli Sancti Ciriaci in T[h]ermis presbiteri cardinales, ad tui presentiam a nobis pro negotio predicto transmissi, tibi retulerint, sic te reddas benivolum, sic promptum et liberalem exhibeas, et alias in hiis que premissa contingunt eos benignius exaudias quod ea que tue predicte littere continebant non solum nobis, qui premissa tenemus certitudinaliter, sed universo mundo appareant per effectum, atque *(b)* preter divine retributionis premium, quod exinde regia celsitudo merebitur, devotio tua dignis in Domino laudibus attollatur. Datum Pictavis, kal. decembris, pontificatus nostri anno tertio.

PHILIPPI REGIS EPISTOLA[1] AD PAPAM DE EODEM NEGOTIO TEMPLARIORUM. — Paris, 24 décembre 1307.

Sanctissimo patri in Domino Clementi, divina providentia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo pontifici, Philippus, eadem gratia Francorum rex, devota pedum oscula beatorum. Progenitorum nostrorum more nostre viget intentionis integritas erga sacrosanctam romanam Ecclesiam, matrem nostram, et sic ad eam reverentia filialis exuberat quod ipsius beneplacitis nostros libenter conformamus affectus, ac petitiones suas, cum causa deposcit, fideliter admittimus ad exauditionis effectum, ejusque nuncios et legatos ac presertim ejusdem Ecclesie cardinales hilari vultu recipimus et honorificentia con[114]digna tractamus. Inter quos

a) actus tuos, *omis par Bal.* — *b)* tuque, *doc.*

1. D'après le ms. *10919*, fol. 173 r° et v° (Bibliothèque nationale de Paris).

dilectos et speciales amicos nostros Berengarium, tituli Sanctorum Nerei et Achillei, et Stephanum, tituli Sancti Ciriaci in T[h]ermis presbiteros cardinales, ob suorum magnitudinem meritorum, que in magnis et arduis experientia longa quasi palpando cognovimus, caros habentes et acceptos, ipsos ad nos ex parte vestra pro Templariorum negotio, quos nuper ad requisitionem inquisitorum heretice pravitatis, in regno nostro auctoritate apostolica deputatorum, pro hujusmodi termino capi fecimus, diebus istis novissime destinatos leta mente recepimus, hilariter vidimus, ac petitiones quas super Templariorum ipsorum personis et bonis sub vestro et Ecclesie nomine resumendis, liberandis, et admittendis ex parte vestra fecerunt reverenter audivimus et intelleximus diligenter. Et quia inter ceteros sanctos patres, qui Ecclesie prefate regimini nostris temporibus prefuerunt, ad personam vestram specialis gerimus reverentie, dilectionis et devotionis affectum, et circa negotium pretactum, quod pro exaltatione catholice fidei et ecclesiastice libertatis, predecessorum nostrorum insequentes vestigia, sumpsimus, libertatem ipsam illesam volumus omnino servari, salvo tamen nobis in omnibus jure nostro, cui, sicut nec juri Ecclesie, per hoc seu per alia negocia factum tangentia, quantum ad predictas personas et bona et eorum custodiam nolumus nec intendimus aliquod prejudicium generari, sed jus integrum tam nobis quam Ecclesie illesum servare, personas Templariorum ipsorum posuimus vestro et Ecclesie nomine in manibus cardinalium eorumdem, bona vero tam mobilia quam immobilia, que ipsi Templarii tenebant tempore captionis que per nos seu gentes nostras reperta sunt, que insuper reperiri poterunt quoquo modo, secure fecimus *(a)* et faciemus fideliter et integre custodiri in terre sancte subsidium, cui progenitorum nostrorum et aliorum pia devotione fidelium [115] collata fuisse noscuntur, totaliter convertenda. Ut autem circa bonorum ipsorum custodiam evidentius liqueat nostre intentionis arbitrium, ad finem prefati negotii terre sancte certos ministros receptores *(b)* et custodes bonorum ipsorum alios probos viros disposuimus statuendos quam eos qui nostris propriis rebus presunt, qui separatim a nostris communibus rationibus de bonis predictis reddent fideliter rationem, disponentes pro ordinatione tam de personis quam *(c)* bonis Templariorum ipsorum et aliis hujusmodi negotium contingentibus ad laudem divini

a) faciemus, *ms.* — *b)* acceptores, *ms.* — *c)* de, *ajouté par Bal.*

nominis, exaltationem catholice fidei, et promotionem felicem dicte terre, divina cooperante misericordia, salubriter facienda ad sanctitatis vestre presentiam [quantocius] personaliter nos conferre, sicut eisdem cardinalibus duximus plenius exponendum. Datum Parisius, dominica ante natale Domini, anno Domini MCCCVIJ.

Clementis papae epistola[1] de reservatione Ecclesiae Autissiodorensis. — Poitiers, 4 avril 1308.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Gerentes ad Autissiodorensem ecclesiam benivolentie specialis affectum, ad ea paternis studiis libenter intendimus per que status ipsius de bono semper in melius salubriter dirigatur. Cum igitur eadem ecclesia per obitum bone memorie Petri, episcopi Autissiodorensis, vacare noscatur, nos attendentes quod ecclesiis vacantibus, ex eorum dissentione ad quos in ipsis electiones pertinent prelatorum, solent plerumque scandala gravia necnon dampna non modica et pericula provenire, ac propterea cupientes quod hujusmodi dissentionum scandalis et periculis, que in eadem ecclesia in presenti vacatione, occasione electionis de pastore inibi faciende, sicut relatione fide dignorum accepimus, evenire timentur, salubriter evitatis, eidem ecclesie de persona provideatur ydonea, que tanto congruat oneri et honori, provi[116]sionem dicte ecclesie hac vice, nisi forsan electio de futuro episcopo fiat in concordia in eadem, dispositioni nostre et apostolice sedis, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica, reservamus, decernentes ex nunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum etc. Si quis autem etc. Datum Pictavis, IJ non. aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

Berengarii cardinalis epistola[2] ad regem Philippum, qua ei commendat Poncium de Omelacio, judicem majorem seneschalliae Ruthenensis. — Poitiers, 23 mars [1308].

Excellentissimo principi domino suo carissimo domino Philippo,

1. D'après le *Reg. Vat. 55*, fol. 221 r°, caput *14* ; copie dans le ms. latin *10919*, fol. 174 r° (Bibliothèque nationale de Paris). — 2. D'après le *Reg. Vat. 55*, fol. 221 r°, caput *14*; copie dans le ms. latin *10919*, fol. 98 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

Dei gratia regi Francorum illustri, Berengarius, miseratione divina tituli Sanctorum Nerei et Achillei presbiter cardinalis, salutem et votive felicitatis continuum incrementum. Nobilis et sapiens vir dominus Poncius de Omelacio, miles vester, legum doctor, judex major senescallie Ruthenensis, ab olim regiis mancipatus obsequiis, sic se, prout ab experto didici, in ipsorum obsequiorum prosecutione fidelem et ministeriosum exhibuit, continuatis devotionis ac sincere fidei affectibus sic ad regia servitia desideranter anhelat quod propterea ipsum apud regiam majestatem gratia dignum fore conjiciens, fiduciosius pro eo penes vestram celsitudinem intercedo. Porro cum idem miles a jam diu in officio judicature majoris senescallie Ruthenensis diligenter et fideliter serviverit, nec sibi exinde juxta suorum meritorum et probitatis decentiam fructus utilitatis condigne provenerint, magnificentiam vestram duxi presentibus affectuosius exorandam quatinus attendentes prudenter quod tunc regalis solii culmen extollitur cum regia munificentia illis in retributionibus premiorum liberalem se exhibet quos fidei claritate conspicuos, in [117] servitiis regiis fructuosos claris semper indiciis experitur, dicto militi nostre intercessionis intuitu sueque bonitatis et servitiorum obtentu ex alio meliori officio sibi juxta merita sue probitatis accom[m]odo dignemini de solita munificentia providere. Datum Pictavis, XXIIJ die martii.

RAYMUNDI CARDINALIS EPISTOLA[1] AD EUMDEM REGEM DE QUADAM DISCORDIA INTER GENTES REGIAS ET FAMILIARES CARDINALIUM. — Poitiers, 13 mai [1308].

Excellentissimo principi, domino Philippo, Dei gratia regi Francorum illustri, amico karissimo, Raymondus, miseratione divina Sancte Marie Nove dyaconus cardinalis, salutem et votivis prosperari successibus cum incrementis felicibus glorie et honoris. Quanto magnitudinem regiam ampliori affectione diligimus, tanto desideramus ardentius ab intimis cordis nostri ut ipsius nomen et honor augmentis magnificis exaltetur. Recolimus siquidem quod sanctissimo patre et domino nostro, summo pontifice, dudum adveniente Pictavis, inter gentes regias et familiares reverendorum patrum dominorum sacrosancte romane Ecclesie cardinalium, hospitiorum occasione, aliqua dissentio extitit suscitata, in qua

1. D'après le ms. latin *10919*, fol. 251 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

ipsi domini cardinales se fuisse gravatos per gentes easdem aliqualiter reputarunt, et etiam contentiones alique ex hoc exorte fuisse noscuntur. Quare credimus quod regius honor existeret ut nobilem virum dominum Ingerandum de Marigni, militem et cambellanum vestrum, pro dictorum hospitiorum ordinatione premitteretis Pictavis, ne possent in adventu vestro similia evenire. Datum Pictavis, die XIIJ maii.

EDUARDI II, REGIS ANGLIAE, EPISTOLA[1] AD PHILIPPUM, REGEM FRANCORUM, DE NEGOTIO PETRI DE GUAVASTONE. — Windsor, 16 juin 1308.

Excellentissimo principi, domino et patri suo carissimo, [118] *domino Philippo, Dei gratia regi Francorum illustrissimo, Edoardus, eadem gratia rex Anglie, dominus Ybernie et dux Aquitanie, salutem et ad vota successus prosperos et felices.* Naturalis rationis instinctus necnon firma spes nobis suggerit et indubitata credulitas repromittit ut si nobis occurrant prospera, ea paternitati vestre intimare curemus, ut intimatione prosperitatis paternus animus ad letitie munus assurgat, et si adversantia insurgerent, idem cupimus ut turbationi filii per paternam curam et sollicitudinem succurratur. Sane, post regni et terrarum nostrarum gubernacula, per nos Deo volente suscepta, consideratis multe probitatis virtutibus, quas ab olim in nobili viro Petro de Guavastone, comite Cornubie, vigere percepimus, comitatum ipsum de voluntate, consilio, et consensu et ad procurationem comitum, baronum et procerum regni predicti, sibi absenti et ignoranti, gratiose duximus concedendum. Sed demum iidem comites, barones et proceres hujusmodi voluntatem, consilium et consensum in contrarium inmutantes, immo perseverantes in illo, contra nos graviter insurgentes, nobis infestos multipliciter et molestos se reddere non verentur. Ex quo scandala et pericula graviora suboriri posse in regno et terris eisdem verisimiliter formidantur. Cum itaque de paternitate vestra, ut in hiis et aliis nobis occurrere valeat, specialiter confidamus, paternitati predicte, reverentia filiali, eo affectuosius quo possumus supplicamus quatinus, zelum paterne affectionis ad nos et regnum predictum et terras celeriter dirigentes, hujusmodi occurrere dignemini scandalis et periculis obviare, et vias et modos exquirere quibus

1. Même ms., fol. 227 v°-228 r°.

super hoc provideri possit de remedio salutari, aliquam vel aliquas personas de vestris pacem et transquillitatem nostram et ejusdem regni appetentes ad regnum destinando predictum, super hiis etiam, si placet, cum sanctissimo patre nostro domino Clemente, divina providentia summo pontifice, colloquentes et [119] eidem, cui super hoc scribimus, supplicantes ut sibi super premissis placeat interponere partes suas et aliquos viros providos, una cum illis quos vos pro predictis ad regnum nostrum predictum et terram missuros credimus mittere, qui, inspecta qualitate negotii premissa, valeant sue providentie virtute sedare et ad statum reducere pacificum et transquillum, ita quod nos dictaque regnum et terre per vestre paterne sollicitudinis salubria studia, scandalis et periculis repressis eisdem, in pacis et transquillitatis dulcedine quiescamus. Datum apud Vindesoren *(a)*, XVJ die junii, anno regni nostri primo.

RAYMUNDI CARDINALIS EPISTOLA[1] AD ARCHIEPISCOPUM COLONIENSEM DE VACATIONE IMPERII. — Poitiers, juillet [1308].

Venerabili in Christo patri, amico carissimo, domino H[enrico], Dei gratia archiepiscopo Coloniensi, Raymondus, miseratione divina Sancte Marie Nove dyaconus cardinalis, salutem et sinceram in Domino caritatem. Acerbe mortis occasus, quem pertulit clare memorie dominus Albertus, rex Romanorum, doloris attulit cordi nostro puncturam, et adhuc, presertim propter [h]orribilitatem excessus, expertes fore doloris hujusmodi non valemus. Preterea vestre paternitatis circonspecta prudentia potest evidenter advertere quod Alamannie regni provisio precordialiter Ecclesiam romanam contingit. Propter quod desideranter optamus et non modicum dinoscitur expedire ut talis ad ejusdem regni regimen eligatur qui, mentalibus oculis erectis ad Deum, revereatur *(b)* Ecclesiam more devoti filii, sicut matrem, dicti regni ecclesias, ecclesiasticasve personas earumque bona, libertates et jura sicut princeps catholicus potenti brachio tueatur, ac divino excitatus spiritu, oppressionibus terre sancte pio affectu compatiens, ad recuperationem ipsius, ad quam ejusdem Ecclesie romane, ac sanctissimi patris et domini nostri summi pontifi[120]cis desideria

a) Vindesoram, *Bal.* — *b)* revereantur *(sic)*, *ms.*

1. D'après le ms. latin *10919*, fol. 128 r° et v° (Bibliothèque nationale de Paris).

ferventer aspirant, pro reverentia illius qui terram ipsam sui preciosissimi sanguinis effusione sacravit suarum virium potentiam tanquam fortis athleta Domini et vindex strenuus crucifixi non desinat exercere. Hec siquidem et alia multa gratie celestis carismata, que in magnificum virum dominum Karolum, Valesiensem et Andegavensem comitem, influxit benignitas piissimi salvatoris, ad ipsius regni regimen inter magnates singulos orbis terre, sicut creditur, utiliorem efficiunt et magis ydoneum representant. Ipse vero discretionis providentia pre[e]minet, altitudine precellit consilii, et habetur strenuitate prepotens in agendis, et tam sua quam excellentis principis domini Philippi, regis Francorum illustris, fratris sui, operante potentia, posset regnum prefatum, si, De[o] volente, ad hujusmodi electionem procedi contingeret, sub felici suo regimine salubriter gubernari, quietis et pacis habundare delitiis, et in suis deperditis juribus restaurationem recipere salutarem. Idem etiam comes a sue juventutis initiis primogenitorum suorum imitans laudanda vestigia, exaltationem ipsius Ecclesie promovere sollicite studuit, et suam suorumque personas libenter exposuit pro defensione ecclesiastice libertatis, ac Dei beneplacitum, veluti sui nominis amator intentus, studio diligentis indagationis exquirens direxit ardenter ad subveniendum terre predicte necessatibus vota sua. Quare paternitatem et amicitiam vestram affectione plena rogamus quatinus premissa infra claustra vestri pectoris meditatione sollicita recensentes in prefatum comitem eligendum in regem regni prefati dirigatis, quantum in vobis fuerit, vota vestra, ut nos, qui in electione hujusmodi multum reputabimus honorari, in vestris honoribus promovendis ex corde ministerium nostre sollicitudinis liberaliter exponere teneamur. Datum Pictavis, mense julii.

[121] Berengarii et Stephani cardinalium epistola[1] ad Philippum, regem Francorum, de negotio Templariorum. — Chinon, 20 août [1308].

Serenissimo principi, domino Philippo, Dei gratia regi Francorum illustri, sui devoti, Berengarius, tituli Sanctorum Nerei et Achillei, et Stephanus, tituli Sancti Ciriaci in T[h]ermis presbiter, et

1. D'après le ms. latin *10919*, fol. 126 v°-127 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

Landulphus, Sancti Angeli dyaconus cardinales, salutem et sinceram in Domino karitatem. Nuper de mandato domini nostri summi pontificis ad castrum Caynone accedentibus, pro examinandis majore magistro ordinis militie Templi, magistro Cipri, visitatore Francie, preceptore Pictavie et Acquitanie, et preceptore Normannie, tam super hiis quibus ipsi sunt super heresis crimine diffamati quam etiam super toto ordine militie Templi, die vero sabbati post assumptionem beate Marie nuper preterita, evocato et presenti coram nobis preceptore dicti ordinis in regno Cipri, expositisque eidem articulis super quibus ipse et ordo erant in heresis crimine diffamati, prestitoque ab eodem juramento super impositis eidem, ipse tanquam filius obedientie, et suum recognoscens reatum, confessus abnegationem Domini nostri et spuitionem juxta crucem, eademque die evocato et presente coram nobis preceptore Normannie, et prestito ab eodem juramento, dictam abnegationem est confessus, simili modo evocatis in vesperis eadem die preceptore Pictavie, Normannie, et Acquitanie coram nobis, deliberante eodem usque in sequentem diem, confessus est quod promisit recipienti eumdem in ordine quod si unquam a fratribus dicti ordinis peteretur ab eodem utrum fecisset abnegationem Domini nostri, responderet quod fecisset eamdem, vocato postmodum et presente coram nobis fratre Hugone de Paraldo die dominica sequenti in mane, et ultimo magistro majore in vesperis ejusdem diei, eisdem sigillatim et singulis ar[122]ticulis propositis, deliberatione ab eis usque in sequentem diem petita et a nobis obtenta, predicta die lune comparens coram nobis prefatus frater Hugo, primitus prestito juramento, in confessione quam fecit Parisius persistens, specialiter predictam abnegationem per se factam est confessus et visionem capitis ydolatici et alia illicita, prout in ipsius confessione plenius continentur, demum die martis sequente comparente coram nobis majore magistro, juramento ab eo prestito, et propositis eidem articulis, confessus est abnegationem predictam, nobis supplicans quatinus quemdam fratrem servientem et familiarem suum, quem secum habebat, volentem confiteri audiremus. Et quia sic predictum magistrum penitentem de commissis vidimus et pro dicto fratre, ipsius familiari, sic rogantem, nos, licet a predicto summo pontifice commissa examinatio specialiter non esset nisi de quinque fratribus supradictis, confisi tamen de ipsius pape voluntate, ipsum fratrem audivimus : qui coram nobis comparens, et prestito juramento ab eodem,

confessus est abnegationem Dei, prout hec in instrumentis publicis inde confectis, sigillis nostris sigillatis, plenius continentur. Et sic itaque predictis omnibus examinatis et petentibus absolutionem de commissis, eisdem abjurantibus omnem heresim, sigillatim et singulariter absolvimus eosdem, et eos restituimus et incorporavimus sacramentis et Ecclesie unitati. Cum igitur, princeps illustris, misericordiam petenti non sit deneganda, dictique fratres misericordiam petentes, et specialiter magister major, Hugo de Paraldo, et preceptor terre ultramarine, sic juste, sic humiliter, sic devote predictas confessiones fecerint quod a Deo misericordiam et ab hominibus gratiam veraciter meruerunt, hinc est quod regiam magestatem affectuose precamur quatinus apud eos sic gratiose, favorabiliter et benigne vos geratis quod per hoc vestrum favorem [123] et gratiam sentiant meruisse, super premissis nichilominus credentes dilectis vestris militibus, G. et G., ac J[ohanni] de Yenvilla, latoribus presentium, qui nobiscum in dicto castro interfuerunt et super hoc diligentes. Scriptum in dicto castro, die martis post Assumptionem.

Clementis V epistola[1] ad episcopos regni Francorum, qua eis significat nolle se nova statuta edere circa correctionem Templariorum, sed quod procedatur contra eos juxta juris exigentiam. — Avignon, 1er août 1309 *(a)*.

Clemens, episcopus, servus, servorum Dei, venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis, ac omnibus aliis per nos ad infrascripta per regnum Francie deputatis, salutem et apostolicam benedictionem. Quidam vestrum, sicut accepimus, circa negotium inquisitionis, quam contra singulares personas ordinis militie Templi per nostras fieri litteras sub certa forma mandavimus, dubitant an propter clausulam illam *(b)*, *vocatis qui fuerint evocandi*, quam dicte continent littere, alii quam fratres ipsi ad inquisitionem hujusmodi et processus super hoc faciendos debeant evocari, et an si non vocati accesserint, et se ad fratrum ipsorum defensionem obtulerint, sint ad defensionem hujusmodi admittendi. Dubitant

a) Anno 1308 *(sic)*, *Bal.* — *b)* illam clausulam, *Bal.*

1. D'après *J 416*, n. 16 (Archives nationales) et *Reg. Vat. 56*, fol. 273 r°, caput *75*, *de curia.*

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

etiam qualiter sit contra pertinaces et confiteri nolentes et contra illos qui suas confessiones sponte factas revocant procedendum. Super quibus nostre declarationis oraculum postularunt. Cum autem per jura scripta, quorum nonnullos vestrum plenam scimus habere notitiam, hec dubia declarentur, et propterea nos ad presens non intendentes *(a)* nova jura facere super illis, volumus quod in premissis juxta juris exigentiam procedatis. Datum Avinioni, kal. augusti, pontificatus nostri anno quarto.

[124] Ejusdem epistola[1] ad regem Philippum de negotio Bonifacii VIII. — Le Groseau, 18 octobre 1309 *(b)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Ad regie serenitatis notitiam, presentium tenore, deducimus quod pridem, dum essemus Avinioni, tam illos qui contra felicis recordationis Bonifacium papam VIIJ, predecessorem nostrum, super facto heresis dicere vel proponere aut ipsum defendere intendebant in publico consistorio, presente ibidem fidelium multitudine copiosa, citavimus ut prima die juridica post dominicam in quadragesima qua cantatur *Reminiscere* Avinioni compareant coram nobis, in eodem negocio, prout suadebit justitia, processuri, et subsequenter literas nostras super hujusmodi citatione confectas ne aliquis possit pretendere ignorantiam circa illam, in audientia publica fecimus publicari et patenter ostiis seu superliminaribus ecclesie Avinionensis et fratrum Predicatorum dicti loci affigi, prout in ipsis litteris plenius continetur. Sane quia, sicut a tua non credimus excidisse memoria, inter nos dudum et te ac quasdam ex nostris et tuis personas condictum extitit quod in negotio ipso procederetur per viam aliam, per quam illud poterat salubrius terminari, quamvis si prosecutionem dicti negocii dimittere te contingat, diversa onera nobis accrescant, sicut discretionem tuam et tui consilii, quam Deus multis virtutibus illustravit, credimus non latere, si ad hoc cogitatus suos convertat, celsitudinem regiam, cujus incrementa virtutum desideranter appetimus, deprecamur attentius et in Domino efficaciter exhortamur ; paterno tibi nichilominus

a) intendamus, *Bal.* — *b)* Anno 1308 *(sic)*, *Bal.*

1. Pièce non retrouvée.

consilio suadentes, quatinus viam eamdem in prosecutione dicti negocii pro Dei et Ecclesie ac apostolice Sedis honore regalisque fame decore et salutis cumulo adaugendo [125] consequi studeas et tenere. Constanter enim credimus et firmiter reputamus quod per viam ipsam decentior ipsi negotio progressus prosecutionis adveniet, et tam pro te quam etiam tuo regno finis tutior, honorabilior et salubrior imponetur. Nec te movere debuisset, fili carissime, ad differendum hujusmodi quorumdam pilum in ovo querentium curiosa subtilitas dicentium quod in litteris quas tu super illo negotio nobis mittere debuisti verba aliqua sunt inserta juri regio detrahentia et honori, cum in veritate nichil tale valeat in eis reperiri, et note super illis edite presentibus aliquibus de tuis bene intelligentibus providis et discretis fuerint ordinate. Nos etiam in litteris illis vel aliis nichil sustineremus quod tuo posset derogare honori. Verumptamen attendentes plura pericula imo quodam modo infinita, que nobis noviter occurrunt, propter disputationes et cogitationes profundas, quas frequenter habuimus circa materiam antedictam, postquam a nostra presentia recessisti, et propter multa que ex relatione multorum fratrum nostrorum ad nos postmodum pervenerunt, que tibi et illis nobilibus qui specialiter dictum negocium prosequuntur possent verisimiliter imminere, ac volentes ostendere puram, non tortuosam, sed rectam conscientiam, ac dilectionem intimam quam ad personam et libertatem tuam efficaciter habuimus et habemus, et predictis periculis penitus obviare, et voluntati tue, immo potius illorum qui minus sapienter auribus regiis talia susurrant, clausulam illam in predictis litteris contentam presentibus interclusam dilecto filio nostro Raymundo, Sancte Marie Nove dyacono cardinali, et quibusdam aliis cardinalibus, amicis tuis, per serenitatem regiam transmissam, ut accepimus ab eisdem, tollimus, et ob premissa equanimiter sustinemus quod litteram regiam super predictis ordinatam detracta ipsa clausula duplicatam per unum de illis, et non alium, qui in predicta-[126]rum ordinatione fuerunt, nobis transmittere non postponas, significantes sibi quod, licet dilectus filius frater Guillelmus Petri, ordinis Predicatorum, doctor in theologia, capellanus noster, lator presentium, has litteras tibi portet, quamvis de fidelitate ipsius confidamus, de predicto negotio nichil novit, nec volumus ei per te super hiis aliquid aperiri. Datum in prioratu de Grausello prope Malausanam, Vasionensis dyocesis, xv kalendas novembris, pontificatus nostri anno quarto.

LITTERA[1] CLEMENTIS PAPAE DIRECTA REGI FRANCIAE PROPTER INJURIAM FACTAM PER DUCEM VENETIARUM. — Le Groseau, 18 octobre 1309 *(a)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Jocunde referimus quod progenitores tui, christianissimi principes, sicut illustrium splendore natalium polluerunt, sic eximie devotionis gratia prepollentes, ad sanctam romanam Ecclesiam filialem reverentiam habuerunt, et velut filii fama factisque preclari, matrem ipsam ejusque jura, sicut antiquitas fidelis intitulat, summopere defensarunt, exaltationem ipsius solertibus alias studiis promoventes. Sed letamur et amplius, inclite principum, quod illorum gesta magnifica sic in te laudabilis clarique continuatione preconii propagata noscuntur quod clare ac laudande memorie progenitorum ipsorum recolenda sectans vestigia, eorum quibus in hereditate succedis, in prosecutione virtuosorum operum sedulo te constituis successorem. Tu namque velut christianissimus princeps, dilectus et predilectus a Domino, Ecclesiam ipsam et Sedem apostolicam constanti animo revereris, et apud eam devotionis inclite claritate prefulgens, in Dei timore fervidus, et in ipsius matris Ecclesie dilectione beate considerationis spiritu perseverans, ipsius honorem et [127] commodum votive prosequeris, et ejus jura favore regio suscipis confovenda. Profecto, licet hujusmodi tue devotionis et dilectionis affectus multipliciter hactenus gestorum regalium claritate patuerit, nunc tamen illum quem clarius rei evidentia manifestat clarioribus indiciis experimur. Cum enim dudum ad aures regias pervenisset quod quondam.. dux, consilium et commune Venetiarum civitatem Ferrariensem cum suo comitatu et districtu spectantem ad romanam Ecclesiam pleno jure, cujusque possessionem nos et ipsa Ecclesia pacificam habebamus, hostiliter presumptuosa temeritate invaserant, eamque occupaverant violenter, et detinebant dampnabiliter occupatam, quodque per eos ipsi Ecclesie gravibus irrogatis injuriis, diversos ibidem excessus contra eamdem Ecclesiam

a) Anno 1308 *(sic)*, *Bal.*

1. D'après *J 704*, n. 177 (Archives nationales).

eorum insolentia detestanda commiserat, tu, fili carissime, quem materne passionis filialis affectus reddit intenta compassione participem, progenitorum tuorum more laudabili moleste ferens pretactos injurias et excessus, ac propterea in ejusdem matris levamen favorabili magnanimitate consurgens, eosdem quondam ducem, consilium et commune per tue celsitudinis litteras speciales et nuntios rogare, hortari et efficaciter inducere curavisti ut ipsi, quod in hac parte contra ipsam Ecclesiam improvide attemptarant, ad statum debitum cum reverentia prona reducerent, et satisfacientes ipsi Ecclesie de illatis sibi injuriis, ei civitatem eamdem dimitterent, et illius possessionem eidem Ecclesie integrarent. Nec in hoc fervor regii favoris omisit quin illis ejus apicibus indicaret quod si contrarium facerent, celsitudo regia, que sepedicte matris ferre nequibat injuriam, moveri contra illos ad ultionem debitam intendebat ; ac, prout ex tuarum litterarum serie perlecta collegimus, quondam dux et Veneti sepefati tam tuis litteris quam nuntiis memoratis honorificentia condigna receptis, eorum super hiis solempnes procuratores [128] et nuncios cum mandatis specialibus ad regie serenitatis presentiam destinarunt. Et demum, cum super premissis inter te et ipsos diversi tractatus habiti extitissent, tua illustris et circumspecta prudentia honoris nostri et ejusdem Ecclesie zelatrix fervida ordinavit quod dicti procuratores et nuncii Venetorum ad nostra et ipsius Ecclesie mandata humiliter redeuntes, omnia de quibus inter Ecclesiam et ipsos scrupulus contentionis ingeritur nostris in manibus ponerent, nostreque super hiis se omnino summitterent voluntati. Ac insuper ex amplissimo regie dignationis affectu per tue celsitudinis litteras et nuntios qui nuper cum dictis Venetorum nuntiis et procuratoribus apostolicam presentiam adiverant, de ipsorum Venetorum conversione letatus, et ipsorum procuratorum precibus inclinatus, apud nos intercessisti deprecabiliter pro eisdem. Re vera, fili, apponentibus se ante nostros oculos Venetorum ipsorum excessuum enormitate tam grandium et injuriarum tam atrocium gravitate, quibus prelibate matris viscera nequiter lacerarant, patrisque precordia crudeliter sauciarant, mens nostra gravibus exinde confossa doloribus memoratos eorum procuratores et nuncios equanimiter audire vel recipere non valebat ; nec recepissemus eosdem, nisi prius nobis de ipsorum sufficienti et non injurioso Ecclesie, sed decenti syndicatu vel procuratorio constitisset. Sed dum ad regie pro illis deprecatricis interventionis instantiam revolvimus nostre

considerationis intuitum, procuratores eosdem, quibus alias, prout eis in publico aperte prediximus, audientiam nullatenus dedissemus, ob tui tamen, qui recumbens infra claustrum apostolici pectoris habes in nobis quicquid in patre devotus filius promeretur, considerationem precaminum et honorem benigne recepimus, et verba propositionis eorum pleno collegimus intellectu. Et quoniam eorum procuratoria seu mandata, que tunc coram nobis producere curaverunt, queque vidimus, ac videri [129] et examinari per fratres nostros fecimus diligenter, nedum insufficientia ad ea que hujusmodi negotii qualitas et prosecutio requirebat, immo nulla et injuriosa etiam comprobantur, super eodem negotio inter nos et illos apertio voluntatis nostre non potuit cum utilitate vel saltem honestate seu decentia exponi. Ad hec, quia premissa, que per te de prudentie regalis commendanda industria in negotio ipso sunt habita, et regium decorem prospiciunt, et in nostri ac Ecclesie apostoliceque Sedis honoris et favoris augmentum provenisse conspicimus, tuam ex hiis celsitudinem laudibus extollentes, tibi multiplicium proinde rependimus commercia gratiarum, sperantes in Domino quod ipse, qui dictum negotium pro sua Ecclesia prospere cepit dirigere, sic illud ad felicem exitum sua clementi benignitate perducet quod eadem Ecclesia suum inde votivum consequetur intentum, dictique Veneti de sua malitiosa insania non poterunt gloriari. Insuper dilecto filio fratri Guillelmo Petri de Godino, ordinis Predicatorum, magistro in theologia, capellano nostro, latori presentium, quem premissa ad tuam presentiam destinamus, super hiis que circa ea ex parte nostra tibi duxerit exponenda fidem velis plenariam adhibere. Datum in prioratu de Grausello propre Malausanam, Vasionensis dyocesis, xv kalendas novembris, pontificatus nostri anno quarto.

LITTERA[1] EJUSDEM PAPAE DIRECTA REGI FRANCORUM AD INSTANTIAM MAGISTRI HOSPITALIS JERUSALEM PRO SUBSIDIO TERRAE SANCTAE. — Le Groseau, 27 octobre 1309 *(a)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam bene-

a) Anno 1308 *(sic)*, *Bal.*

1. Pièce non retrouvée.

dictionem. In eternitates perpetuas, ubi fures non effodiunt nec furantur, ubi erugo nec tinea demolitur, thesaurizare, dilectissime fili, incomparabiles tibi thesauros indeficien[130]tis beatitudinis cupimus ; ut sicut in orbe terrarum latius diffunduntur tui culmina principatus, sceptrumque prepotens regni tui stabilius clementie divine roboratur auxilio, sic in regno celesti thronus tuus locum obtineat celsiorem, et clariori diademate glorie coroneris. Habet siquidem, carissime fili, firma fiducia spei nostre et de salvatoris nostri miseratione confidimus quod illius summi boni donum gratissimum, quod omnem delectationem transcendit, et ultra quod desiderabilius excogitari non potest, ad quod tua suspirat intentio, benignius ex divine miserationis habundantia consequeris, si redemptoris nostri figuratam gerens in intimis passionem, et Terre Sancte, in qua salvator ipse redemptionis nostre misterium consummavit, condolens afflictionibus et pressuris, illi munificentie regalis impendes auxilium, et in succursum ipsius diffundes tuorum munerum largitatem. Sane, dilectissime fili, a memoria regia non credimus excidisse quod dudum celsitudinem tuam per litteras apostolicas affectione paterna rogavimus et cum multa instantia fuimus exhortati ut illud pecuniarum Deo gratum auxilium, quod in Terre Sancte subsidium et succursum in presenti passagio exhibendum tue obtulerat munificentia largitatis, dilecto filio magistro Hospitalis Sancti Johannis Jherosolimitani liberaliter exhiberes. Sed quia nondum in hac parte desiderium mentis nostre potuimus obtinere, angit nos terre predicte calamitas ; ut sicut terra ipsa miserabilibus afflictionibus premitur incessanter, et diris persecutionibus continue laceratur, nostraque precordia sevis proinde vexationibus colliduntur, sic pro eodem obtinendo subsidio diligentius insistamus, illudque cum instantia oportune sollicitudinis postulemus. Quesumus igitur, carissime fili, tuamque celsitudinem iterato rogamus et obsecramus per viscera misericordie Dei nostri quatinus considerans attentius et discutiens sollicite in scrutinio mentis tue quod per hu[131]jusmodi exhibitionem subsidii gratiam tibi vendicabis altissimi, salutis tue procurabis augmentum, dicte terre doloribus utilia medicamenta prestabis, in conspectu ejusdem matris Ecclesie redderis acceptior, et in populis gentium attolletur laudum preconiis nomen tuum, de illo tam celeriter quam liberaliter magistro memorato pia benignitate studeas providere, ne forte prefatum passagium, quod sub spe hujusmodi subsidii inceptum fuisse dignoscitur, irreparabilia, dicto

cessante subsidio, sicut idem magister ante pluries ore tenus, et post suum recessum a nobis apostolatui nostro scripsit per litteras suas, et, ut credimus, ad idem tibi facit per alias suas litteras speciales, incurrere valeat nocumenta ; quinimmo passagium ipsum ad honorem et gloriam Regis regum, cujus agitur in hac parte negotium, per hujusmodi prestationem auxilii felicibus dirigatur auspiciis et laudabilibus successibus prosperetur. Speramus enim quod tu, qui negotium dicti passagii geris in intimis cordis tui, circa predictum subsidium exhibendum sic pro reverentia salvatoris prudenter et salubriter providebis quod anxiis mentis nostre desideriis satisfiet, et eamdem matrem Ecclesiam dictamque terram, que hujusmodi auxilium desideranter expectant, jocunditate multiplicis letitie renovabis. Et ut de indigentia prefati magistri quoad dictum passagium certitudinem habeat regia celsitudo, scire te volumus quod licet camera nostra foret exhausta non modicum, tamen dicti passagii consummationem felicem volentes indigentie nostre preferre, quinquaginta milia florenorum auri de camere predicte pecunia, quamvis antea predicto magistro de tota illa summa pecunie in qua tenebamur pro solutione anni presentis per nos fuisset integre satisfactum, ad opus dicti passagii fecimus mutuari ; absque qua necessaria ad dictum passagium per dictum magistrum haberi non poterant ullo modo, sed oportebat remanere dictum passagium imperfectum. [132] Preterea scire te volumus quod dictus magister sic tarde in ultimo suo adventu ad nostram accessit presentiam quod ad te venire non potuit, tibi ordinationem prefati passagii relaturus ; et nisi celeriter intemperiem aeris, quam merito formidabat, mare ingrediendo personaliter prevenisset, dictum passagium quoad presentem annum omnino inutile extitisset; propter quod dictum magistrum habeat celsitudo regia excusatum. Ut autem vasorum navigabilium et gentium quas secum ducit magister predictus habere possit certitudinem pleniorem, illa tibi duximus transmittenda in quadam cedula de scriptura quam idem magister nobis transmisit transumpta presentibus interclusa, prout in eadem cedula poteris intueri. Ecce insuper quod dilectos filios Petrum, abbatem monasterii Sancti Medardi Suessionensis, et Guillelmum Petri, ordinis Predicatorum, doctorem in theologia, capellanum nostrum, latores presentium, propter hoc ad tuam presentiam duximus destinandos; quibus vel eorum alteri super hiis que circa premissa tibi ex parte nostra retulerint adhibeas plenam fidem. Datum in prioratu de Grausello

prope Malausanam, Vasionensis dyocesis, VJ kal. novembris, pontificatus nostri anno quarto.

EJUSDEM EPISTOLA[1] AD PHILIPPUM, REGEM FRANCORUM, DE NEGOTIO TEMPLARIORUM. — Toulouse, 30 décembre 1308.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ad omnium fere notitiam jam credimus pervenisse nephanda scelera et crimina abhorrenda heresim notorie sapientia quibus ordo et persone Templariorum non levibus argumentis sed manifestis indiciis et violentis presumptionibus diffamati noscuntur, super abnegatione videlicet Domini Salvatoris *(a)* nostri Jhesu Christi et super nephanda, temeraria, et *(b)* sumptuosa et heretica conspuitione super ejusdem ymaginem crucifixi, necnon et super pluribus aliis articulis, quos, quia [133] fore credimus manifestos, exprimi non oportet, sicque excrebrescente infamia, et imminentibus scandalis plurimis minime contempnendis, que non leviter totam scandalizabant *(c)* Ecclesiam, urgente conscientia, per totum orbem terrarum jam dudum ipsos capi mandavimus, et tandem cepimus super hiis contra eos inquirere per nos ipsos, nonnullis ex fratribus nostris ascitis ad inquisitionem predictam nobiscum sollicite peragendam, et tandem presentatis nobis personis eisdem, non parvo, sed grandi numero, non levis, sed magne auctoritatis viris, olim in ordine supradicto sacerdotibus, preceptoribus, militibus et servientibus, per eorum confessiones et depositiones spontaneas libere factas coram nobis et fratribus ipsis *(d)* in secreto prius, et postmodum coram nobis totoque collegio fratrum nostrorum sancte romane Ecclesie *(e)* cardinalium, patuit manifeste quoad personas ipsas confitentes dicta *(f)* crimina et scelera esse vera, iidemque confitentes omnes et singuli suum humiliter recognoscentes errorem, nostram et apostolice Sedis non justitiam, sed misericordiam et veniam implorarunt. Quibus cum omni humilitate et reverentia et proprii eorum recognitione erroris omnino persistentibus pro absolutione ab excommunicationis

a) omis par Bal. — *b) omis par Bal.* — *c)* scandalizant, *Bal.* — *d)* nostris, *Bal.* — *e)* Ecclesie romane, *Bal.* — *f)* ipsa, *Bal.*

1. D'après *J 416*, n. 18 (Archives nationales) ; copie dans ms. latin *10919*, fol. 138 r°-139 v° (Bibliothèque nationale de Paris).

sententia, quam ex hujusmodi heresis reatibus et sceleribus incurrerant, ipsis misericorditer impendenda, nos, qui, licet indigni, vicarii sumus illius cujus miserationes super omnia opera ejus existunt, et quia romana mater Ecclesia non claudit, prout nec claudere debet, gremium redeunti, facta a predictis confitentibus cum humilitate et reverentia abjuratione hujusmodi hereseos secundum canonicas sanctiones, eis juxta formam Ecclesie fecimus munus absolutionis impendi, potestate injungendi eis propterea salutarem penitentiam nobis et dicte Sedi seu quibus id committendum duxerimus specialiter reservata. Post que, cum.. magistro et preceptoribus precipuis prefati ordinis intendentes super premissis [134] inquirere per nos ipsos, ipsum magistrum et.. Francie.., terre ultramarine,.. Normannie,.. Aquitanie ac,.. Pictavie preceptores majores nobis Pictavis existentibus mandavimus presentari. Sed quoniam quidam ex ipsis sic infirmabantur tunc temporis quod equitare non poterant nec ad nostram presentiam quoquo modo adduci, nos cum eis de premissis et nonnullis confessionibus et depositionibus dictorum fratrum factis coram,.. inquisitoribus heretice pravitatis regni Francie certificari volentes, dilectis filiis nostris Berengario, tituli Sanctorum Nerei et Achillei, et Stephano, tituli Sancti Ciriaci in T[h]ermis presbiteris, ac Landulfo, Sancti Angeli dyacono cardinalibus, de quorum prudentia, experientia et fidelitate indubitatam fiduciam obtinemus, commisimus et mandavimus ut ipsi cum prefatis magistro et preceptoribus inquirerent tam contra ipsos et alias singulares personas dicti ordinis generaliter quam etiam contra ipsum ordinem super premissis diligentius veritatem, et quod super hiis invenirent, nobis referre, ipsorumque confessiones et depositiones sub manu publica deferre ac presentare curarent, impensuri eisdem *(a)* magistro et preceptoribus juxta formam Ecclesie absolutionis beneficium ab excommunicationis sententia, quam propter premissa, si vera erant, incurrerant, si absolutionem humiliter ac *(b)* devote peterent, ut debebant. Dictis autem cardinalibus ad castrum de Caynone *(c)*, Turonensis dyocesis, in quo tunc erant ipsi *(d)* magister et preceptores, personaliter accedentibus, iidem magister et preceptores majores de mera et plena veritate dicenda ab eis corporaliter prestito juramento, singulariter, libere ac sponte, absque coactione qualibet et terrore, coram ipsis tribus cardinalibus

a) eidem, *Bal.*— *b)* et, *Bal.* — *c)* Kaynone, *Bal.* — *d)* dicti, *Bal.*

quatuorque tabellionibus publicis ac multis aliis probis viris deposuerunt et confessi fuerunt inter cetera Christi abnegationem et spuitionem super crucem cum in ordine Templi recepti fuerunt, et quidam ex eis se [135] sub eadem forma, scilicet cum abnegatione Christi et spuitione super crucem, fratres plurimos recepisse. Sunt etiam quidam ex eis quedam alia horribilia et inhonesta confessi, que, ut eorum ad presens parcamus verecundie, subticemus. Ac deinde in confessionibus et depositionibus factis per ipsos antea coram.. inquisitore pravitatis predicte, ac ipsis et eorum cuilibet lectis et expositis, de mandato et in presentia cardinalium predictorum, firmiter perseverantes, et approbantes easdem, absolutionem ab excommunicatione predicta petitam ab eis humiliter et devote sibi obtinuerunt juxta premissam formam per cardinales ipsos impendi, heresi expresse ac publice abjurata. De quibus omnibus per fidelem relationem dictorum cardinalium nobis facta extitit plena fides, hujusmodi confessionibus et depositionibus eorumdem nobis sub manu publica presentatis. Nos igitur volentes super hiis, prout ad nostrum spectat officium, congruum remedium adhibere, auctoritate apostolica, districtius inhibemus ne aliquis de cetero eisdem Templariis vel eorum alicui scienter, publice vel occulte, prestet auxilium, consilium vel favorem, seu alias ipsos vel aliquem eorum *(a)* receptare seu retinere aut eis favere presumat, sed eos tanquam suspectos de heresi omnino devitet. Mandantes nichilominus, eadem auctoritate, omnibus et singulis ecclesiasticis secularibusque personis, necnon principibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militibus, et plebei[i]s, et com[m]unitatibus civitatum, castrorum, villarum, et aliorum locorum, quatinus dictos Templarios capiant, et eos locorum ordinariis, singulis eorum videlicet in suis civitate et dyocesi, sine difficultate qualibet assignare ac tradere non postponant, si et quandocumque ab eisdem ordinariis super hoc fuerint requisiti, vel ad ipsorum ordinariorum requisitionem eosdem Templarios sub fida et tuta custodia teneant, representandos eisdem ordinariis vel inquisitoribus deputatis seu deputan[136]dis a nobis, et ipsis tradendos ad eorum requisitionem pro inquisitione seu inquisitionibus hujusmodi faciendis, et alias quotiens et quandocumque eis videbitur faciendum *(b)*. Nos enim omnes et singulos, cujuscumque preeminentie sint, dignitatis, ordinis, conditionis aut status, etiamsi pontificali prefulgeant

a) ipsorum, *Bal.* — *b)* faciendis, *Bal.*

dignitate, qui supradictis Templariis vel eorum alicui scienter publice vel occulte prestabunt auxilium, consilium vel favorem, vel alias ipsos vel aliquos eorum *(a)* receptare vel retinere aut eis, ut premittitur, favere presumpserint, auctoritate presentium, excom-[m]unicationis sententia innodamus, ac civitates, castra, terras et loca que ipsos vel aliquem eorum scienter susceperint vel tenuerint ecclesiastico supponimus interdicto, absolutionem predictorum, preterquam in mortis articulo ac relaxationem ipsius interdicti, nobis nostrisque successoribus reservantes, non obstantibus quibuslibet privilegiis, indulgentiis, et litteris apostolicis quibuscumque et sub quacumque verborum forma vel expressione concessis, per que effectus presentium posset quomodolibet impediri. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre inhibitionis, mandati, excommunicationis, interdicti et reservationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Tholose, IIJ kal. januarii, pontificatus nostri anno quarto.

Ejusdem papae constitutio[1] adversus adulteratores monetae in regno Franciae. — Toulouse, 31 décembre 1308.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Prodiens quasi ex adipe iniquitatis *(b)* multorum sceleratorum sinistra *(c)* cupiditas eos in perniciem precipitare conatur, dum sequi miserabilem ejus ingluviem satietatis nescientem moderamina non [137] verentur. Ipsi *(d)* etenim turpium lucrorum se fecibus immergentes ambitiosis nexibus involvuntur, Dei timorem dampnabili cecitate postponunt, et quasi ambulantes in tenebris, non vitant excidia personarum. Nuper siquidem ad nostri apostolatus auditum multorum relatio fide digna perduxit quod nonnulli, nullam habentes auctoritatem jure vel consuetudine seu privilegio faciendi monetam, falsam monetam cudunt et fabricant in regno Francie et locis circumvicinis. Alii vero monetam fabricatam sub vero signo carissimi in Christo filii nostri Philippi, regis

a) ipsorum, *Bal.* — *b)* iniquitas, *Bal.* — *c)* funesta, *Bal.* — *d)* ipsius, *Reg. Vat.*

1. D'après *Reg. Vat. 56*, cap. 13, *de curia*, fol. 264 r° ; copie dans le ms. latin *10919*, fol. 172 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

Francorum illustris, studiose depravant, et ex hoc cadit a suo recto pondere. Quamplures etiam in locis circumvicinis, quibus de jure *(a)* ac consuetudine seu privilegio jus competit fabricandi monetam, signum proprium monete regie monete sue quam fabricant imprimere seu insculpere moliuntur, ejusdem quantitatis et et rotunditatis et litterarum figure, quam habet moneta regia, monete sue quam fabricant quantum possunt similius speciem et formam insculpunt, constituunt et imponunt. Et quamvis moneta predicta eorum, ad usurpatam similitudinem perducta *(b)*, deficiat a justo pondere argenti et solito in regia moneta et more et consuetudine observata *(c)*, simplices tamen et populares persone, non habentes inter monetas tante similitudinis peritiam discernendi, falluntur cotidie ea occasione in usu monetarum, recipientes monetas falso assimilatas *(d)* pro veris. Sunt et alii qui scienter falsas monetas extra regnum predictum emunt, et postea infra regnum ipsum eas portant, vendunt et expendunt. Nos igitur attendentes quod iidem falsarii et fabricatores monetarum talium et emptores predicti per hoc se dignos maledictione *(e)* constituunt, eos qui, ut premittitur, premissa moliri aut fabricare aut emere vel portare ad regnum predictum scienter presumpserint, excommunicationis sententia innodamus, absolutione *(f)* predictorum nobis et successoribus no[138]stris preterquam in mortis articulo reservata. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre innodationis et reservationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Tholose, IJ kal. januarii, pontificatus nostri anno quarto.

PHILIPPI, REGIS FRANCORUM, EPISTOLA[1] AD PAPAM CLEMENTEM, QUA EI SIGNIFICAT SE RECEPISSE LITERAS A GUILLELMO PETRI DE GODINO LATAS. — [1309].

Sanctissimo patri in Domino Clementi, [divina providentia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo pontifici], Philippus,

a) de quibus jure aut, *Bal.* — *b)* predictam, *Reg. Vat.* — *c)* observato, *Bal.* — *d)* assimulatas, *Bal.* — *e) omis par Bal.* — *f)* absolutionem *(sic)*, *Bal.*

1. D'après le ms. latin *10919*, fol. 142 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

[*eadem gratia Francorum rex, devota pedum oscula beatorum*]. Nuper sanctitatis vestre litteras per dilectum nostrum fratrem Guillelmum Petri, capellanum vestrum, exhibitorem clausas, necnon super facto Templariorum, et contra falsarios monetarum nostrarum, et utentes scienter eisdem, ac negotio pacis inter nos, comitem Flandrensem, villas et communitates Flandrie inite recepimus reverenter, et [pro] affectione paterna, qua ad honorem nostrum sanctitas eadem afficitur, necnon laboribus continuis quos pro nostra et regni nostri transquillitate subire dignatur, que etiam de statu nostro certior esse cupit, vobis assurgimus ad plenitudinem gratiarum, sperantes firmiter nos super predicto negotio Flamingorum a sanctitate eadem litteras pacis, inite inter nos et ipsos et per eos pluries approbate, tenorem suo tempore habituros. De hoc vero quod littere de simplici credentia pro magistro Petro de Latilliaco et Guillelmo de Plaissiano fuerunt vobis nuper transmisse, que de cancellaria nostra nec debuerunt nec consueverunt exire, sigillifer noster, hiis diebus per nos merito reprehensus, ad suam excusationem pretendit quod propter occupationem negotio[139] rum nostrorum et subditorum, quibus multipliciter oneratur, tunc precavere non potuit in sigillatione litterarum ipsarum. Sane super [eo] quod inter vos et nos, Pictavis, condictum extitit de mittendo ex parte vestra nobis..... per vestros, et vobis ex parte nostra per nostros nuncios speciales, opitulante Domino, diligenter faciemus servari. Datum *(a)*.

Littera[1] ejusdem papae directa regi Franciae ad instantiam episcopi Ruthenensis. — Toulouse, 6 janvier 1309.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Statum miserabilem Terre Sancte, in qua salvator noster Dominus Jhesus Christus pro redemptione humani generis nasci et mori dignatus est, et que sub nephanda Agarenorum perfidia captivitatis juga deplorat, laceratur angustiis, et sub tributo posita blasfematur, non absque gravi amaritudine infra nostra precordia recensentes, et ad celerem liberationem ipsius nostra

a) omis par Bal.

1. D'après *J 704*, n. 174 (Archives nationales).

simul desideria et studia convertentes, inter alia operosa studia que ipsi terre Deo auspice fructuosa fore putavimus, certum passagium, quod summe utile fore speratur, per dilectos filios.. magistrum et fratres Hospitalis Sancti Johannis Jherosolimitani in vernali tempore proximo venturo pro ipsius Terre Sancte subsidio deliberavimus faciendum, prout tua serenitas plene novit, et prosequendum Deo duce per quinquennium secuturum non absque magno pecuniario subsidio de nostra camera exhibendo, ad quod tu zelo fidei et devotionis accensus, tanquam filius benedictionis et gratie, affluenter porrigis manum tuam. Sane confidentes attentius quod venerabilis frater noster Petrus, episcopus Ruthenensis, in illis partibus apostolice Sedis legatus, infundente Domino menti sue timorem sui nominis pariter et amorem, suscepit dono virtutis ejus veritatis et consilii [140] spiritum, sicque sibi se corde devovit et corpore quod ipsius beneplacitum studio diligentis indagationis exquirens, eorum que sui nominis laudem respiciunt, contingunt augmentum catholice fidei, et Ecclesie romane, cujus nobile membrum existit, honorem amplificant, verum se constituit amatorem, ac plenam de suis virtuosis actibus in Domino fiduciam obtinentes, et sperantes quod tanquam fortis athleta Domini et ejusdem vindex strenuus crucifixi, ad ejus propulsandas injurias et nostrum desiderium in hac parte adimplendum magnanimi virtute consurget, quodque ex data sibi divinitus gratia ad promptius succurrendum dicte terre in eodem passagio corda fidelium sciet et poterit salubriter et efficaciter excitare, ipsum, quem nobis clara sua merita reddunt acceptum, ad honorem Dei, exaltationem fidei et votivam Terre Sancte predicte recuperationem ad partes illas tanquam salutis angelum cum legationis officio destinamus. Cum autem, fili carissime, plenis desideriis affectemus ut commissa dicto legato negotia summotis impedimentis quibuslibet prosperum consequantur effectum, ac de certo certius confidamus quod tu, tanquam princeps catholicus et devotus, circa illa te promptum et paratum exhibeas que superno conspectui sint accepta et procurent fidei christiane continuum incrementum, celsitudinem regiam rogamus in Domino Jhesu Christo quatinus pro divina et apostolice Sedis nostraque reverentia prefatum episcopum et ecclesiam Ruthenensem sibi commissam, necnon et capitulum, canonicos, clericos, vassallos, homines, bona et jura ipsius ecclesie habens favorabiliter commendata, te ipsis, presertim hujusmodi legationis officio durante, cum super hiis requisitus fueris, exhibeas in tuo

favore munificum et in cunctis oportunitatibus gratiosum, senescallis, ballivis et *(a)* justiciariis tuis super hiis scripta tua dirigendo, ita quod tibi exinde ab alto proveniat premium, nosque devotionem [141] regiam uberibus in Domino laudibus attollamus. Datum Tholose, VIIJ ydus januarii, pontificatus nostri anno quarto.

EJUSDEM PAPAE EPISTOLA[1] AD EUMDEM REGEM PHILIPPUM DE NEGOTIO TEMPLARIORUM, ET DE DUELLO RAYMUNDI UNALDI DE LANTARIO ET ASTULFI DE RUPEFORTI. — Gaudiès, 27 janvier 1309.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Cum dilectum filium magistrum Hugonem Geraldi, capellanum nostrum, cantorem ecclesie Petragoricensis, latorem presentium, de cujus fidelitate et experta providentia fiduciam gerimus in Domino specialem, cum litteris apostolicis super negotio concilii universalis, que tibi diriguntur, et contra oc[c]ultatores bonorum ordinis Templi, ac super inquisitione facienda contra totum predictum *(b)* ordinem, cum articulis ad hec *(c)* necessariis ac deputatione curatorum seu administratorum bonorum ipsius ordinis per nos generaliter in tuo regno facta, et quemlibet archiepiscoporum et episcoporum regni ejusdem in sua civitate et dyocesi facienda, et recuperatione bonorum ipsius ordinis ab illis qui nunc ea in tuo regno tenent, prout Pictavis ordinavimus, te ibidem nobiscum existente, ad tuam presentiam destinemus, celsitudinem tuam rogamus et hortamur attentius quatinus eidem capellano super hiis que tibi circa hujusmodi negotia, ex parte nostra, retulerit adhibeas plenam fidem. Preterea magnitudinem tuam volumus non latere quod nuper, cum per Tholosam eundo versus Avinionem transitum faceremus, rumor nobis occurrit, per quem apostolatui nostro patenter innotuit quod dilecti filii nobiles viri Raymondus Unaldi de Lantario, miles, et Astulfus de Rupeforti, consanguinitatis linea sibi invicem attin[g]entes, non motibus rationis inducti, sed animorum seducti potius levitate, ex frivolis et levi[142]

a) omis par Bal. — *b)* predictum totum, *Bal.* — *c)* hoc, *Bal.*

1. D'après *J 703*, n. 169 (Archives nationales) ; copie dans le ms. latin *10919* fol. 141 v°-142 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

bus causis facere duellum ad invicem statuerunt, cujus occasione comparere tenentur in tuo proximo parlamento ; quibus quasi omnes nobiles de partibus istis uni vel alii eorumdem nobilium in dicto duello favere noscuntur ; et nisi ipsi Raymondus et Astulfus ab hujusmodi duello cessaverint, suboriri inter eos scandala formidantur. Quare magnitudinem tuam rogamus et hortamur *(a)* in Domino quatinus pro divina et apostolice Sedis ac nostra reverentia inter prefatos nobiles pacem et concordiam facias reformari, alioquin duellum hujusmodi usque ad tuum *(b)* parlamentum subsequens prorogari, ut interim inter eos per amicos dictarum partium seu aliorum prudentiam, quos ad hoc duxerimus deputandos cum tuo beneplacito, absque cujusvis emende, mulcte aut pene formidatione, pax et concordia, Deo propicio, valeant reformari. Super quo etiam eidem capellano adhibeas plenam fidem. Datum apud Gaudesium, Tholosane dyocesis, VJ kal. februarii, pontificatus nostri anno quarto.

Clementis V bulla[1] de reservatione Ecclesiae Senonensis post mortem Stephani archiepiscopi. — Avignon, 23 avril 1309.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Imminente nobis ecclesiarum omnium sollicitudine generali, circa illas salutaris providentie studium adhibere nos convenit quas interdum carere conspicimus regimine prelatorum, ut assumantur ad illarum regimen, annuente Domino, pastores ydonei, quorum providentie studiis Deo propicio preserventur a noxiis, et salutaribus proficiant incrementis. Cum igitur ecclesia Senonensis per obitum bone memorie Stephani, Senonensis archiepiscopi, vacare pastoris regimine dicatur ad presens, nos intendentes eidem ecclesie de persona secundum cor nostrum ydonea, que tanto oneri et honori congruat, providere, provisionem ipsius ecclesie hac vice dispositioni et ordinationi no[143]stre et apostolice Sedis ex certis et magnis rationalibus causis, que nostrum ad hoc animum induxerunt, cum fratribus nostris, super hoc deliberatione prehabita diligenti, de ipsorum fratrum consilio specialiter reservamus,

a) exhortamur, *Bal.* — *b) omis par Bal.*

1. D'après le *Reg. Vat. 56*, fol. 266 r°, cap. 26, *de curia* ; copie dans le ms. latin *10919*, fol. 174 r° et v° (Bibliothèque nationale de Paris).

districtius inhibentes ne capitulum ipsius ecclesie vel aliqui ex eodem ad aliquam electionem, postulationem vel provisionem quamcumque de preficiendo sibi vel eidem ecclesie archiepiscopo vel pastore quoquo modo procedant. Nos enim ex nunc *(a)* decernimus irritum et inane quicquid super hiis vel eorum aliquo contra hujusmodi reservationem et inhibitionem nostras per eosdem capitulum vel aliquem ex eis scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre reservationis, inhibitionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, etc. Datum Avinioni, VIIIJ kal. maii, pontificatus nostri anno quarto.

EXECUTORIA[1] EJUSDEM BULLAE. — Même date.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis decano Sancti Germani Autissiodorensis Parisiensis et magistro Amisio archidiacono Aurelianensis ac (b) thesaurario Autissiodorensis ecclesiarum salutem et apostolicam benedictionem. Imminente nobis ecclesiarum, etc., *ut in proxima superiori usque* contingeret attemptari, prout in litteris reservationis hujusmodi, quas vobis per latorem presentium destinamus, videbitis plenius contineri. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel per alium seu alios, hujusmodi reservationem nostram in dicta Senonensi ecclesia solempniter publicare curetis. Datum ut supra.

[144] EJUSDEM PAPAE EPISTOLA[2] AD EUMDEM REGEM DE TRANSLATIONE PHILIPPI, EPISCOPI CAMBRACENSIS, AD ECCLESIAM SENONENSEM. — Avignon, 6 mai 1309.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Dudum tue celsitudinis litteras, per quas nobis ad memoriam reduxisti qualiter, cum a nobis recessisses, recolebas nobis cum

a) omis par Bal. — *b)* et, *Bal.*

1. D'après le *Reg. Vat. 56*, fol. 266 r°, cap. 26, *de curia*; copie dans le ms. latin *10919*, fol. 174 v°-175 r° (Bibliothèque nationale de Paris). — 2. D'après le ms. latin *10919*, fol. 175 r° et v° (Bibliothèque nationale de Paris).

instantia supplicasse ut venerabilem fratrem nostrum Philippum, Cameracensem episcopum, transferre, cum se facultas offerret, ad aliquam honorabilem archiepiscopalem vel episcopalem regni tui ecclesiam dignaremur. Et quia, sicut dicebatur, tempore confectionis hujusmodi litterarum bone memorie Stephanus, Senonensis archiepiscopus, erat rebus humanis exemptus, tuque totis desiderares affectibus quod eidem Senonensi ecclesie de tali provideretur persona que tuis desideriis grata foret et de ipsa fiduciam gereres pleniorem, cum te sibi multa secreta oporteret revelare frequenter, pleno affectu nostro apostolatui supplicasti quod, quousque nobis super hoc iterato scripsisses et tuam aperuisses plenius voluntatem, de ipsa ecclesia disponere non vellemus. Super quo tibi meminimus rescripsisse quod tuis libenter satisfaciebamus affectibus in hac parte. Nuper autem nobis per alias tuas litteras supplicasti quod cum eidem ecclesie, que per obitum archiepiscopi predicti vacabat, prefici desiderares personam que regii honoris et regni zelatrix existeret, et per quam eadem Senonensis ecclesia, quam inter alias ecclesias regni tui quadam prosequebaris specialis prerogativa favoris, et multis de causis magis venerabilem et nobilissimam reputabas, cujusque honorem tuum et regni tui proprium reputabas, debitis proficeret incrementis, nobis cum instantia supplicasti ut dictum episcopum Cameracensem, quem de sancte conversationis et aliis [145] virtutibus commendasti, transferre ad eamdem Senonensem ecclesiam de ipsa Cameracensi ecclesia dignaremur. Nos igitur considerantes attentius quod super translatione hujusmodi per alium modum non poteramus decenter satisfacere votis tuis, provisionem ipsius ecclesie Senonensis, quamvis reservationes hujusmodi menti nostre displiceant, prout nosti, ea *(a)* vice dispositioni nostre et Sedis apostolice duximus reservandam, prout in litteris super hujusmodi reservatione et earum publicatione confectis, quas tibi per latorem presentium mittimus, poterit tua excellentia intueri, tuam celsitudinem exhortantes ut nos super similibus reservationibus faciendis, que nostre voluntati redduntur contrarie, saltim absque magna causa non infestes. Datum Avinioni, 13 non. maii, pontificatus nostri anno quarto.

a) hac, *Bal.*

PHILIPPI REGIS EPISTOLA[1] AD PAPAM CLEMENTEM, QUA EI GRATIAS AGIT OB RESERVATAM ECCLESIAM SENONENSEM PRO PHILIPPO, EPISCOPO CAMERACENSI. — [Après le 23 avril 1309 — Avant le 1er octobre 1309[2].]

Sanctissimo Patri in Domino Clementi, divina providentia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo pontifici, Philippus, eadem gratia Francorum rex, devota pedum oscula beatorum. Vestra reverenda sanctitas ad nostri postulationem provisionem Senonensis ecclesie pro dilecto nostro Philippo, Cameracensi episcopo, Sedi apostolice reservavit. Super quo vestre beatitudini gratiarum referimus quas possumus actiones, affectione qua possumus cariori vestre clementie supplicantes ut ceptum opus hujusmodi vobis placeat consummare et dicte Senonensi ecclesie, que vacat ad magnum sui dispendium, licet ad commodum burse nostre, si id vellemus attendere, providere dignemini de episcopo memorato ceteraque perficere que incumbunt. Propter defectum enim archiepiscopi retardatur provinciale concilium, in quo multa possent dis[146]poni honorem Dei tangentia, stabilitatem fidei et Ecclesie sancte sue, et alia multa bona. Preterea, pater sanctissime, sicut alias vestre scripsimus sanctitati, Cameracensi ecclesie provideri de persona magistri Guillelmi de Tria desideratis affectibus instantias supplicamus quamplurimum ydonea pro ecclesia memorata. Adest enim primo persone moribus litteratura sufficiens, discretio virtutum donis copiosa, fecunditas gratie, nobilitas, potentia in amicis pro defensione jurium Ecclesie prefate necessaria juxta patrie conditionem ipsius. Licet enim alumpni nostri propter sua benemerita promotionem vellemus, non sic efficaciter scriberemus nisi bene provideri ecclesie videremus, consideratis conditionibus simul concurrentibus utriusque. Iteratis igitur precibus supplicamus ut premissa duo negotia nobis cara feliciter expedire dignemini, juxta vestre decentiam honestatis memoratis ecclesiis celeriter providentes. Nec putetis, ut aliqui dubitarunt, prout audivimus, per juventutem impediri sufficientiam personarum ipsarum.

1. D'après le même ms., fol. 113 r°. — 2. Clément V se réserva la collation du siège de Sens par la bulle du 23 avril 1309 ; cf. *supra*, p. 116. Puisque le roi fait allusion à cette réserve, sa lettre est donc postérieure au 23 avril ; elle est antérieure au 1er octobre 1309, date de la nomination de Philippe de Marigny à Sens.

Perfecte namque sunt etatis que requiritur in prelatis, et alia concurrent prestante Deo que representabunt eos beatitudini vestre seniores.

CLEMENTIS V EPISTOLA[1] AD REGEM PHILIPPUM SCRIPTA AD INSTANTIAM MAGISTRI HOSPITALIS SANCTI JOANNIS JEROSOLYMITANI PRO LIBERATIONE TERRAE SANCTAE. — Avignon, 6 juin 1309.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francie illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Nitor tue fidei postulat et clara devotionis tue opera representant ut de prosperis auspiciis Terre Sancte possit una nobiscum et Ecclesia, matre tua, relatione veridica gratulari. Re vera, fili carissime, inter cetera que in te christianissimo principe dignis in Domino laudibus attollenda recti judicii censura dijudicat, singularem affectionem tuam ad incrementa orthodoxe [147] fidei et ipsius terre votivam et celerem liberationem nos et ipsa Ecclesia intuentes in vocem exultationis et confessionis erumpimus, et exultantes in Domino, ac ejus beneficia confitentes, ipsi super hoc sacrificium laudis exsolvimus a quo tibi credimus pia miseratione concessum ut pro liberatione et defensione dicte terre tue caritatis ubera in opera pietatis libenter effundens, te et tua spontanea promptitudine affluenter exponas, sicut tuorum laudabilium evidentia operum clarius protestantur *(a)*. Quare, cum in te premissa concurrant, sisque fide preditus, mente preclarus, virtutibus locuples et claris operibus virtuosus, credimus et pro certo tenemus quod per hujusmodi concessa desuper ipsi terre felicitatis auspicia gaudebit cor regium et immensa letitia exultabit, tuaque precordia laudande considerationis spiritu roborata de ipsius terre salute propinqua spem firmam et fiduciam certam assument. Ut igitur nobis tibi gratulanter ac jocunde scribentibus jocundus et gaudens agnoscas, tenorem litterarum quas dilectus filius.. magister Hospitalis Sancti Johannis Jherosolimitani nobis super hiis noviter destinavit, de verbo ad verbum, tue devotioni *(b)* presentibus mittimus interclusum, ea omnia tibi significantes ad gaudium; ut, sicut es nostrorum, et Ecclesie ac terre prefate successuum

a) protestatur, *Bal.* — *b)* devotioni tue, *Bal.*

1. D'après *J 703*, n. 170 (Archives nationales).

avidus, ita gaudii et letitie particeps habearis. Datum Avinioni, VIIJ ydus junii, pontificatus nostri anno quarto.

PHILIPPI REGIS EPISTOLA[1] AD PAPAM, QUA EUM ROGAT UT EPISCOPATUM LUNENSEM DONET MAGISTRO ALBISICIO DE BARDIS. — [1309 ?].

Sanctissimo [*Patri in Domino Clementi, divina providentia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo pontifici*], *Philippus* [*eadem gratia Francorum rex, devota pedum oscula beatorum*]. Reducentes ad sedule considerationis examen grate familiaritatis obsequia per dilectum clericum magistrum Albizicium de Bardis, canonicum Belva[148]censem, et suos nobis ab olim fideliter et prudenter impensa ac ipsius laudabilis fame preconia virtutum, quibus illustrari dignoscitur suavitate respersa, ad ipsius, nec mirum, honoris et profectuum incrementa sollicitius invitamur. Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia Lunensis sit ad presens solatio destituta pastoris, ac procul dubio speremus in illo qui cuncta providet et disponit quod idem clericus ecclesie predicte vicinus origine, si preficeretur in ea, gratum Deo cultum et eidem ecclesie tam in temporalibus quam spiritualibus fructum produceret gratiosum, sanctitatem vestram affectuosis precibus imploramus quatinus eumdem clericum nostrum, nobis in illis partibus fructuosum, ecclesie Lunensi predicte diutine vacationis incom[m]oda lamentanti apostolice provisionis clementia desponsare dignetur. Datum, etc.

PETRI DE CAPELLA, EPISCOPI PRAENESTINI, EPISTOLA[2] AD REGEM PHILIPPUM PRO GUILLELMO, EPISCOPO ATREBATENSI. — [1310 ?].

Serenissimo principi domino suo carissimo, domino Philippo, Dei gratia illustrissimo Francorum regi, Petrus, miseratione divina episcopus Penestrinus, salutem et se ad obsequia regia semper promptum. Cum venerabilis pater dominus G[uillelmus], Atrebatensis episcopus, serenitati vestre, sicut veridica relatione didici in guerra vestra Flandrie devotus et constans ac usquequaque fidelis exstiterit, contra vestros et regni vestri inimicos et emulos,

1. D'après le ms. latin *10919*, fol. 110 r° et v° (Bibliothèque nationale de Paris). — 2. D'après le ms. latin *10919*, fol. 111 v° (Bibliothèque nationale de Paris).

prompto animo, in quantum potuit, exponens utique se et sua occasione predicte guerre, et ratione subventionis quam prestare ipsum oportuit romane Ecclesie, sicut michi per suas litteras intimavit, multa gravamina et incom[m]oditates quasi intolerabiles quamplurimas subierit, ac multa debita contraxerit, et sit in presentiarum exhaustus adeo quod nequeat sufficere aliqualiter sibi ipsi, clementiam pro eodem episcopo deposco regiam ut sibi dari et concedi [149] ad prestandum magestati vestre decimam que pro vobis nunc exigitur biennalem per collectores vestros ipsius decime talem dilationem mandare dignemini quod per hoc ipsius episcopi pregravati in preteritum videatur *(a)* ex gratiosa dilatione regia vexatio, que premittitur multiplex, relevari, ac ex favoris nunc sibi impendendi, si placeat, presidio gaudeat se magestati regie fidele obsequium prestitisse, et hujusmodi commendabili exemplo ad talia regia obsequia ceteri in posterum facilius animentur. Dominus Jhesus Christus vos et regnum vestrum fecundet virtutibus et continuis stabiliat incrementis. Datum, etc. *(b)*

Bulla[1] Clementis papae Nicolao cardinali, nuncio Sedis apostolicae, directa super pace inter regem et Flandros inita observanda, eo quod ad ipsius auditum pervenerat quod Ludovicus, filius comitis Flandriae et communitates Flandriae dictam pacem infringere et guerram in regno facere proponebant, per quam negotium Terrae Sanctae potuisset impediri. — Le Groseau, 20 juin 1313 *(c)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Nicolao, tituli Sancti Eusebii presbitero cardinali, apostolice sedis nuncio, salutem et apostolicam benedictionem. Habet de te fiducia mentis nostre quod, sicut pacis zelator assiduus, libenter colligas fructus ejus, tuisque precordiis in delectationem adveniat illius copiam aliis ministrare. Cum itaque, sicut nuper ad nostri pervenit apostolatus auditum, nonnulle communitates Flandrie pacem dudum inter carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem

a) videantur *(sic)*, *ms.* — *b)* Datum, etc., *omis par Bal.* — *c)* Anno 1312 *(sic)*, *Bal.*

1. Pièce non retrouvée.

Francie illustrem, ac dilectum filium nobilem virum Robertum, comitem Flandrie, et communitates easdem initam et firmatam ac diversarum promissionum, obligationum et penarum adjectione vallatam, et demum ad comitis et communitatum predictarum et multorum aliorum nobilium devotam [150] instantiam nostre confirmationis roboratam munimine, in personis nichilominus infringentium vel non servantium illam excommunicationis et in terris eorum interdicti sententiis promulgatis, infringere molientes ipsam observare contempnant, et promissa per communitates easdem in pacis ordinatione predicte adimplere contradicant omnino, et quod graviori mente perferimus, communitates ipse una cum dilecto filio nobili viro Ludovico, primogenito comitis supradicti, contra dictum regem regnumque suum guerrarum proponant, ut dicitur, discrimina suscitare, nos volentes innumeris periculis, dispendiis et jacturis, et nocumentis irreparabilibus Terre Sancte, que possent ex premissis, si, quod absit, in actum produci contingeret, verisimiliter formidari, congruis remediis obviare, discretioni tue, de qua fiduciam gerimus in Domino specialem, procurandi, tractandi et ordinandi quod inter regem, Ludovicum et communitates predictas, omni que posset ex premissis suscitari sopita discordia, bonum pacis inter eos stabiliter perseveret, ipsique Ludovicus et communitates ab hujusmodi commotione guerrarum prorsus abstineant, et communitates predicte pacem prefatam et omnia que pro parte ipsarum fuerint in ejusdem pacis ordinatione premissa diligenter observent, ipseque rex Ludovicum eumdem ad sue benivolentie gratiam recipiat et admittat, prefatas communitates in ejusdem benivolentie gratia conservando, et insuper, ut in hujusmodi negocio obstaculi et impedimenti cujuslibet materia precidatur, dissolvendi, vacuandi, irritandi et revocandi omnes pactiones, obligationes, confederationes et colligationes juramento vel quacumque alia firmitate vallatas, necnon hujusmodi et quelibet alia juramenta a quibuscumque prestita, per que dicta nutriri discordia et hujusmodi pacis bonum posset quomodolibet impediri, relaxandi, prout secundum Deum videris expedire, et omnia alia que ad [151] hujusmodi stabilitatem pacis utilia et oportuna fore perceperis, per te vel per alium seu alios, exercendi plenam concedimus auctoritate presentium potestatem. Datum in prioratu de Grausello prope Malausanam, Vasionensis dyocesis, XIJ kal. julii, pontificatus nostri anno octavo.

XX

Clementis V epistola[1], qua commendat Gentili presbytero cardinali titulum Sanctae Praxedis de Urbe. — Condrieu, 3 novembre 1305.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio fratri Gentili, tituli Sancti Martini in montibus presbitero cardinali, salutem et apostolicam benedictionem. Quanto romanam Ecclesiam, cujus nobile membrum existis, plenius honoras tuorum magnitudine meritorum, tanto per eam uberius honorari mereris ; nosque personam tuam paterne benivolentie plenitudine prosequentes, ad ea libenter intendimus que tui honoris et status respiciant *(a)* incrementum. De tua itaque circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, curam et administrationem ecclesie Sancte Praxedis de Urbe, cum omnibus suis juribus et pertinentiis, tam in capite quam in membris, in spiritualibus et temporalibus, apostolica tibi auctoritate, usque ad beneplacitum apostolice Sedis, committimus gerendam et exercendam a te, sicut eam hactenus gesserunt et exercuerunt alii ejusdem romane ecclesie cardinales qui eidem ecclesie Sancte Praxedis pro tempore prefuerunt, recipiendi autem interim fructus, redditus et proventus prefate ecclesie Sancte Praxedis, necnon de illis etiam disponendi ac ordinandi, percipiendi et faciendi per te vel alium quicquid ad premissa utiliter videris expedire, necnon contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi plenam et liberam tibi concedimus, auctoritate presentium, facultatem. Datum apud Condriacum, IIJ *(b)* no[152]nas novembris, pontificatus nostri anno primo.

a) respiciunt, *Bal.* — *b)* II *(sic)*, *Bal.*

1. D'après *Reg. Vat. 52*, fol. 11 v° et le ms. latin *4038 B*, fol. 51 v°, cap. 66 (Bibliothèque nationale de Paris).

XXI

Ejusdem papae Clementis bulla[1] de quadam fundatione in Ecclesia Burdegalensi facta a Galhardo de Guto fratre suo. — Lyon, 20 novembre 1305.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Pietatis operibus, per que largiente illo qui potest ad claritatem superne patrie procuratur ascensus, quondam nobilis vir Gallardus de Guto, germanus noster, ferventer intendens, et *(a)* cupiens terrena pro celestibus et transitoria pro eternis feliciter *(b)* commutare, obtentu devotionis quam ad ecclesiam Burdegalensem habebat, motam et domos de Pessaco ac nemus in quo dicte mota et domus sunt site, aliudque nemus dicte domus, vineam *(c)* et terram que sunt inter dicta duo nemora, et aliam vineam que est juxta nemus in quo sunt dicte mota et domus, via publica intermedia, prout hec omnia circumdata sunt fossatis et itineribus publicis, ac dividuntur et terminantur cum domo *(d)*, nemoribus et possessionibus Hugonis Calculi *(e)*, civis Burdegalensis, contiguis supradictis, que in dicto loco de Pessaco, prope Burdegalam, idem germanus noster pacifice obtinebat, cum aliis tantummodo que habebat inter ecclesiam dicti loci et quamdam ulmum juxta quam est *(f)* unus fons vivus et via publica per quam itur ad dictam ecclesiam de Pessaco, dicte Burdegalensi ecclesie ac dilecto filio Arnaldo, Burdegalensi electo, ejusque in ipsa *(g)* Burdegalensi ecclesia successoribus qui essent pro tempore coram nobis pia et provida liberalitate donavit atque concessit omnino, retentis sibi hominibus, molendinis, feudis, landis seu saltibus, et aliis redditibus, terris, aquis, pascuis, questis, taliis seu collectis, censibus, agreriis *(h)*, et aliis rebus, deveriis, seu juribus *(i)* universis, in quibuscumque rebus consistant, que idem ger[153]manus noster una cum mota, domibus, nemoribus, terris, et vineis prehabitis obtinebat ratione emptionis quam fecerat de singulis supradictis

a) ac, *Bal.* — *b) omis par Bal.* — *c)* villam, *Bal.* — *d)* duobus, *Bal.* — *e)* Calcunly, *Bal.* — *f) omis par Bal.* — *g) omis par Bal.* — *h)* agris, *Bal.* — *i) omis par Bal.*

1. D'après *Reg. Vat. 56*, fol. 253 v°, cap. 1163; copie dans le ms. latin *5954*, fol. 9 v° (Bibliothèque nationale de Paris).

ab executoribus testamenti quondam Guillelmi *(a)* Amanevi de Pessaco, domicelli, domini omnium predictorum, prout hec *(b)* in instrumentis publicis super dicta emptione confectis plenius continentur *(c)*. Nos vero donationem et *(d)* concessionem hujusmodi gratam habentes, eam ita factam esse omnibus quorum interest vel interesse poterit tenore presentium *(e)* intimamus. Ceterum volumus et auctoritate apostolica decernimus ut hujusmodi nostre littere illud idem robur eamque *(f)* vim et eumdem vigorem per omnia habeant et teneant que haberent et habere possent littere sive instrumenta *(g)* originalia super hujusmodi donatione et concessione confecta, ipsisque nostris litteris plena fides super hiis adhibeatur quandocumque et ubicumque, sive in judicio sive extra fuerint exhibite *(h)* vel ostense, etiamsi premisse littere ac instrumenta originalia non exhiberentur nec existerent nec etiam haberentur. Datum Lugduni, XIJ kal. decembris, pontificatus nostri anno primo.

XXII

Clementis V bulla[1] pro Bernardo de Fargis, archidiacono Belvacensi. — Lyon, 29 janvier 1306.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Bernardo de Fargis, archidiacono Belvacensi, salutem et apostolicam benedictionem. Virum experte probitatis claritate conspicuum te laudabilia tue probitatis indicia representant. Sic enim studiis virtutum insistis, sic laudabiliter dirigis actus tuos ad merita probitatum quod nos ad tui honoris promotionem invitas, et ad exhibitionem animas gratiarum. Propter quod dignum reputamus et debitum ut specialibus te favoribus et gratiis attollamus. Tuis itaque supplicationibus inclinati tecum ut defectu, quem pateris in etate, [154] cum, sicut asseris, in vicesimo quinto etatis tue anno vel circa illum constitutus esse noscaris, et quibusvis constitutionibus contrariis non obstan-

a) Willelmi, *Bal.* — *b)* hoc, *Bal.* — *c)* continetur, *Bal.* — *d)* vel, *Bal.* — *e)* in posterum *au lieu de* tenore presentium, *Bal.* — *f)* eamdemque, *Bal.* — *g) omis par Bal.* — *h)* exhibita, *ms.*

---

1. Ex archivo archiepiscopi Narbonensis, *Bal.* ; pièce non retrouvée.

tibus, quascumque dignitates episcopales vel archiepiscopales seu patriarchales aut alias, cum ad illas te successive contigerit canonice evocari, licite recipere ac libere retinere valeas, auctoritate apostolica, de speciali gratia dispensamus ; proviso quod te facias, prout ipsarum dignitatum cura exegerit, statutis temporibus ad omnes superiores ordines promoveri. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre dispensationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lugduni, IIIJ kal. februarii, pontificatus nostri anno primo.

XXIII

Clementis V epistola[1] ad vassallos Ecclesiae Agennensis, qua significat Bernardum de Fargis a se factum esse episcopum Agennensem. — Lyon, 25 février 1306.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis vassallis ecclesie Agennensis salutem et apostolicam benedictionem. Superne dispositionis arbitrio ad summi apostolatus apicem, quamquam insufficientibus meritis, evocati, debitum inde nobis incumbens circa curam omnium ecclesiarum utiliter exolvere, auxiliante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur atque vigiles ut de ipsarum ecclesiarum regiminibus committendis, quantum nobis ex illo permittitur cujus vices in terris gerimus, tales eis in pastores preficere studeamus de quibus, consideratis virtutibus desuper sibi traditis, presumere possimus verisimiliter et tenere quod creditas ipsis animas scientie verbo instruere valeant pariter et exemplo, ac ex eorum studio loca que sue fuerint deputata custodie grata sus[155]cipere debeant incrementa. Nuper siquidem venerabili fratre nostro Bertrando, nunc Lingonensi, tunc Agennensi episcopo, de Agennensi ecclesia, cujus regimini presidebat, per nos ad Lingonensem ecclesiam, tunc vacantem, apostolica auctoritate translato, nos gerentes circa prefatam Agennensem ecclesiam sincere dilectionis affectum, et de ipsius ordinatione

1. Ex archivo archiepiscopi Narbonensis, *Bal.* ; la bulle de provision est enregistrée dans le *Reg. Vat.* 52, fol. 151 v°.

celeri, ne prolixe vacationis exposita remaneret incom[m]odis, attentius cogitantes, et volentes sibi de persona juxta cor nostrum ydonea providere, vigili super hoc adhibita diligentia, in dilectum filium Bernardum, electum Agennensem, archidiaconum Belvacensem, virum utique litterarum scientia preditum, morum honestate conspicuum, consilii circumspectione maturum, et aliis virtutum donis a Deo multipliciter edotatum, quorum nos reddit longa experientia non ignaros, mentis nostre aciem duximus convertendam. Proinde igitur tam gregi dominico quam ecclesie Agennensi predicte intendentes salubriter providere, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, eumdem Bernardum electum ipsi ecclesie Agennensi prefecimus in episcopum et pastorem, sperantes in illo qui dat gratias et premia largitur quod ecclesia Agennensis predicta, per ipsius electi circumspectionis industriam, preservabitur a noxiis ac spiritualiter et temporaliter, auctore Domino, felicibus proficiet incrementis. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus eumdem electum devote recipientes et honeste tractantes, ejus salubribus mandatis et monitis intendatis, et prestantes sibi vel ejus procuratori suo nomine fidelitatis solite juramentum, consueta exhibere servitia et de juribus ac redditibus sibi debitis respondere curetis eidem, ita quod ipse in vobis filios devotionis invenisse letetur, vosque in eo patrem habeatis benivolum et assidue gratiosum. Alioquin sententiam sive penam quam ipse vel dictus vicarius spiritualiter [156] vel temporaliter rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum apud Sanctum Cyricum prope Lugdunum, v kal. martii, pontificatus nostri anno primo.

XXIV

Ejusdem Clementis bulla[1] qua eumdem Bertrandum de Fargis transfert ab Ecclesia Agennensi ad Rothomagensem. — Bordeaux, 4 juin 1306.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Bernardo, electo Rothomagensi, salutem et apostolicam benedictionem. Summi

1. D'après le *Reg. Vat.* 52, fol. 175 v°.

providentia principis, cujus ineffabilis potentie magnitudo celestia pariter et terrena disponit, ordinat et gubernat, sublimi culminis apostolici solio, licet immeriti, presidentes, ad universas orbis ecclesias, presertim archiepiscopalibus titulis insignitas, aciem considerationis extendimus, et de ipsarum statu propensioribus studiis cogitamus, opem et operam impendendo sollicitam et apostolici favoris auxilium adhibendo ut cum illas contingit pastoris gubernatione destitui, eis, ne prolixe vacationis experiantur incom[m]oda, dispendiis pregraventur, per nostram curiosam solertiam, pulsis procul obstaculis, et impedimentis quibuslibet eminus relegatis, celeris provisionis et utilis votiva celebritas illucescat. Pridem siquidem Rothomagensi ecclesia per obitum bone memorie Guillelmi, Rothomagensis archiepiscopi, destituta pastore, nos de ipsius ecclesie ordinatione sollicite cogitantes, ne ipsa, que inter alias mundi ecclesias est nobilitatis titulo insignita, ac volentes sibi de illo presule cujus sollicitudo probate virtutis tanto congruat *(a)* oneri et honori, providere, nos provisionem et ordinationem ejusdem ecclesie ea vice dispositioni Sedis apostolice reservantes decrevimus ex tunc irritum et inane si secus de ecclesia ipsa scienter vel ignoranter attemptatum esset [157] antea vel attemptari contingeret in futurum ac ad personam tuam ornatam virtutibus ac *(b)* moribus ac gratiarum multiplicibus titulis decoratam nostre mentis aciem dirigentes, te tunc Agennensem episcopum, cujus sollicitudo Agennensi ecclesie jam impensa spem firmam nobis exhibet quod circa Rothomagensem ecclesiam, utpote digniorem, ad cujus regimen eadem Agennensis ecclesia assensum tibi tue probitatis experimento paravit, curam, dante Domino, vigilem et debitam adhibebis, ipsi Rothomagensi ecclesie, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, in archiepiscopum prefecimus et pastorem teque a juramento, quo ipsi Agennensi ecclesie tenebaris astrictus, absolvimus, tibi curam et administrationem prefate Rothomagensis ecclesie in spiritualibus et temporalibus committendo, firma spe fiduciaque tenentes quod eadem Rothomagensis ecclesia, superna tibi clementia suffragante, per tue provide circumspectionis industriam et providentiam circumspectam defendetur a noxiis, preservabitur ab adversis et spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis. Sub humilis igitur devotionis officio prompteque reverentie ubere jugum

a) congrueret, *Bal.* — *b)* et, *Bal.*

Domini suscipere studeas, ad eamdem Rothomagensem ecclesiam tue cure commissam cum nostre gratia benedictionis accedas, manumque mittens ad fortia, ipsius administrationem ecclesie prudenter et laudabiliter exequaris, et tibi commissi dominici gregis custodiam procures prosequi diligenter, oppositurus te murum et pugilem pro domo Domini ascendentibus ex adverso, ut laudabili de ipso reddita in die districti examinis ratione, regnum patris altissimi, ab origine mundi preparatum electis, accipere merearis, et eumdem gregem tibi commissum ad uberioris meriti fructus et retributionis majoris cumulum introducas. Datum Burdegalis, IJ non. junii, pontificatus nostri anno primo.

XXV

[158] Ejusdem papae epistola[1] de remissa parte pecuniarum quas Ecclesiae romanae debebat Karolus II, rex Siciliae. — Poitiers, 20 juillet 1307 *(a)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Carolo, regi Sicilie illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Capit pro filiis pater consilium et qui Christi legem adimplet onera portat alterius ac Dei patris jussionem exequitur, si deprimentes quis solvit fasciculos et pondus aggravans benigna pietate disrumpit. Que tanto vehementius nos astringunt, quanto precellentiori, quia suprema, nos ipse Deus, quamvis immeritos, potestate fulcivit, tuque non solum prout et ceteri, sed quadam prerogativa filius nosceris, ac ratione regni Sicilie, quod a romana in feudum tenes Ecclesia, nobis ut domino subditus et velut nobilissima ovis commissus sicut pastori gregis dominici comprobaris. Unde inter alia merentur hec *(b)* quasi funiculus triplex fortiter colligata quod in tui persona speciale faciamus aliquid tibique sine exemplo benevolentiam nostram et superefluentem liberalitatem Ecclesie in tuis necessitatibus ostendamus. Sane nuper in nostra et fratrum nostrorum proponi fecisti presentia quod a tempore mote guerre Sicilie usque nunc eras romane Ecclesie in trecentis et sexaginta sex

a) Anno 1306 *(sic)*, *Bal.* — *b)* hoc, *Bal.*

---

1. D'après le *Reg. Vat. 54*, fol. 149 r°, cap. 23. Baluze indique comme référence le ms. de Colbert *1578* ; cette référence est erronée.

millibus unciarum auri vel circa ex contractibus mutui cum eadem Ecclesia per clare memorie C[arolum], regem Sicilie, genitorem tuum, et te, necnon bone memorie *(a)* G[uillelmum] Sabinensem episcopum, legatum, et quondam nobilem virum Robertum, comitem Attrebatensem, tunc bajulos *(b)* regni ejusdem per romanam Ecclesiam constitutos ac plures, varios et diversos tuos et eorum nuntios celebratis frequentius obligatus, quodque cum ad hujusmodi solutionem debiti esses impar, de Sedis apostolice clementia solita, misericordiam ipsius in hoc implorando et gratiam, a debito liberari predicto humiliter supplicabas. Nos autem deliberatione [159] eisdem fratribus nostris habita, non sine turbatione mentis diuturnitatem Siculi belli in considerationem deduximus *(c)*, tui filiorumque tuorum *(d)* carceres, conflictus varios tam maritimos quam terrestres quos passus es, cedes, incendia, predas, dampna, innumerasque rursus quas belli calamitas introducit *(e)* clades advertimus, et finem feliciorem nunc *(f)* qui datus est bello, conspeximus diligenter. Hec tuas regnique predicti attriverunt opes. Hec tui habendam miserationem suadent. Hec nostra commovent viscera pietatis. Hiis adversis mutua querere, hiis miserabiliter supplex *(g)* coactus es suffragia postulare. Quis dirus pater non misereatur tui, fili carissime ? Quis crudelis dominus tibi opem, inclite vassalle, non ferat ? Aut quis pastor sevus te, ovis preclara in uberrimis *(h)* pascuis non locabit ? Absit quod a principe recedas vacuus, a romano pontifice frustra postuleris *(i)* auxilium, et in tempore placito non fueris exauditus. Eliseus non tantum vidue mulieri subvenit ut redderetur debitum creditori, verum etiam unde ipsa ejusque filii viverent de multa benignitate providit. Habet nempe aurum Ecclesia, non ut servet, sed eroget, et necessitatibus subveniat oppressorum ; argentum quoque *(j)* et aurum templi divitis Judeorum hostis non asportasset Assyrius, si non avare aut in pompam servatum fuisset, sed misericorditer erogatum. In evangelii etiam narratur parabola quod duorum debitorum non habentium unde redderent creditor donavit utrisque. Numquid habes, fili [carissime], unde commode reddas, qui tanta mole debitorum premeris quod secundum dignitatem regiam tibi et tuis

a) Carolum..... bone memorie, *omis par Bal.* — *b)* ballivos, *Bal.* — *c)* deducimus, *Bal.* — *d) omis par Bal.* — *e)* calamitates introduxit, *Bal.* — *f) omis par Bal.* — *g)* infallibiliter *au lieu de* miserabiliter supplex, *Bal.* — *h)* uberibus, *Bal.* — *i)* postularis, *Bal.* — *j)* que *au lieu de* quoque, *Bal.*

liberis in expensis providere debes, quive olim ex pluribus causis graviter aliis diceris debitis oneratus ? Numquid contra decus regium immobilia regni predicti *(a)* in solutum dabis Ecclesie, ut relinquaris pauper et efficiaris egenus, et tui, ne egeas, non habeamus crudeliter rationem ? Certe id humanitatis, que requiritur in nobis quod provideatur egenis, non esset, [160] nec sacerdotis hoc fore modestie probaretur, qui manum suam aperit inopi et extendit ad pauperem palmas suas. Jubileus insuper in lege veteri annus fuit in quo fiebat remissio debitorum. Res quippe favorabilis est remissio debiti. Et ideo major pars creditorum in hoc minori prejudicat ; et qui inducias eligunt, preferuntur hiis qui bonorum postulant cessionem. Hiis igitur ad pietatem moti, quodque dictus genitor tuus inextimabilia fere obsequia romane impendit Ecclesie, nos tuus in Christo pater *(b)*, dominus atque pastor tui dilectissimi filii, gloriosi vassalli, et dulcissime ovis pascue nostre disponimus portare onera, deprimentes te fasciculos cupimus solvere et pondus aggravans benigne disrumpere cogitamus. Quapropter in tuis tibi compatientes pressuris de predictorum fratrum nostrorum consilio et assensu, de mera liberalitate et misericordia sola nostra et romane Ecclesie, nullo ad id debito vel jure alicujus ex quavis *(c)* causa compensationis astricti, tibi tuisque heredibus et successoribus memorati debiti trecentarum et sexaginta sex millium unciarum auri, sive sit tantum, sive minus, sive etiam plus ascendat, tertiam partem remittimus, et de [nostra] gratia non trahenda ab aliis in exemplum speciali donamus, ita quod tu et successores tui predicti ad eam solvendam romane Ecclesie minime teneamini, sed sitis a debito ipso pro dicta parte omnique *(d)* personali et reali occasione ad illud et pro illo pro sepedicta parte eidem romane Ecclesie competentibus penitus et in perpetuum liberati ; non obstantibus quibuslibet obligationibus, penis, juramentis vel quavis alia firmitate vallatis, quas omnino ad sepedictam tertiam partem viribus vacuamus et nullius deinceps volumus esse vigoris. Nec in hoc miretur aliquis : quia dum tecum ut premittitur, nobis et ipsi Ecclesie romane conjuncto *(e)* sic agimus, etiam ac si intra familiam donationem hanc nos fecisse putamus *(f)* ; quoniam in te civilia, scilicet velut filialis cujusdam *(g)* adoptionis [161], subjec-

a) prefati, *Bal.* — *b) omis par Bal.* — *c)* exequaris *au lieu de* ex quavis, *Bal.* — *d)* que, *omis par Bal.* — *e)* conjuncti, *Bal.* — *f)* reputamus, *Bal.* — *g)* ejusdem, *Bal.*

tionis etiam *(a)*, qua ut pastori et episcopo tuo subes, ac quodam modo naturalia, videlicet vassallagii, jura concurrunt *(b)* et juxta eamdem parabolam *(c)* majoris tue dilectionis ex hoc quem fur furari non potest thesaurum acquirimus *(d)* Ecclesie sepedicte *(e)*. Pro reliquis vero duabus partibus debiti memorati *(f)* obtulisti nobis, constituisti, convenisti et promisisti quod quando passagium generale fiet pro recuperatione Terre Sancte, tu in propria ibis persona, vel unum de filiis tuis mittes, quod si tu, quod absit, prius rebus solvereris humanis, heres tuus regni Sicilie personaliter perget, vel unum de fratribus aut filiis suis in hujusmodi passagium destinabit, et sive tu personaliter vadas, vel filium tuum mittas sive dictus heres tuus vadat, aut fratrem vel *(g)* filium suum mittat, duces tu vel ille de predictis, qui ibit, trecentos armatos equites equos faleratos habentes, ita quod habeat quilibet eorum tres equos, et eosdem equites ibi tam diu tenebis sive tenebit heres tuus prefatus quamdiu durabit ipsius passagii prosecutio generalis, et post etiam terra ipsa vel parte ipsius acquisita, pro illius custodia equites ipsos tam diu tenebis aut heres tuus jam dictus tenebit ibidem quamdiu Ecclesia utile reputabit usque ad complementum dictorum *(h)* reliquorum debiti supradicti, quodque in ipso generali passagio et prosecutione illius quatuor mensibus singulorum annorum quibus durabit ipsa prosecutio generalis vel acquisite terre custodia supradicta, tu et *(i)* heres tuus predictus habebitis viginti galeas bene armatas atque necessariis munitas propriis vestris per omnia sumptibus, donec Ecclesia ipsa id utile reputabit usque ad complementum prefatum ; quod si, antequam dictum passagium generale fieret, Tartari acquisiverint dictam Terram Sanctam vel partem ipsius de Sarracenorum manibus, et offerant acquisitam liberam restituere christianis et summus pontifex seu *(j)* romana Ecclesia reputet tutum et utile oblationem ipsam recipere, [162] et ipse summus pontifex vel Ecclesia seu *(k)* alii principes mundi mittant pro recipienda ea gentem ad ipsum negotium sufficientem, quod ipse *(l)* pontifex vel romana Ecclesia *(m)*, prout sibi videbitur et placuerit, estimabit et arbitrabitur,

a) eam, *Bal.* — *b)* contraxerint, *Bal.* — *c)* per oblatam, *au lieu de* parabolam, *Bal.* — *d)* acquiramus, *Bal.* — *e)* supradicte, *Bal.* — *f)* uti, *ajouté par Bal.* — *g)* aut, *Bal.* — *h)* dictorum complementum, *Bal.* — *i) omis par Bal.* — *j)* sive, *Bal.* — *k)* seu Ecclesia vel, *Bal.* — *l)* idem, *Bal.* — *m)* seu Ecclesia romana, *Bal.*

tunc mittes cum dicta gente Ecclesie seu aliorum principum pro recipienda terra predicta equites centum equos similiter faleratos et tres equos habentes et galeas quinque, tenendos *(a)* sumptibus tuis, equites scilicet continue, et galeas quatuor mensibus singulorum annorum, quamdiu gens sufficiens Ecclesie vel aliorum principum ibi morabitur, vel Ecclesia romana hujusmodi equites et galeas utiliter et necessario providerit ibi esse, usque videlicet ad satisfactionem reliquorum dictorum debiti memorati. Et si Ecclesia romana pro defensione terre sue, quam habet in Ytalia, seu pro alia necessitate urgente, que ipsam specialiter tangeret, in ipsis Ytalie partibus, de qua simplici requisitioni nostre et successorum nostrorum romanorum pontificum vel romane Ecclesie a te et heredibus tuis stabitur, subsidio hominum indigeret, tu equites centum equos, ut supra de aliis dicitur, coopertos habentes et tres equos dabis, tenendos ad sumptus tuos, in eisdem partibus Ytalie, per decem annos utiles, hujusmodi necessitate vel defensione durante. Que per te taliter oblata tali moderatione perstringis quod simul et semel eodemque tempore dicta tria vel duo ex eis servitia non concurrant, et si in aliquo vel *(b)* aliquibus de predictis tribus servitiis totum prefatum residuum seu reliquum debiti expenderis, post complementum ipsius residui ad aliquod servitiorum ipsorum minime tenearis, quodque quia propter guerram preteritam et alias necessitates tuas plurima sustinuisti gravamina et adhuc te *(c)* sustinere oportet, ad predicta servitia vel aliquod predictorum usque ad tres annos, ex nunc in antea numerandos, minime tenearis, et quod ipsa servitia vel aliquod eorumdem in nullos alios usus per[163]mutari vel converti debeant, nec tu et heredes tui ad aliam satisfactionem quamcumque predicti debiti teneamini quoquo modo. Hec itaque debita meditatione pensantes, et oblationem hujusmodi, cum ea que perierunt repetere et tam requisita quam parta debeamus tueri, utiles reputantes, predicta per te oblata et oblationis predicte modum et formam quibus, ut predicitur, eam modificas et restringis, de eorumdem fratrum *(d)* consilio et assensu obligationem pretactam dictarum duarum partium debiti memorati novantes expresse, et in exhibitionem dictorum servitiorum per te oblatorum nichilominus transferentes, approbamus et acceptamus *(e)* et in ea ac in *(f)*

a) tenendas, *Bal.* — *b)* in, *ajouté par Bal.* — *c) omis par Bal.* — *d)* nostrorum, *ajouté par Bal.* — *e)* et acceptamus, *omis par Bal.* — *f) omis par Bal.*

obligationem hanc novam expressis *(a)* causis ortam obligationem ipsam memoratarum duarum partium debiti sepedicti transfundimus ac novamus, volentes quod pro quolibet dictorum equitum viginti florenis et galea qualibet predictarum mensibus singulis quibus, ut predicitur, erunt in memoratis servitiis centum uncias auri usque ad predictum *(b)* complementum sepedicti residui per te heredes et successores heredes tuos *(c)* imputentur ad plus nobis et Ecclesie prelibate. Per hec *(d)* autem vel eorum aliquod que superius exprimuntur volumus sic, et tu etiam voluisti *(e)*, nullum prejudicium generari quin ad servicia que juxta conventiones in concessione ejusdem regni olim facta in feudum per sanctam romanam Ecclesiam dicto genitori tuo appositas prestare debes eidem Ecclesie sic tu, heredes et successores tui *(f)* efficaciter teneamini, sicut si hec inter te et nos minime processissent, et perinde conventiones omnes predicte inviolabiles, inconcusse, illibate, illese et efficaces in perpetuum conserventur. Ac si subeundo dicta servitia vel aliqua ex eis sive aliquod totum debitum dictarum duarum partium per te, heredes et successores tuos *(g)* non fuerit erogatum, residuum quod non erit expensum *(h)* in eodem, que dictam Terram Sanctam respiciunt servitia, quotiens dicti casus ad eam pertinentes acciderint, vel *(i)* in [164] servitium in Ytalia, ut predicitur, faciendum, non tamen ultra taxationem ejusdem servitiis tam temporis quam numeri equitum supradictam ad arbitrium Ecclesie convertatur *(j)*. Intentionis tamen nostre existit quod hujusmodi Ytalie servitium semel per dictos decem annos utiles a te vel tuis heredibus et successoribus prestitum minime iteretur, quodque te, heredes et successores tuos quoscumque per tuas litteras aurea bulla bullatas ad omnia et singula predicta et omnia bona tua solenniter obliges et astringas *(k)*. Quod si forte tu seu *(l)* heredes et successores *(m)* tui *(n)* predicti requisiti a nobis vel eisdem successoribus nostris aut sepedicta romana Ecclesia *(o)* in premissis servitiis exhibendis vel eorum aliquo in mora fueritis, quotiens in mora fueritis, totiens eo ipso excommunicationis sententiam incurratis. Et si de sufficienti

a) ex premissis, *Bal.* — *b)* dictum, *Bal.* — *c)* per te et heredes tuos, *Bal.* — *d)* hoc, *Bal.* — *e)* nolumus, et etiam tu noluisti, *Bal.* — *f)* tu et heredes tui, *Bal.* — *g)* te sive heredes tuos, *Bal.* — *h)* expressum, *Bal.* — *i) mis après* servitium *par Bal.* — *j)* revertatur, *Bal.* — *k)* Intentionis..... astringas, *phrase omise par Bal.* — *l)* vel, *Bal.* — *m)* et successores, *omis par Bal.* — *n)* regni, *ajouté par Bal.* — *o)* sepedictam romanam Ecclesiam, *Bal.*

requisitione vel mora tua aut *(a)* heredum et successorum tuorum *(b)* questionem fieri continget *(c)*, nostro in hiis et eorumdem successorum nostrorum simplici verbo stetur. Non enim decet patrem et dominum cum filio et vassallo super talibus questionibus intrare judicium vel litis inire certamen. Fili ergo carissime, propter hanc exuberantem *(d)* gratiam tibi factam a nobis patre et Ecclesia matre devotum per exhibitionem operis ad ipsam tuam dilectionem ostende, ita quod devotio ad eam sit tua matutina oblatio et obedientia sacrificium vespertinum. Sic faciens, disciplinam patris tui audies et legem matris tue Ecclesie non dimittes, ut *(e)* capiti tuo additur *(f)* gratia, et torques aurea collo tuo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre remissionis, donationis, vacuationis, translationis, approbationis, acceptationis, transfusionis et novationis *(g)* infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Pictavis, XIIJ kal. augusti, pontificatus nostri anno secundo.

XXVI

[165] Ejusdem Clementis V bulla[1] pro magistris et scholaribus facultatis medicinae in Montepessulano. — Avignon, 8 septembre 1309 *(h)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis magistris et scolaribus facultatis medicine, in Montepessulano, Magalonensis dyocesis, commorantibus, salutem et apostolicam benedictionem. Deus scientiarum altissimus, qui lucem innaccessibilem *(i)* habitat super celos, inter clara dona virtutum, que in mentibus sibi cogitationes preparantium veritatis *(j)* larga pietate diffundit, incomparabiles thesauros scientie congregat affluenter, ut

a) sive, *Bal.* — *b)* ipsorum *au lieu de* et successorum tuorum, *Bal.* — *c)* contigerit, *Bal.* — *d)* exuberem, *Bal.* — *e) omis par Bal.* — *f)* addetur, *Bal.* — *g)* transfunditionis *au lieu de* transfusionis et novationis, *Bal.* — *h)* Anno 1308 *(sic)*, *Bal.* — *i)* immarcescibilem, *Bal.* — *j) lege* veritatem *cum Bal.*

---

1. D'après le registre Vatican 57, fol. 263 v°, cap. 1064. — Ex archivo regio Parisiensi, *Bal.*

ipsi tanquam lucerna non sub modio, sed super *(a)* candelabrum constituta, domum Domini radiis claritatis illuminent, custodiant in illa justitiam, legem divine majestatis exquirant, et qui sunt in ipsa fidelibus luce resplendeant actionum. Et licet nos, quem ille pastor eternus, qui clavem omnis scientie secum habet, gregi fidelium, ut ipsum pascamus scientia et doctrina, preesse voluit pia dignatione pastorem, in Ecclesie firmamento multorum diversitatem fidelium, qui divitias scientiarum amabiles in sinu ejusdem Ecclesie congregent spatioso, et in [h]orreum Domini grana salutis inferant, stabilire paterne diligentie studiis *(b)* laboremus, tamen in facultate laudabili medicine eo libentius Ecclesie prefate nutrire cupimus filios eruditos quo frequentius absque peritorum in facultate ipsa ministerio fructuoso vite presentis tabescente vigore scientiarum congeries in corpore mortalitatis humane dissolvitur, et per ministerium ipsum *(c)* sanitatis integritas, per quam in eo scientiarum fructus eidem Ecclesie succrescunt amabiles, solidatur. Sane oblate nobis vestre petitionis series continebat quod, ex eo quod episcopus Magalonensis, qui est pro tempore, secun[166]dum antiqua privilegia studii vestri cum duobus studii *(d)* ejusdem magistris, quibus vult, potest dare licentiam practicandi, noscuntur inter alia dispendia provenisse quod interdum minus ydoneis licentia ipsa conceditur; sicque sit quod vester, filii magistri, honorabilis status vilis efficitur, et exinde prefatum studium gravia suscipit nocumenta. Nos igitur intendentes quod in hujusmodi concessione licentie maturius procedatur, et considerantes attentius quod salus in multis consiliis reperitur, habitaque *(e)* super hiis cum dilectis filiis Arnaldo de Villanova *(f)* et Johanne de Alesto, phisico et *(g)* capellano nostro, qui olim diu rexerunt, et quibusdam aliis magistris qui regunt ad presens in studio prelibato, et nonnullis aliis qui ad magisterii statum in eodem loco promoti diversis temporibus rexerunt ibidem, quamvis in presentiarum a dicto studio sint absentes, plena deliberatione prehabita, et ab ipsis necnon a quondam magistro Guillermo de Maseto *(h)*, phisico, dum viveret *(i)*, qui etiam longo tempore in studio rexera tmemorato informatione recepta, vestris et multorum ex eis devotis supplicationibus inclinati, apostolica auctoritate statuimus, ejusdem

a) supra, *Bal.* — *b)* studio, *Bal.* — *c)* ipsorum, *Bal.* — *d)* cum duobus studii, *omis par Bal.* — *e)* atque, *Bal.* — *f)* de Villanova, *omis par Bal.* — *g)* phisico et, *omis par Bal.* — *h)* Masero, *Bal.* — *i)* vivet, *reg.*

utilitate studii suadente, quod nisi due partes universitatis magistrorum facultatis ejusdem commorantium in studio sepedicto cum episcopo memorato in ejusdem licentie concessione consenserint, eadem concessa licentia, privilegiis antedictis seu consuetudine quacumque contraria nequaquam obstantibus, nullius penitus sit momenti, nec quisquam absque tali licentia, magistris exceptis qui creantur in studio sepedicto, audeat practicare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinioni, VJ ydus septembris, pontificatus nostri anno quarto.

Has literas Karolus IV, rex Francorum, confirmavit anno MCCCXXXI, mense augusto.

XXVII

[167] Littera[1] Philippi, regis Francorum, directa magistro Johanni de Crispeio quod fructus episcopatus Albiensis deliberentur magistro Bertrando de Bordis. — Paris, 4 octobre 1308.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, Tholose et Carcassone senescallis vel eorum loca tenentibus, ac dilecto magistro Johanni de Crispeyo, canonico Silvanectensi, clerico nostro, salutem et dilectionem. Dudum per vos seu personas alias ad hoc per nostras litteras deputatas fructus, exitus et proventus episcopatus Albiensis, per annum ante festum Pasche proximo preteritum, colligi fecimus et levari pro viginti milibus libris parvorum turonensium, in quibus Bernardus, tunc Albiensis, nunc Aniciensis episcopus, nobis tenetur. Cumque dilectus et fidelis noster magister Bertrandus de Bordis, qui fuit in eodem episcopatu noviter subrogatus, nobis exponens quod ipse, propter sui status mutationem expensarum plurium onera subiturus, onera predicta non posset sine nostre provisionis auxilio supportare, supplicaverit quod, de eo quod de predicto debito exsolvendum superest, competentem dilationem sibi concedere dignaremur, licet tantum credat anno supradicto de predictis fructibus et exitibus percipi debuisse per vos seu per alias personas

1. Pièce non retrouvée ; ex archivo regio Parisiensi, *Bal.*

quod extimatione communi summam predictam attingit. Nos vero prefati Bertrandi consideratione, potissime sanctissimi patris summi pontificis, cujus existit Camerarius, et suis exigentibus meritis, supplicationibus inclinati, eidem Bertrando de illa summa que adhuc superest reddenda in hac parte biennalem, a tempore date presentium numerandam, dilationem duximus concedendam, mandantes vobis et vestrum cuilibet quatinus eum aut gentes suas contra tenorem dicte dilationis nullatenus molestetis, sed omnes fructus, [168] exitus, redditus et proventus qui a tempore messium et vindemiarum proximo preterito incurrentium inclusive obvenerunt et ex nunc obvenient integre dimittatis eidem, et eum vel gentes suas in eorum perceptione non impediatis nec impediri aliquatenus permittatis, sed eum sua temporalitate gaudere pacifice permittatis, et a quibuscumque personis que aliquid de predictis perceperint vel percipere potuerint a dicto messium et vindemiarum tempore faciatis sibi satisfactionem integram exhiberi, eas ad id per captionem rerum de plano, sine strepitu et figura judicii, subterfugiis, cavillationibus, exceptionibus et appellationibus frivolis rejectis, districte absque contradictione qualibet per vos, vel alium seu alios compellentes ; non obstantibus quibuscumque litteris et mandatis nostris contrariis, seu quod venerabili patri et speciali amico nostro Petro, episcopo Penestrinensi, mandaveramus de fructibus et exitibus episcopatus ipsius sexdecim milia librarum parvorum turonensium assignari ; cui volumus assignari, ni jam fuerit assignatum, quod precedente tempore de dictis redditibus per gentes nostras est receptum vel recipi potuit ; et cui sub certa forma per alias nostras litteras scribimus quod super residuo debiti sui, si quod fuerit, sibi placeat dicta dilatio biennalis ; dicto electo super residuo debiti sui, si quod fuerit, se eidem per suas litteras firmiter obligante, et nobis de alio residuo, si quod restat ad solvendum de summa dictarum viginti milium librarum. Et nisi predicta percepta anno preterito summam prefatam attingant, de quibus a quibuslibet perceptoribus nostris districtam volumus exigi rationem et ipsos ad premissa modo supradicto compelli, id quod per nos seu auctoritate nostra perceptum fuerit vel percipi potuerit, ad electi predicti liberationem in dicta summa per vos computari precipimus ac recipi in solutum, ab eodem electo vel suis procuratoribus ad hoc sufficiens mandatum habentibus obligatoria cautione sub [169] sigillo suo vel per alias litteras authenticas recepta quod de residuo quod superfuerit, de quo compotum cum ipso vel

gentibus suis volumus fieri, nobis et dicto episcopo Penestrinensi, ut premittitur, in duobus annis a data presentium integre computandis satisfiat ; quam quidem obligationem nobis faciendam thesaurario nostro Tholose per vos volumus et precipimus assignari, mandantes omnibus officiariis et subditis nostris ut vobis et vestrum cuilibet in solidum in premissis pareant et intendant. Datum Parisius, die quarta octobris, anno Domini millesimo trecentesimo octavo.

XXVIII

Bulla[1] Clementis V de confirmatione statutorum in ordine Grandimontensi factorum per delegatos papae. — Avignon, 22 avril 1309.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori et conventui monasterii Grandimontensis, Lemovicensis dyocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum olim, sicut vos ignorare non credimus, pro salubri reformatione status monasterii et ordinis vestri ejusque membrorum, tam nos quam dilectus filius Arnaldus, abbas monasterii Fontisfrigidi, Cisterciensis ordinis, Narbonensis dyocesis, sancte romane Ecclesie vicecancellarius, antequam esset per nos ad officium cancellarie Ecclesie predicte assumptus, ejusque in hac parte college, de speciali mandato nostro, multa statuta et ordinationes duxerimus faciendas, discretioni vestre, in virtute obedientie, per apostolica scripta, districte precipiendo, mandamus quatinus tu, fili prior, per te vel alium, vos vero, filii conventus, per aliquem seu aliquos procuratores seu nuntios ydoneos fratres dicti ordinis infra viginti dies post receptionem presentium coram nobis comparere curetis, ut post hoc ad confirmandum statuta et ordinationes predictas per ipsos [170] vicecancellarium, tunc abbatem, et ejus collegas factas, et faciendum ea et alia que, ut predicitur, fecimus, perpetuo firmiter observari, ac alias in ejusmodi negotio, quod specialiter insidet cordi nostro, prout utilius et salubrius expedire viderimus, auctore Domino, procedamus. Datum Avinioni, x kal. maii, pontificatus nostri anno quarto.

1. Ex archivo Grandimontensi, *Bal.* ; pièce non retrouvée.

XXIX

LITTERA[1] PHILIPPI IV, REGIS FRANCIAE, DE CUSTODIA BONORUM PERTINENTIUM AD ORDINEM TEMPLARIORUM. — Paris, 15 janvier 1309, (n. st.)

Philippus, Dei gratia Francorum rex, dilectis et fidelibus ducibus, comitibus, baronibus, senescallis, ballivis, judicibus, prepositis, vicariis, castellanis, et aliis justiciariis nostris, ac quibuscumque aliis temporalitatem in regno nostro habentibus, necnon et superintendentibus negotio Templariorum et bonorum eorumdem, vel eorum loca tenentibus, salutem. Dudum volentes occurrere dissipationi et periculis que circa Templariorum bona in lumen apparebant, manum extendimus ad eadem pro eorum custodia, ne perirent, non intendentes Templariorum ordinem possessione vel proprietate dictorum bonorum privare, sed pro ipso ordine, si bonus reperiretur, vel pro subsidio Terre Sancte bona hujusmodi conservare. Postmodum nos, in sanctissimi patris et domini Clementis, divina providentia sacrosancte romane et universalis Ecclesie summi pontificis, presentia constituti, de bonis predictis ad ipsius requisitionem manum nostram duximus amovendam, et eidem concessimus quod curatoribus seu administratoribus deputatis vel deputandis ab eo generaliter et a prelatis regni nostri, videlicet per quemlibet singulariter in diocesi sua, nos dicta bona mobilia et immobilia, que ceperamus et tenebamus, per gentes nostras et ministros realiter [171] et integraliter tradi faceremus, et nichilominus dictos curatores seu administratores per gentes nostras et ministros defendi et tueri faceremus, prout ad nos spectaret, cum necesse esset et per eos requisiti essemus. Quapropter vobis et vestrum singulis districte precipiendo mandamus quatinus dicta bona mobilia et immobilia, que cepistis et tenetis, dictis curatoribus seu administratoribus, vel deputatis seu deputandis a dicto summo pontifice, et prelatis predictis realiter et integraliter tradatis seu tradi faciatis indilate, ipsosque, prout ad quemlibet vestrum pertinuerit, tueamini et defendatis, cum ab ipsis fueritis requisiti. Datum Parisius, xv die januarii, anno Domini millesimo CCCVIIJ.

1. Ex veteri codice camere computorum Parisiensis inscripto A, *Bal.* ; pièce détruite dans l'incendie de 1737.

XXX

Clementis V epistola[1] ad Philippum, regem Francorum, de bonis Templariorum. — Avignon, 9 novembre 1310 *(a)*.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Dudum, ut securius in negotio Templariorum agenda procederent, tibi duximus concedendum quod, cum per nos universaliter et tui regni prelatos singulariter certos curatores seu administratores bonorum ordinis Templariorum ipsorum ordinassemus constitui, tu, si specialius de aliquibus personis confideres, quas velles cum eisdem administratoribus vel curatoribus administrationi dictorum bonorum et custodie interesse, illas nobis vel certis prelatis, quibus ut ipsi vel eorum aliquis personas, per te ad hoc nominandas, administratoribus seu curatoribus adjungerent supradictis commisimus, adjungere et ponere procurarent, et demum iidem prelati certas personas super hoc eisdem administratoribus seu curatoribus ad nominationem tue magnitudinis adjunxerunt, [172] de quibus dilectus filius nobilis vir Johannes de Hastinges, senescallus Vasconie, nuper ad presentiam nostram accedens, querelam exposuit coram nobis, et nichilominus quamdam super hoc supplicationem exhibuit, quam tibi mittimus presentibus interclusam. Cum itaque nos, dilectissime fili, carissimum in Christo filium nostrum Edwardum, regem Anglie illustrem, cujus idem senescallus officialis existit, in nostri pectoris intuitu pre multa dilectione portemus, tueque ad ipsum tanquam ad filium dirigi plene dilectionis sciamus affectus, et propter hoc nedum quod nos ac tu quod ejus dissimulare debeamus injurias, sed potius de sui honoris augmento tenemur sollicite cogitare, magnificentiam regiam rogamus et hortamur attentius quatinus sic prudenter in hiis tui consilii magnitudo provideat sicque remedium adhibeat oportunum quod nullum per illicitos actus administratorum hujusmodi, per te nominatorum, dicto regi prejudicium generetur in posterum, quinymo actibus eisdem subductis, et per

a) Anno 1309 *(sic)*, *Bal.*

1. Ex eodem veteri codice camere computorum Parisiensis, *Bal.* ; même remarque que ci-dessus.

hec causa hujusmodi querele sublata, honor et jura regis ipsius in hac parte absque lesionis macula conserventur. Datum Avinioni, v ydus novembris, pontificatus nostri anno quinto.

SUPPLICATIO SENESCALLI CUJUS FIT MENTIO IN SUPERIORIBUS LITTERIS ITA HABETUR IN EODEM VETERI CODICE. — [1310 ?].

Supplicat sanctitati vestre Johannes de Hastingis, filius vester ab antiquo devotus, quod, cum bona Templariorum in manibus domini sui, regis Anglie et ducis Aquitanie, nuper existentia, fuissent ad sanctitatis vestre requisitionem per dominum Guidonem Ferre, militem, in officio suo predecessorem, administratoribus per vos deputatis in illis liberata sub protestatione tali, videlicet quod dictus dominus rex Anglie, dux Aquitanie, utitur in dicto ducatu sicut fiscus, et ad ipsum pertinet confiscatio [173] omnium bonorum incursorum ratione omnium criminum publicorum et lese majestatis et heresis et aliis quibuscumque, et salvo et protestato quod si illustris dominus rex Francie liberaret verbo solum bona Templariorum que sunt in jurisdictione sua vel aliquid juris retineret in eisdem, quod idem jus esset retentum domino regi Anglie et duci Aquitanie in ducatu predicto, et quod si dictus dominus rex Francie obtineret aliquam gratiam vel jus de domibus, locis, et bonis predictis, quod eadem vel simili gratia gauderet prefatus dominus rex Anglie in ducatu Aquitanie, et quod idem jus quod in liberatione bonorum et domorum, que sunt in regno Francie, facta vel facienda per dictum dominum regem Francie vel ipse dominus rex Francie aut ejus gentes retinebunt vel retinuerint, idem jus seu simile obtineret dictus dominus rex Anglie, dux Aquitanie, et jam dicatur quod dictus dominus rex Francie a sanctitate vestra reportaverit ut ipse vestris administratoribus possit aliquos de quibus confiderit associare, et juxta concessionem hujusmodi quasdam certas personas associaverit vestris administratoribus antedictis, ut placeat sanctitati vestre per apostolica scripta declarare domus, loca et bona de ordine Templariorum infra ducatum existentia quoad predicta non debere sub generalitate hujusmodi comprehendi, cum in eventum, nisi hoc fieret, in magnum prejudicium dicti domini regis et ducis redundaret, et ita disponere ne per quoscumque administratores per dictum dominum regem Francie vel ejus nomine in bonis et rebus dictorum Templariorum in predicto ducatu existentibus deputatos prejudicium dicto

domino regi et duci aliquod generetur, et concedere dicto domino regi et duci Aquitanie ut ipse administratoribus vestris aliquos possit in dicto ducatu pro conservatione dictorum bonorum ponere loco sui, vel aliter in premissis ordinare secundum quod sanctitati vestre videbitur ad ho[174]norem sancte romane Ecclesie, et quod non cedat in prejudicium vel exheredationem dicti filii vestri domini nostri regis et ducis.

In eodem codice ista habentur de eodem negotio. — [1310 ?].

In primis dominum suum, dominum regem Anglie et ducem Aquitanie, et consilium suum certificat senescallus suus Vasconie quod, cum bona Templariorum dicti ducatus per nuntios ejusdem domini regis domino pape Avinioni, anno jam elapso, sub certis protestationibus fuissent liberata certis curatoribus pro ipsis bonis conservandis, videlicet episcopo Agennensi et quibusdam aliis canonicis ejusdem loci per dominum papam deputatis, demum dominus papa dominum regem Francie curatorem dictorum bonorum una cum ipsis curatoribus prefatis deputavit. Qui quidem dominus rex per suos ministros petit omnem pecuniam et omnes exitus et proventus provenientes de dictis bonis Templariorum. Quod dicto domino regi et duci valde grave et prejudiciale existit, et perquam periculosum poterit esse in futurum. Nam per hujusmodi exituum seu proventuum perceptionem possessionem locorum fratrum dicti Templi poterit dictus rex Francie subintrare et clandestine occupare in prejudicium dicti domini regis et ducis, cum incurrimentum seu forisfactio dictorum bonorum et omnium aliorum quorumcumque pro quibuscumque criminibus, sive crimine heresis, lese majestatis, murtri, roberie, seu ob aliud quodcumque crimen in ipso ducatu commissorum pertineat seu pertinere debeat ad dictum dominum regem et ducem, et ad ipsius predecessores pertinuerint ab antiquo. Suntque dicta loca undique per ipsum ducatum sita, ambitu murorum et turrium fortium circumdata. Idemque dictus rex Francie bastidas, que vulgariter ibidem ville nuncupantur, posset de novo construere. Et sic dicta [175] loca fortia in manu forti infra quamcumque partem ipsius ducatus poterit pro tempore occupare.

———————

XXXI

CLEMENTIS PAPAE V EPISTOLA[1] AD AMANEVUM DE LEBRETO DE DISCORDIA EJUS CUM SENESCALLO VASCONIAE. — Le Groseau, 10 août 1312.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Amanevo, domino de Lebreto, salutem et apostolicam benedictionem. Cum nos dilectos filios magistrum Hugonem Geraldi, decanum ecclesie Sancti Aredii, Lemovicensis dyocesis, et fratrem Guillermum Petri, ordinis Predicatorum, magistrum in theologia, capellanos nostros, latores presentium, pro pace et concordia inter te et dilectum filium nobilem virum Johannem de Ferrariis, senescallum Vasconie, super discordia inter te et eum noviter, peccatis exigentibus, suscitata, Deo propitio reformanda, specialiter destinemus, nobilitatem tuam paterno rogamus et hortamur affectu quatinus eisdem capellanis et ipsorum cuilibet super hiis que tibi super hujusmodi negotio pacis ex parte nostra retulerint adhibeas plenam fidem et illa studeas efficaciter adimplere. Preterea scire te volumus quod super eodem negotio pacis prefato senescallo et nonnullis communitatibus Vasconie per nostras diversas scribimus litteras speciales, prout in transumptis ipsarum, que tibi mittimus presentibus interclusa, plenius poteris intueri. Datum in prioratu de Grausello, prope Malausanam, Vasionensis dyocesis, quarto ydus augusti, pontificatus nostri anno septimo.

XXXII

[176] CONSILIUM[2] MAGISTRI TEMPLI DATUM CLEMENTI V SUPER NEGOTIO TERRE SANCTE, ET SUPER UNIONE TEMPLARIORUM ET HOSPITALARIORUM. — [1306-1307[3]].

In nomine Domini. Amen. Hoc est concilium magistri Templi super negotio Terre Sancte *(a)*. Pater sancte, queritis quid michi

a) Hoc est... Terre Sancte, *passage omis par Bal.*

1. D'après les archives des Basses-Pyrénées *E*, 22. — 2. D après *J 456*, n. 36 des Archives nationales. — 3. J. Delaville le Roulx, *La France en Orient au XIVe siècle*, Paris, 1886, t. I, p. 55, date le mémoire de Molay de 1307. Dans *Les*

videtur melius faciendum, sive grande passagium, sive parvum. Ad quod respondeo quod parvum passagium, secundum statum in quo terra consistit ad presens, non esset proficuum, sed dampnosum et vituperosum christianitati, et esset perditio illorum omnium qui transirent in parvo passagio : quia christiani hodie non tenent in terra illa, hoc est, in regno Jerosolimitano, comitatu Tripolitano, et principatu Antiocheno, civitatem, castrum vel fortalitiam aliquam, in qua se recolligere possent vel guarentire, si opus esset. Et si passagium reperiretur in aliquo loco dictarum partium, nec esset ita forte quod posset preliari cum exercitu soldani, totaliter perderetur.

Item, si aliquis vellet dicere quod parvum passagium esset utile ad eundum in Armeniam, ad custodiam illius terre, et pro faciendo guerram Saracenis per partes illas, respondeo quod hoc esset periculum et perditio omnium que reperirentur ibidem, si dictum passagium in societate Armenorum non esset tam forte quod posset preliari contra exercitum de Sceam, hoc est, de Jerusalem, et omnibus finibus ejus, qui potest esse numero XIJ vel XV millia equitum aut circa, et de XL vel L millia servientum archariorum. Et posito quod possint resistere supradictis, quod non credo pluribus rationibus que possent dici, restat adhuc exercitus soldani Babilonie, qui facile posset illuc venire quandocumque placeret.

Item, si parvum passagium iret in Armeniam, licet Saraceni non facerent [177] sibi da[m]pnum vel guerram, cum terra a se ipsa ita infirma est et mala quod si quatuor millia equitum transirent illuc, quantumcumque fortes et sani, mirabile esset si in fine anni reperirentur quingenti.

Item, est aliud periculum, quod si Franci se reperirent in bello cum equitibus vel militibus Armenie, ex quibus pauci reperiuntur qui non sint semper parati ad fugam, dum vident inimicos ad pugnam contra se venire, quod non relinquerent eos ; et hoc esset maxima confusio probis viris se in tali societate sentire dum essent in

Hospitaliers en Terre Sainte et à Chypre, Paris, 1904, p. 268, il adopte la date de 1305. J. Petit, *Mémoire de Foulques de Villaret sur la Croisade*, dans *Bibliothèque de l'Ecole des Chartes*, t. LX (1899), p. 602-603, opine pour 1306-1307. C'est le sentiment de E. Renan, dans *Histoire littéraire de la France*, t. XXVII (1877), p. 382-387. H. Finke, *Papsttum und Untergang des Templerordens*, Münster, 1907, t. I, p. 125, choisit l'année 1306. En tout cas, Baluze s'est trompé, en assignant la date de 1311 au mémoire, qui est certainement antérieur à l'entrevue de Poitiers, en 1307.

exercicio armorum, quia illi qui noverunt et noscunt eos libenter evitant in talibus locis esse cum eis.

Item, si Franci essent in Armenia et indigerent refugio, Armeni non receptarent eos in aliquo castro vel fortalitia sua, quia semper dubitaverunt et dubitant ne Franci auferant eis terram. Et hoc divinant Armeni continue, scilicet quod Franci debent eis regnum auferre.

Item, in marchia Armenie sunt tot gentes de Beria, Turchumanni *(a)*, Cordoivini *(b)*, Beduini, quod etsi alie gentes Saracenorum non intromitterent se, fortiter se defenderent, et tenerent marchiam illam cum illis qui essent in Armenia, quia montana sunt magna et passus fortissimi. Quare predictis rationibus et aliis multis que possent dici, nullo modo consulo parvum passagium fieri debere, ymo contradico quantum possum, ac reprobo omnino pro evitando vituperio et dampno christianitatis.

In nomine Domini. Amen. De magno passagio generali faciendo omnino concordo pro destructione inimicorum fidei christiane et pro restauratione Terre Sancte Christi sanguine resperse. Et si placeret sanctitati vestre et dominis cardinalibus quod ex nunc quam citius possetis bono modo de hujusmodi passagio tractaretis cum dominis regibus Francie, Anglie, Alamanie, Scicilie, Ara[178]gonie, Yspanie, et aliis terrarum dominis majoribus et minoribus, quorum corda Deus illuminaret *(c)* ad negotium istud tam pium et laudabile, valde bonum et utile crederem.

Item, quod ordinaretur ex nunc Janue, Venetiis et in aliis terris maritimis, quod fierent naves et alia magna vasa ad portandum equos et victualia, et quam citius fieri posset inciperet quilibet providere sibi de rebus necessariis ad dictum passagium.

Item, non laudo galeas in facto passagii, sed naves et alia magna vasa ; et hoc ideo quia naves sunt magis proficue et laudabiliores quam galee. Nam una navis portabit plus quam quatuor galee, et una galea constabit plus quam tres naves. Et non oportebit passagium preliari in mari, quia inimici non possent in mari resistere, cum habeant modicum armamenti.

Item, si placet audire consilium de quantitate gentium, respondeo quod Bothendar *(d)*, olim soldanus Babilonie, qui fuit potentior et sapientior in factis armorum quam unquam fuisset aliquis in

a) Turchimanni, *Bal.* — *b)* Cordommi, *Bal.* — *c)* illuminet, *Bal.* — *d)* Bochendar, *Bal.*

secta sua et magis famosus, multotiens dixit quod cum exercitu suo o[b]viaret XXX millibus Tartarorum, sed si plures venirent, relinqueret eis campum.

Item, dixit quod si in terra sua venirent XV millia equitum Francorum, o[b]viaret eis et preliaretur cum eis, sed si plures venirent, recederet et dimitteret eis campum. Propter quod reducens ad memoriam dicta ipsius et alia plurima que audivi, similiter audiendo ab eis qui fuerunt in Damiata cum sancto Ludovico de quantitate militum et equitum ac peditum quam habuit secum, auderem et audeo dicere, nisi melius audirem, quod si generale passagium habet a XII usque ad XV millia equitum armatorum, et V millia peditum, cum auxilio Dei, in cujus servitio se disponent, spero in Domino quod tot gentes, volentes bono consilio credere, totam Terram Sanctam acquirent et recuperabunt omnino. Sed de pre[179]dictis equitibus consulo quod essent duo millia balistariorum.

De loco ubi passagium recolligatur nichil dico, quia hoc est in voluntate dominorum regum. Sed de applicando portu in partibus illis, modis omnibus consulo pro meliori quod primo applicetur in regno Cipri, et ibi refrigeret et recreet se passagium totum. Set discedendo a regno Cipri et eundo versus Terram Sanctam, nullus debet palam consulere de loco seu *(a)* patria in qua sit portus arripiendus *(b)* vel passagium descendere debeat, quia ex hoc oriretur previsio Sarracenis. Sed si placet vobis et domino regi Francie, dicam secreto tot bonas et utiles causas quod credo vere quod acquiescetis consilio meo, quia clare monstrabo que sunt loca bona vel non bona *(c)* ad hoc, ita quod vestra discretio sancta bene agnoscet.

Item, pater sancte, ad hoc ut nullus possit dicere quod non consulam libenter fieri bona, si vobis placet mittere in regnum Cipri aliquem succursum equitum vel peditum, potestis facere, et hoc esset consolatio in regno Cipri, pluribus rationibus que possent dici.

Item, consulo et laudo pro meliori modis omnibus quod ordinetis quam citius potestis *(d)* decem galeas et que preparentur hac yeme, ita quod in primo vere possint transire ad defensionem regni Cipri et ad custodiendum mare, ne per malos christianos portentur

a) de, *ajouté par Bal.* — *b)* accipiendus, *Bal.* — *c)* vel non bona, *omis par Bal.* — *d)* poteritis, *Bal.*

vetita Saracenis. Et quod dicte galee teneantur continue usque ad passagium generale, et de pecunia percipienda pro dictis galeis tenendis, si placebit, secundum quod michi videbitur secreto consulam. Tamen consilium istud non scribo, quia non est ponendum in scriptis. Sed spero in Domino quod taliter lucrabuntur dicte galee quod satis facile poterunt teneri.

Et consulo quod ponatur in dictis galeis talis capitaneus qui non dubitet perdere temporalia bona per potentiam civitatum maritimarum. Credo quod Rogeronus, filius quondam domini Rogerii de Loria, esset bonus capitaneus dictarum [180] galearum, si vobis placeret. Non consulo quod ponatis hominem religiosum, precipue Templarium vel Hospitalarium ; quia si dicte galee dampnificarent Januenses vel Venetos, ipsi recurrerent ad naves vel bona eorum, et sic religiones possent incurrere magnum dampnum.

Item, consulo, pater sancte, pro bono et honore vestro et totius christianitatis quod placeret vobis mandare Januensibus, Venetis, et Pisanis, et aliis portum habentibus supra mare et expresse precipere quod non portent vel mittant bona aliqua Saracenis, quia Saraceni nimis ditantur ex hoc. Nam secundum quod audivi, de omnibus que contrahuntur cum eis sive dando, sive recipiendo, tertiam partem largo modo recipiunt a christianis pro dacio seu thelonio, ita quod de tribus navibus sive de onere trium navium bene recipiunt seu tollunt unam ; et multa dampna receperunt *(a)* ex hoc christiani propter lanceas et alia arma que mali christiani deferunt et portaverunt eis. Unde credo quod esset bonum si poneretis ad hoc fortissimam prohibitionem et strictam sententiam, et quod ita facile non absolverentur a dicta sententia in eorum reversione sicut aliquando fieri consuevit. Nam quandoque deferunt eis galeas ita paratas quod nichil restat nisi componere et clavare ipsas. Unde super hoc faciet vestra sanctitas quod videbitur esse bonum.

Noscat igitur vestra sanctitas, pater sancte, quod vobis melius et clarius ore proprio exponerem predicta quam per aliqua scripta. Rogo itaque Deum omnipotentem ut vobis donet gratiam ordinandi super hiis quod fuerit melius et potentiam recuperandi tempore vestro loca sancta, in quibus Dominus noster Jhesus Christus nasci et mori dignatus est pro generis humani salute.

a) recipiunt, *Bal.*

SUPER UNIONE ORDINUM, VIDELICET TEMPLARIORUM ET HOSPITALARIORUM[1]. — [1306-1307].

Pater sancte, questioni quam facitis super facto unionis religio-[181]num Templi et Hospitalis, ego, magister Templi, respondeo sic. Certe recolo quod papa Gregorius, dum esset in concilio Lugdunensi, et sanctus Ludovicus cum eo, et alii multi ecclesiastici et seculares, fuit etiam ibi frater Guillelmus de Bellojoco, tunc magister Templi, et multi alii antiqui fratres nostri ordinis cum eo. Fuit etiam de ordine Hospitalis Sancti Johannis frater Guillelmus de Corcellis, cum pluribus aliis fratribus et discretis ejusdem ordinis. Et dictus papa Gregorius et sanctus Ludovicus voluerunt habere consilium super facto unionis predicte, et eorum intentio erat de omnibus religionibus armorum facere unam. Sed fuit responsum quod reges Yspanie nullatenus consentirent propter tres religiones armorum que sunt in sua patria *(a)* stabilite. Quare deliberatum fuit pro meliori quod unaqueque religio resideret in statu suo. Item tempore Nicholai pape IV, propter perditionem Terre Sancte que tunc fuit, quia Romani clamabant fortiter et alii populi eo quod succursus sufficiens ad defensionem ipsius terre non fuerat missus per eum, ad excusationem quodam modo sui, et ut appareret se velle remedium apponere circa negotia Terre Sancte, refricavit seu rea[s]sumpsit verba unionis predicte, et tandem nichil fecit. Deinde Bonifacius papa super hoc fecit plurima verba, et tamen omnibus consideratis, omnino pro meliori cessavit, prout scire poteritis per aliquos cardinalium qui fuerunt tempore suo.

Item, pater sancte, in facto unionis animadvertenda sunt commoda et dampna, honores et scandala que possunt ex hujusmodi negotio provenire.

Primo quidem videtur michi quod non esset honor tam antiquas religiones, et que tanta bona fecerunt tam in Terra Sancta quam alibi, nunc unire : quia timendum est ne contrarium accidat eorum que huc usque fecerunt, quia numquam vel raro fit novitas que non pariat pericula magna.

Item, super omnia timenda sunt ani[182]marum pericula. Et hoc

a) patria sua, *Bal.*

1 D'après le ms. latin *10919*, fol. 164 r°-166 v° (Bibliothèque nationale de Paris).

dico quia diversissimum est et gravissimum hominem qui sponte Deo se vovit in habitu et professione unius religionis compellere vitam et mores mutare vel aliam religionem assumere nisi velit.

Item, et aliud grave periculum esset, si unio fieret, propter divisiones hominum, ne instigante dyabolo concertarent ad invicem dicentes : *Nos melius valebamus, et plura faciebamus bona.* Et per talem concertationem possent multa pericula provenire, quia Templarii et Hospitalarii habent arma. Et sic facile, si rumor insurgeret inter ipsos, posset grave scandalum suscitari.

Item, si unio fieret, multum oporteret quod Templarii largarentur, vel Hospitalarii restringerentur in pluribus, et ex hoc possent animarum pericula provenire : qui[a] pauci sunt, prout credo, qui vellent vitam et mores assuetos mutare.

Item, si unio fieret, maxima diminutio esset elemosinarum et bonorum que fiunt in qualibet religionum. Nam religio Hospitalariorum super hospitalitate fundata est, et ultra hoc exercent militias, et multas faciunt elemosinas. Templarii vero super militia proprie sunt fundati et in omnibus eorum baliviis, ter in septimana, faciunt omnibus recipere volentibus elemosinam generalem, et donant continue pauperibus decimam totius panis.

Item, donant in conventu inter duos fratres tantum de carnibus quod de residuo possent duo pauperes satiari. Unde si religiones essent unite, non facerent simul nisi quantum una facit ad presens. Et hoc idem dicere possum de servitio Dei et divinis officiis.

Item, in civitatibus et aliis locis ubi dicte religiones habent plures domos, si unio fieret, una vastaretur, et alia remaneret in statu, et quilibet vellet quod sua statum haberet. Unde sepe discordia posset oriri. Et ubi due religiones habent plures preceptores, oporteret quod unus esset preceptor et alii subessent. Unde quia [183] male contentarentur, facile posset incurri discordia.

Item, conventus Hospitalis habet mariscalcum, commendatorem, draparium, et alios plures officiales. Et hoc idem est in conventu Templi. Unde ex hoc posset briga maxima et discordia inter ipsos oriri, quia quilibet vellet tenere suos officiales in statu.

Item, si aliquis vellet ob[j]icere quod pro extinguenda invidia, que inter Templarios et Hospitalarios esse dicitur, esset unio facienda, respondeo quod maximum dampnum esset Terre Sancte tollere talem invidiam, et ex hoc proveniret magnum commodum Saracenis. Nam talis invidia semper attulit et honorem et commodum christianis, et contrarium Saracenis : quia si Hospitalarii

faciebant aliquod bonum exercitium armorum contra Saracenos, Templarii numquam cessabant nisi fecissent tantumdem vel plus, et e converso.

Item, si Templarii faciebant magnum passagium fratrum, equorum et aliarum bestiarum, Hospitalarii non cessabant donec similem fecissent vel plus. Et ista talis invidia, que semper viguit et viget inter eos, omni tempore fuit et est honorabilis et proficua christianis, Saracenis vero dampnosa.

Item, si una religio habuit bonos milites et famosos in armis *(a)* et aliis bonis operibus, alia semper studuit toto posse meliores habere. Et per talem invidiam utraque religio tales fecit expensas continue quod semper gravate fuerunt maximis oneribus debitorum. Unde si due religiones fuissent in unum, non credo quod super predictis tantum conati fuissent.

Item, quod per invidiam vel controversiam que inter ipsos aliquo tempore fuisset, nunquam cessavit fieri calvalcata contra Saracenos vel aliquod armorum officium. Quinymo propter predictam invidiam majora et meliora fiebant. Preterea nunquam auditum fuit quod ex aliqua causa ullus ipsorum apponeret manum violentam in alium.

[184] Item, apparet exemplum inter fratres Predicatores et Minores, qui multos habent meliores clericos et magis famosos quam si ambe religiones essent in unum : quia quelibet religio studet excellentiores viros habere, et magis exercitat suos tam ad divinum officium quam etiam ad sermocinationem et predicationem verbi Dei ; quod totum redundabit *(b)* in honorem et commodum populi christiani.

Item, quando reges, duces, comites, ac etiam alii barones populares peregrini, quicumque vadunt ad Terram Sanctam, et equitant manu armata contra Saracenos, semper consuevit hoc fieri inter ipsos quod una religio precedit et facit custodiam que dicitur avangarda, reliqua vero facit custodiam que dicitur reregarda, et sic extraneos inter ipsos cooperiunt et involvunt, sicut mater, infantem. Et bene oportet hoc fieri, quia agnoscunt modum Saracenorum, et Saraceni cognoscunt eos ; et quandocumque aliqui fecerunt cavalcatam sine ipsis, male successit eis, secundum quod vestre sanctitati *(c)* referam cum audire placuerit. Et si due reli-

a) marinis *au lieu de* in armis, *Bal.* — *b)* redundat, *Bal.* — *c)* sanctitati vestre, *Bal.*

giones essent in unum, oporteret quod alii quam ipsi facerent sive avangardiam sive reregardiam.

Item, quicumque peregrini majores domini vel minores venerunt ad Terram Sanctam, semper invenerunt refrigerium, recreationem, auxilium et succursum sive ab una sive ab altera religionum. Et si non fuisset nisi sola religio, forsitan non invenissent ita largum remedium et succursum tam liberum. Et hoc idem dico de minimis servientibus, qui semper vel in una vel in altera religionum habuerunt bonum refugium.

Commoda vero vel profectus que de unione cognosco sunt hec. Notorium est quod omnes gentes consueverunt habere multam devotionem ad religiosos. Quod totum videtur esse conversum ; quia plurimi reperiuntur velle auferre religiosis quam dare, et quasi omnes libentius accipiunt quam donent eisdem, et multa gravamina continue eis inferuntur per [185] mundum tam a prelatis quam ab aliis viris potentibus et minoribus, sive clericis, sive laicis. Sed si talis unio fiat, religio erit tam fortis et potens quod bene defendet et poterit defendere jura sua a quibuscumque personis.

Item, alium profectum cognosco, quia facerent minores expensas. Nam, ubi modo tenentur duo hospitia, nonnisi unum teneretur ; et ubi sunt duo preceptores, vel duo ballivi, non esset nisi unus, sive in conventu ultramarino, sive in provinciis et domibus cismarinis ; et hec esset maxima alleviatio expensarum. Unde, pater sancte, in predictis omnibus continentur profectus et dampna, honores et inhonores, vel pericula, que in facto unionis sentio et cognosco.

De consilio vero nostri conventus ac veterum proborum virorum ordinis nostri existentium citra mare et provincias et ballivias, quandocumque vestre sanctitati placuerit audire, faciam ipsos ad invicem congregari etiam, si volueritis, coram vobis. Et tunc audire poteritis consilium et voluntatem dicti nostri conventus et fratrum predictorum, et postmodum facere circa predicta, prout sanctitati vestre melius et utilius apparebit.

Insuper, sancte pater, audivi vobis esse narratum quod religiosi, qui subsunt obedientie, essent magis apti et proficui ad recuperationem et custodiam Terre Sancte quam alie gentes. Quod quidem verum est, quia faciunt minores expensas, et in domibus, campis et factis armorum sunt magis obedientes. Sed, si intenditis redditus assignare taxatos, annuos et continuos, ad sustinendum tot equites et armigeros quot viderentur posse teneri, melius reputarem quod tales redditus assignarentur utrique religioni divisim, scilicet

Templi et Hospitalis, quam ipsos unire, quia quilibet conantur etiam ultra posse suum debitum exercere.

XXXIII

[186] Oppinio cujusdam suadentis regi Francie ut regnum Jerosolimitanum et Cipri acquireret pro altero filiorum suorum, ac de invasione regni Egipti et de dispositione bonorum ordinis Templariorum ; et in fine sunt aliqua de vita Bonifacii pappe octavi[1]. — 1308[2].

Quoniam, ut ait Apostolus, *Omnis Christi actio nostra debet esse instructio, et omnia quecumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt*, considerato quod in primo libro Regum legimus [quod], cum populus Israeliticus, pre ceteris Deo carus, regem ab ipso sibi dari postulasset, ipse Deus dedit eis regem Saulem, qui ab humeris et supra toti populo supereminebat quem sciebat Dominus futurum esse non obedientem sibi, et idcirco regimen ejus durare non posse, motus figuraliter, ut videtur, ad ipsum eligendum ut exemplum sic faciendi nobis daret, videlicet quod nos futuros hominum eventus ignorantes, bonitatem eminentem considerantes, et latentes bonitates pie presumentes, ubi rex est eligendus, similem ad magnum Babilonis et Egipti, quod Assiriorum dicitur, regnum eligamus et nominemus, residuum dispositioni Creatoris, qui ab eterno novit omnia, relinquentes, videlicet dominum Philippum secundogenitum illustrissimi principis domini regis Francorum, quoniam durum esset ad aliquem de majoribus mundi hujus honoribus non vocari. Sed quoniam in canone scriptum est : *Nemo sibi honorem assumat, sed qui vocatur a Domino, sicut Aaron*, premissa et alia plurima mundi hujus expendenda *(a)* honesta, perquam utilia, naturaliter ac verisimiliter possibilia considerans

a) expedienda, *ms.*

---

1. D'une main du xve siècle. — 2. Ce mémoire « est un véritable post-scriptum ajouté, peu de temps après sa rédaction, au *De recuperatione* » ; cf. l'édition du *De recuperatione Terre Sancte* par Ch. V. Langlois, Paris, 1891, p. 131. Il a pour auteur Pierre Dubois. Il est de 1308 et postérieur au 23 mai. On le trouve inclus au ms. latin *10919*, fol. 82 r°-86 r° (Bibliothèque nationale).

amator salutis totius reipublice christicolarum, eamque proprie saluti et utilitati preponens, ut ex multis suis operibus potest verisimiliter apparere, intra se conferendo et ratio[187]cinando, per hanc scripturam breviter voluit explicare, ob predicti domini regis sollicitudines, prout potest, prolixitatem vitando, breviter ad presens scribere voluit et probare contra renitentes de probando plenissime, protestando videlicet quod dominus rex de facili potest suum nobilissimum filium secundogenitum honorare et pre omnibus viventibus dittare sine cujusquam injuria, declinando, prout oportet in omnibus agendis facere, quodcumque mortale peccatum.

Certum est quod jampridem vacavit regnum Acon spectans ad comitem Augi. Qui comes et ejus antecessores, jam per multa tempora, regnum hujusmodi regere neglexerunt, et ob hoc commoditatis *(a)* ejus jus dimisisse dicuntur. Sed ut cesset omne mali scrupulum, rex poterit a comite, qui sibi non negabit, petere quod jus, si quod habet, quod non creditur, suo nato cedat, et, eo cesso, suum filium per papam faciat regem ungi et coronari, Acon, Babilonis, Egipti, et Assiriorum regno sibi secrete concesso, nisi soldanus velit pacifice Terram Sanctam restituere et dimittere Ecclesie romane et jus habentibus in eadem, cum valore omnium fructuum et proventuum quos levavit contra justitiam de eadem.

Hiis itaque factis, seu quod fiant suppositis, petat et procuret dominus rex generale concilium principum catholicorum et prelatorum congregari propter hunc finem quod provideantur et statuantur *(b)* ac fiant omnia necessaria et conferentia ad recuperationem, conservationem et felicem gubernationem Terre Sancte, non solum prout tanguntur in epistola pape mittenda, domino regi tradita apud Chinon in festo Ascensionis Domini nuper preterito, sed modo quasi sine comparatione meliori, prout dominus rex cum sapientioribus et expertis duxerit ordinandum.

Ultra vero contenta in dicta epistola videtur expediens ordinare quod, considerato jure quod habet rex Sicilie in [188] regno Jerusalem ex venditione domicelle Marie de Jerusalem, per concilium fiat ei bona recompensatio juris et impensarum, quia per barones regni fuit, ut dicitur, judicatum venditionem hujusmodi non tenere, et regni jus ad regem Cipri spectare ; ita quod, propter

a) commoditates, *Bal.* — *b)* statuentur, *ms.*

bonum commune totius mundi, de Hospitalariis et aliis ordinibus ob Terram Sanctam statutis, exceptis Templariis, fiat unicus ordo, et omnes ipsius ordinis possessiones circa Terram Sanctam vel saltem circa Ciprum statute ad firmas perpetuas plus offerentibus dentur. Rex Cipri inducatur ad dandum ordini se cum omnibus bonis suis, et maxime jus, si quod habet, in regno Jerusalem ; et subrogetur loco dictorum ordinum militie regalis ordo, cui preferatur rex Cipri, ut in dicta epistola cavetur ; et succedant alii catholici reges religiosi *(a)* Jerusalem post ipsum ; qui rex ordinis reges Babilonis, Acon, et alios catholicos pro suis viribus juxta dispositionem pape regisque Francorum contra singulos infideles et scismaticos juvare pro totis suis viribus teneatur, et de singulis thesauris residuis rationem pro quolibet anno reddere, videlicet quatinus supererit ultra impensas ordinis regalis, ut fratres ordinis, ad instar Jude furis loculos habentes, non possint ordinem pregravare, nec in prejudicium reipublice christicolarum regumque predictorum bona sumere saluti reipublice dedicata.

De bonis vero que Templariorum fuisse dicuntur, videlicet de mobilibus exstantibus, et de fructibus ac leveiis futuri temporis usque ad quinque vel sex annos, expediret juvare dictum ordinem ut, centum galeas seu plures habens, cum pugnatoribus ydoneis mare custodiendo soldanum gravaret *(b)*, et terram mari proximam, que dicitur durare per triginta dietas, gravaret ac depauperaret in tantum quod soldanus et sui generali passagio veniente non possent resistere, ymo interim subsidio maris et bonorum que per ipsum consueverunt habere carentes, dan[189]te Domino, possent de facili superari et devinci, prout hoc fore possibile testantur prudentes et experti milites de partibus illis nati, qui Babilonem et Egiptum cum eorum habitatoribus profitentur se vidisse et ob hunc finem diligenter considerasse.

Ordinem vero Templariorum cum consilio concilii modis omnibus expedit demoliri, et exigente justitia totaliter adnullari, et, sicut predictum est, de bonis eorum usque ad generale passagium ordinare.

Sed licet videatur difficile, contentiones et scandala principum

a) religiosi reges, *Bal.* — *b)* gravare, *Bal.*

locorum vitando, post passagium de bonis hujusmodi perpetuam ordinationem facere, quoad presens videtur expedi[re] quod, prius considerato hujusmodi locorum valore, ipsa tradantur *(a)* in perpetuam emphiteosym ; pensiones eorum in certis locis reponantur, ut cum obveniet *(b)* necessitas regibus Jerusalem, Egipti et Acon, ac aliis catholicis regibus orientalibus Ecclesie romane cum devotione obedientibus, in quolibet regno, provincia seu loco eligantur ydonei pugnatores, qui de hiis bonis habeant arma bona, et eorum vecturas secundum status suos, ac vestes similes, videlicet quinque centum sub uno centurione, ut mittantur cum bucinis et ornamentis moderatis gaudentes in Terram Sanctam et alias regiones transmarinas cum impensis ad viam sufficientibus, ita quod decedentium bona, quamdiu in via vel in expeditione armorum fuerint, totaliter superstitibus applicentur, ut in utilitatem expeditionis convertantur. Sic reges orientales, si pacem habeant per plures annos, citra mare, et in Cipro, et in terra promissionis magnos thesauros habebunt, ita quod, adveniente necessitate, nullam penuriam patientur ; immo ex omnibus partibus in quibus Templarii bona habebant, fortium pugnatorum succursus cum magna multitudine et armorum copia veniet eisdem. Fiet etiam conventio quod ipsorum reges nunc de novo statuendi se invicem adjuvabunt de [190] certis numeris pugnatorum, suaque navigia sibi invicem communicabunt, et in hiis locis mari proximis, in quibus meliora ligna quasi pro nichilo habentur, galeas *(c)* et naves fieri procurabunt, per quas ferrum et alias res versus septentrionem *(d)* habundantes, ac versus meridiem raras et caras, illuc per hujusmodi navigia facient deportari cum armis, que illuc non possent commode et de facili reperiri, et cum aliis rebus ad bene vivendum et pugnandum conferentibus. Illa etiam vasa pugnatores portabunt, et tempore pacis, ne sint otiosi, species aromaticas et res alias nobis utiles reportabunt.

Si quis autem dicat nimis difficile fore Babilonem et Egiptum impugnare, prudentes et experti respondent quod non, quoniam homines in terra illa nati ad arma sunt inutiles, ita quod reputantur nullius valoris, et per mare, non alias, poterit exercitus de facili intrare : quoniam Egiptus, que durat in longo per viginti dietas, circa Nilum latitudinem habens quatuor leucarum, et in modica

a) tradentur, *ms.* — *b)* obvenerit, *Bal.* — *c)* galias, *ms.* — *d)* septemtrionem, *ms.*

parte majorem, undique circumdata est terris desertis inhabitabilibus, que non possent pertransiri, nisi versus terram promissionis cum magna difficultate et periculo, quia in sex dietis preter aquam non possent ibidem quecumque victualia reperiri ; et sic expediret terram intrare per mare cum exercitu sufficienti, applicato primo exercitu majori versus Acon, ut terra Babilonis et Egipti pugnatoribus vacuata cito capi possit ; que si capta esset, valeret domino plus quam regnum Francie valere consuevit, quoniam omnes incole terrarum sunt servi, et terra est multum fertilis.

Non timeat dominus rex hanc terram invadi facere propter metum non videndi postmodum filium suum predictum, quoniam ipse filius repatriare posset, ducem exercitus ibidem dimittendo ; quoniam valde facile esset illam terram servare, maxime terra promissionis subjugata et catholicis publicata.

Si autem concordaretur perpetue pacis [191] observatio, ut in dicta epistola cavetur, videtur quod expediret dominum regem, licet esset crucesignatus, in regno suo remanere, et illuc dominum Ludovicum, fratrem suum, cum magno exercitu loco sui mittere cum suo filio supradicto. Expediret etiam ob multas causas, ut videtur, quod dominus rex, quam primum fieri posset conjugatus, procreationi, nutritioni *(a)*, et doctrine liberorum vacaret, in suo regno propter regendum ipsum remanens ad instar regis terre Tharsis *(b)*, qui nunquam exivit de terra sua, sed exercitus regem constituit, dans ei terras quas ipse posset occupare. Sic dominus rex providere posset de pugnatoribus successive mittendis filio suo fratrique, prout ipsi ducerent requirendum. Plusque prodesse creditur et tutius esset quod sic mitteret dominus rex quam quod iret, propter pericula mortis, morborum, et defectum *(c)* regiminis sui regni, cui multum necessarius esset morando. Nam cum, secundum Philosophum, *Prudentia mundi hujus in nobis acquiratur (d) per experientiam agibilium, et experientia longo indiget tempore*, idcirco periculosum esset regnum Francie et aliud quodcumque regi per juvenem, juxta id *(e)* quod dicit idem Philosophus, quod *Nemo eligit juvenes duces, eo quod non constat ipsos esse prudentes*. Idcirco parentes qui filios juvenes diligunt niti debent ad

a) matrimonii, *Bal.* — *b)* *lege forsan* Tartarorum ; cf. éd. Langlois, p. 136, note 4. — *c)* discrimen, *Bal.* — *d)* acquiritur, *ms.* — *e)* illud, *Bal.*

vitam propriam prolongandam, ne filios juvenes ad regendum in tali statu, videlicet tam periculoso, dimittant. Expediret quod dominus rex, quam primum vacare posset, dictam epistolam videret, corrigi, emendari et perfici faceret ac mandaret per aliquem seu aliquos excellentis *(a)* seu eminentis scientie theologos, qui ad prelationes non aspirarent ; quoniam concupiscentia, prout testatur can[on] Augustini, pervertit et corrumpit judicium rationis. Per contenta in dicta epistola, si fiant, apparebit liquido premissa cito et de facili fieri posse et durare debere, necnon quod dominus rex sic poterit Terre Sancte providere de fa[192]cili cum modico sumptu et custu, necnon quod sic facta provisio, favente Domino, perpetuo perdurabit, et ad commode pacificeque vivendum, super omnia que facta et cogitata leguntur ab origine mundi, proficiet omnibus hominibus spiritualiter et temporaliter in futurum, taliter quod ipsius principis tante rei causatoris et promotoris memoria in orationibus fidelium perpetuo perdurabit.

Apparere liquido potest cuilibet futuros eventus rerum probabiles intuenti quod dicta ordinatio bonorum, que data fuerunt Templariis ob causam que non fuit subsecuta, et ob hoc est revocanda donatio, non ut ad prophanos usus revertatur, sed ut convertatur in finem debitum, quacumque dubitatione cessante, proderit prelatis et toti populo in recompensationem impensarum quas fecerunt negotium demolitionis ordinis et punitionis personarum prosequendo. Nam subsidium Terre Sancte, testante decimarum examinatione *(b)*, elemosinarum et crucesignationis solita petitione, munitionem habebit pro stipendiis seu gagiis pugnatorum qui necessarii erunt persolvendis, nec oportebit principes catholicos de locis remotis illuc ire, terrarum suarum regimina dimittendo, vitas suas abreviando, sicut hystorie multotiens contigisse testantur. Ex talibus itineribus, que parum profuerunt, quoniam non durarunt partiales conquestus, liquet presertim regno Francie plurima dispendia contigisse. Proderunt etiam aliquando thesauri pro Terra Sancta sic congregati principibus locorum ; quia si, subito veniente guerra, tanta egeant pecunia, poterunt eam paratam petere et habere, de reddendo cum petetur caventes, et per missiones pugnatorum exhonerabuntur regiones de juvenibus sine custu suorum proximorum, qui non haberent unde honeste viverent in locis suarum

a) excellentem *(sic)*, *ms.* — *b)* cessante decimarum exactione, *Bal.*

nationum. Per viam predictam totus populus Egiptiacus ad fidem catholicam de facili convertetur, ut de servitute in libertatem erigatur. Pharao per providentiam et promissionem Joseph, qui septem annis [193] fertilibus granum collegit, in sequentibus septem sterilibus annis, mediante grano reposito, patres et filios comparavit, et extunc in servitutem redegit. Propter quod populus de omnibus fructibus terre, que multum fertilis est, solum percipit pauperem victum et vestitum. Et idcirco dicunt qui illuc fuerunt quod soldanus, anno quolibet, percipit a populo plus quam sexcies centum milia bisantiorum auri, quolibet valente *(a)* sex florenos. Et sic, cum terra promissionis a catholicis possessa et sufficienter gubernata erit, cum hostes aliunde nullo modo possent Egiptum intrare nisi per mare prope Babilonem, videlicet propter fortissimas clausuras deserti, liquet quod, absente domino, terra posset per paucos et cum sumptibus modicis custodiri, et, prout in dicta epistola cavetur, pace firmata inter principes catholicos, promissisque sub bonis cautionibus ab eisdem sibi invicem subsidiis et succursibus oportunis, non esse[t] qui contra quemquam eorum guerram movere auderet, et si moveret, qui non confunderetur per tot et tantos circumdatus brevi manu. Sic rex Egipti, cum *(b)* auxilio ordinis regalis et aliorum principum ac multitudinis fortium pugnatorum ad eum confluentium propter lucra captanda, quoniam in terris nationum suarum occiosi, cessantibus ibi guerris, honeste sine penuria vivere non possent, posset cum Dei adjutorio omnes populos orientales et etiam occidentales ultra mare Mediterraneum habitantes sibi subjugare et ad fidem attrahere christianam, plurimum adjuvante provisione scolarium, tacta *(c)* in epistola supradicta. Quoniam, disponente et causante celestis harmonie benivolentia, generati, nati et nutriti in regno Francorum, presertim prope Parisius, in moribus, constantia, fortitudine et pulcritudine natos in aliis regionibus naturaliter plurimum precellunt, sicut naturaliter probavit experientia, que est summa rerum magistra, expediret quod predictus filius, naturaliter pre omnibus summe dispositus, tantum in [194] Francia remaneret, quod ibi antequam recederet plures filios dimitteret ibidem nutriendos et erudiendos, et antequam recederent similiter facturos ; ut omnes reges Egipti, Acon, et imperatores Constantinopolitani, si heredes imperatoris, ut expediret, sic facerent in Francia generati, nati, nutriti et eruditi,

a) valet *(sic)*, *ms.* — *b)* Egypticum, *(sic)*, *Bal.* — *c)* facta, *Bal.*

bonitatem domus domini regis Francie, pulcritudinem et fortitudinem incolarum loci perpetuo sortirentur, regnum ejus, summum principem, ac ejus liberos, totumque genus, barones et populum perpetuo diligerent, et toti regno de pretiosis rebus orientalibus facerent et curarent, prout esset possibile, provideri. Sic filius supradictus ad dominum patrem suum, cessante quolibet periculo, redire posset, cum ejus filius militans ad ipsum accederet. Sic populus orientalis dominum suum semper videret in flore juventutis et pulcritudinis naturalis, et ipsum videre super omnia desideraret, ipsumque timeret, cum juvenem fulgentem ut virum fortiter obstagiare videret.

Si aliquis dicit : « Forte rex Cipri premissa facere recusabit », responderi potest quod non est verisimile, quoniam ipse, uxorem et liberos non habens, in domibus suis, jam diu est, religiose et in contemplatione vivere consuevit, et frater suus ab intestato sibi successurus abstulit ab eo et rapuit thesauros per ipsum regem ob recuperationem Terre Sancte congregatos, et ipsum regnum injuste nisus est *(a)* et nititur invadere et aufferre, feloniam *(b)* committendo, ab ejus successione se indignum faciendo, in mortem ipsius regis pluries machinando, et ad ipsum occidendum mittendo *(c)*. Super quo expediret ipsum regem Cipri ex parte domini pape et secrete et cito interpellari per aliquem sapientem, cum procuratore quem habet idem rex in curia romana, videlicet Bomondo dicto Bonin, milite. Et ut omnia de consensu fierent, post ingressum religionis et factam donationem, ut briga totaliter tolleretur, expediret fratri dicti regis in [195] terra promissionis vel alibi dare bonum comitatum, ut taceret. Et si rex Cipri hoc recusaret, dominus rex Sicilie jure suo uti, vel ipsum in alium transferre posset. Et comes de Brainne prosequi posset jus quod habere dicitur in regno Cipri, si adhuc extat, ut fore creditur, hominum memoria de tempore quo idem comes regnum Cypri habuisset, si illuc accedere potuisset. Regi vero Sicilie ultra pretium pro regno Jerusalem solutum promitti posset [regnum] Tunicii, Sicilie tam proximum quod de una terrarum alia videtur, videlicet post conquestum regni Jerusalem cum ipsius regis Sicilie auxilio, per regem Jerusalem et alios catholicos, favente Domino, conquestandum.

Quoniam summe honorabile esset ac perpetuo expediens utilitati, statui et honori regni Francie, ac regis ejusdem se christianissimum

a) visus est, *Bal.* — *b)* foroniam, *ms.* — *c)* nittendo, *ms.*

fundamentum Ecclesie per sua facta probantis, post detectionem majoris apostasie et ypocrisis Templariorum, que fuit ab origine mondi comperta, rite et canonice detegi facere Bonifacii pape hereticam pravitatem, cum successor ejus honeste saltem non posset, nisi in concilio generali et cum ejus consilio et assensu, pronunciare et declarare ipsum Bonifacium hereticum fuisse, quod et videtur de jure alias fieri non posse ; idcirco ob hoc expediret concilium convocari et interim de testibus et probandis articulis providere ut sic omnibus paratis posset celeriter terminari, et ut talis iniquitas ab omnibus perpetuo timeretur et actor destructionis hereticorum ab omnibus laudaretur suasque quascumque petitiones facilius obtineret.

Fertur quod, cum quatuor religiosi dictum Bonifacium servarent in extremis laborantem, alter eorum dixit ei, aliis audientibus : *Pater sancte, commenda animam tuam in manus beate Marie Virginis.* Ipse dixit : *Tace, miser* ; *non credimus in asinam nec in pullum ejus.*

Fertur etiam quod ipse quinquaginta milia florenorum recepit ut taceret Templariorum errorem, quam sciebat, super quo, antequam Templarii moriantur, expediret eos in testes produci et examinari, ne pereat, cum eis qui noverunt hec et alia, probandi facultas *(a)*.

Et quia papa se proponit a domino rege elongare, placeat eidem domino regi premissa cito videre, ut, si expediens videat, cum ipso papa super eis tam secretum quam publicum habeat colloquium et tractatum, juxta verbum domini Jhesu, qui ait : *Ambulate, dum lucem habetis (b)*.

XXXIV

Quaternus[1] conventionum factarum inter dominum nostrum regem Jerusalem et Sicilie et commune Janue. — 6 novembre 1308 *(c)*.

I. — In nomine Domini. Amen. Anno nativitatis ejus millesimo trecentesimo septimo (v. st.), pontificatus domini Clementis

a) Quoniam summe... probandi facultas, *les trois paragraphes précédents ont été omis par Baluze et Langlois.* — *b)* Et quia papa... habetis, *paragraphe omis par Langlois.* — *c)* Anno 1307 *(sic)*, *Bal.*

1. D'après le ms. latin *4038 B* (ancien *9919*), fol. 131 r°-151 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

pape V anno tertio, mense novembris, die sexta ejusdem, sexte indictionis. Ad notitiam presentium et memoriam futurorum actor pacis Deus et amator, ut cernitur, amicos pacis et in caritate manentes amat et dirigit, ac se ita in eis quadam benefica delectatione conclinat quod ipse, sicut in eorum medio habitans, eos continue gubernat et confovet ac adversus inimicos pacis et hostiles insidias potenti sue dextere protectione defendit. Hujus nempe semitas caritatis et pacis qui querit et sequitur, omni bono non deficit, sed aliorum impugnationes et jacula in ipso pacis aucto-[196]re, quo regitur, facili siquidem exterminatione collidit. Hac itaque consideratione pensato quod licet inter inclitum principem dominum Karolum, secundum Dei gratia serenissimum regem Jerusalem et Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedemontis comitem, et commune civitatis Janue, amicitie, caritatis, pacis bonum hinc retro, prout patet, extiterint sintque modo, quia tamen in hoc alterutro bono ipsius amicitie, scilicet caritatis et pacis, quo frequentius memoria retentata revolvitur, quo etiam amicitia et pax ipsa firmius invicem validiusque ligatur, eo durabilius permanet, permanens invalet, proficit et accrescit.

II. — Ad honorem et laudem omnipotentis Dei patris, et filii, Spiritus Sancti, et beatissime virginis Marie, et totius curie celestis, et honorem et reverentiam sacrosancte romane Ecclesie, ac honorem et bonum statum prefati domini regis et heredum suorum, necnon magnificorum virorum domini Opizini Spinule de Luculo et domini Barnabo de Auria, capitaneorum communis et populi Janue, domini Nicolai Frambe abbatis dicti populi, et dictorum communis et populi, et ad reformandum et confirmandum firmiorem pacem et sinceram dilectionem, annuente Domino, perpetuo duraturas inter ipsum dominum regem, heredes et subditos ejus ex una parte, et dictos dominos capitaneos, abbatem, commune, et populum, et subditos dicti communis ex altera, et etiam ad uniendum ipsum dominum regem, heredes, et subditos ejus, et dictos dominos capitaneos, abbatem, commune, et populum, et subditos dicti communis vinculo indissolubilis dilectionis, societatis, et amicitie, ut inter ipsos idem velle et idem nolle perpetuo vigeat, magnifici viri dominus Bartholomeus Siginulfus de Neapoli, Thelesie comes, magnus regni Sicilie camerarius, et dominus Johannes Pipinus de Barolo, miles, magne regie curie magister rationalis, ac [197] religiosus vir frater Jacobus de Fusiniano, de

Urbe, ordinis Predicatorum, procuratores ejusdem domini regis, de qua procuratione apparet ex tenore litterarum regiarum pendenti noto et vero sigillo regio munitarum, procuratorio nomine pro ipso domino rege et heredibus suis ex una parte, et nobilis et egregius vir dominus Odoardus Spinula de Luculo, admiratus dicti communis, et dominus Levantinus de Levanto, jurisperitus, syndici dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, communis, et populi, de quorum syndicatu legitime similiter constitit ex tenore publici instrumenti inde scripti manu Henrici de Savignono, notarii et cancellarii communis Janue, presentis MCCCVIJ (v. st.), dicto die sexto predicti novembris, syndicario nomine pro ipsis dominis capitaneis, abbate, communi, et populo, subditis et districtualibus dicti communis ex altera, convenerunt inter se dictis nominibus, pacta inierunt et firmaverunt de infrascriptis et super infrascriptis ut infra per ordinem denotatur.

III. — Primo videlicet dicti procuratores dicti domini regis procuratorio nomine pro eo promiserunt dictis syndicis dicto syndicario nomine stipulantibus nomine et vice dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, communis, et populi quod ipse dominus rex et heredes ejus dictos dominos capitaneos, abbatem dicti populi qui nunc est et pro tempore fuerit, ipsum commune et populum, et omnes amicos, complices, et sequaces, ac omnes et singulos de parte ipsorum dominorum capitaneorum et abbatis ac communis et populi qui sunt de Janua seu districtu seu de terris feudalibus dicti communis, que sint in terra firma Ytalie, perpetuo habebunt et tenebunt, tractabunt et tractari facient cum effectu per ipsos subditos et vassallos ipsius domini regis pro veris amicis et tanquam veros amicos ipsius domini regis et heredum ejus et subditorum ejus, et inimicos et rebelles dictorum dominorum [198] capitaneorum, abbatis, et populi, et status eorum, seu dicti communis, qui sint de Janua seu districtu seu de terris feudalibus supradictis, habebunt et tenebunt et tractabunt et tractari facient perpetuo per omnes subditos et vassallos suos cum effectu in omnibus terris et per omnes terras ipsius domini regis seu heredum ejus ditioni subjectas, ac in omnibus terris feudalibus ipsius domini regis, et in omnibus terris quas dictus dominus rex acquiret seu recuperabit in posterum, pro inimicis et rebellibus, et tanquam inimicos et rebelles ipsius domini regis et heredum ejus, quousque ipsi inimici et rebelles non sint reconciliati per dictos dominos capitaneos, abbatem, commune, et populum, et etiam post reconci-

liationem quotiens eos inimicos ipsorum *(a)* dominorum capitaneorum, abbatis, seu populi fieri contingeret ; que reconciliatio semel vel pluries fieri non possit nisi prout declarabitur infra. Et quod dictus dominus rex et heredes ejus ipsos dominos capitaneos, abbatem, et populum et statum eorum et eorum fideles, complices, et sequaces, et de parte eorum, qui sint de Janua seu districtu seu terris feudalibus supradictis dicti communis, semper regent et adjuvabunt et manutenebunt efficaciter et pro posse ipsorum domini regis et heredum contra quascumque personas ad expensas dicti communis, prout declarabitur infra, in civitate videlicet Janue et districtu, scilicet a Corvo usque Monachum, ipsis locis comprehensis, et in omnibus aliis terris et locis districtus Janue et terris suis feudalibus, et est intelligendum de districtu et ipsis terris et locis tam demanii *(b)* quam feudalibus dicti communis que sunt de terra firma Ytalie, vel quas acquirent aut recuperabunt in terra firma Ytalie, et etiam ad recuperandum omnia et singula loca dicti communis de dicto districtu et feudis, que sint in dicta terra firma, que occupata sunt, essent, seu detinerentur, seu occuparentur, seu occupari contigerit per quoscum[199]que de Janua seu districtu qui nunc sunt seu in futurum erunt inimici seu rebelles dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, [communis], et populi, et status eorum seu dicti communis, et intelligantur esse inimici et rebelles dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, communi[s] et populi omnes illi et singuli qui sint de Janua seu districtu seu feudis dicti communis de quibus per ipsos dominos capitaneos et abbatem aut procuratorem vel syndicum eorum aut litteras seu ipsum commune vel syndicum dicti communis seu litteras prefato domino regi seu heredibus ejus dictum fuerit seu declaratum.

IV. — Et specialiter actum est quod dictus dominus rex adjuvabit, efficaciter et pro posse ipsius, dictos dominos capitaneos, abbatem, commune et populum, ad expensas scilicet ipsorum dominorum capitaneorum, abbatis, et populi seu ejusdem communis, prout similiter infra declaratur, ad recuperandum et reducendum ad manus et dominium dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, communis et populi, et recuperata manutenendum et defendendum, ad honorem et fidelitatem dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, communis et populi, omnia castra et loca dicti communis et feudorum communis ejusdem que nunc occupata

a) dictorum, *Bal.* — *b)* domanii, *Bal.*

sunt de versus ripariam occidentis, scilicet in dicta terra firma Ytalie, et que occupata detinentur per aliquos rebelles dictorum dominorum capitaneorum, abbatis et populi, seu dicti communis, et quotienscumque et quandocumque dicti domini capitanei et abbas seu commune dictum dominum regem requirent seu requiret, dictus dominus rex armari faciet de hominibus suis et mittet infra duos menses post requisitionem que ipsi domino regi fiet per litteras, syndicum vel procuratorem ipsorum dominorum capitaneorum, abbatis seu dicti communis, in Januam *(a)* et auxilium dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, communis et populi pro recuperatione quorumlibet dictorum lo[200]corum dicti communis que occupata sunt seu occuparentur et pro manutentione et defensione dicte civitatis et quorumlibet locorum dicti districtus et quorumlibet locorum feudorum dicti communis, scilicet locorum que sunt in dicta terra firma Ytalie, et pro manutentione et defensione contra quascumque personas honoris et status dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, et populi seu dicti communis, galeas videlicet a quinque usque in viginti quinque in numero, quem dicti domini capitanei et abbas requirerent per se vel eorum procuratorem seu syndicum aut litteras seu dictum commune requiret per syndicum aut litteras ipsius, bene et sufficienter armatas secundum modum et numerum gentis secundum quem ipse dominus rex armare seu armari facere consuevit pro guerra sua propria, ita quod pauciores quinque dicto casu requirere non possint dicti domini capitanei et abbas, nec dictum commune possit. Ac etiam mittet dominus rex, quotienscumque et quandocumque fuerit requisitus ut supra, per terram pedites a centum usque in quinque milia, scilicet balistarios et lancerios, et equites a quinquaginta usque in trecentos, in numero quem dicti domini capitanei et abbas requirerent, seu dictum commune requiret ut supra, bene et sufficienter armatos in auxilium et juvamen dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, et populi, et dicti communis, et status et honoris eorum, et recuperatione, manutentione et defensione locorum et feudorum dicti communis in dicta terra firma Ytalie positorum, de quibus dictum est, infra mensem unum post requisitionem predictam ; ita tamen quod si auxilium peditum dictum commune requisierit, non possit petere balistarios ultra dimidiam numeri peditum quem requisierit.

a) lege forsan juvamen.

V. — Salvo tamen et sane intellecto quod predicta que dicta sunt, quod dictus dominus rex teneatur inimicos et rebelles dicti communis habere et tractare et tractari facere pro inimicis et tan[201]quam inimicos dicti domini regis, non intelligantur locum habere in personis Grimaldorum nec aliorum de parte ipsorum Grimaldorum qui erant extrinseci de Janua et districtu, tempore compositionis facte inter tunc ambassiatores et procuratores dicti domini regis procuratorio nomine pro ipso domino rege ex una parte, et tunc syndicos et procuratores dicti communis syndicario et procuratorio nomine pro ipso communi ex altera ; de qua compositione apparet ex tenore publici instrumenti scripti manu quondam Bartholomei Pedebovis, notarii ac tunc cancellarii dicti communis, MCCCJ die IX maii, quo tempore dicti Grimaldi et alii tunc extrinseci de parte ipsorum dicto domino rege seu prefatis ejus ambassiatoribus mediantibus restituerunt dicto communi castrum Monachi. Sed de ipsis Grimaldis et de illis de parte eorum qui tunc erant extrinseci, ut dictum est, servetur et fiat ut infra per ordinem declaratur. Videlicet quod dictus dominus rex teneatur et debeat, infra spatium unius mensis ab hodie computandi, omnes Grimaldos et alios de parte eorum, de quibus supra dictum est, monere seu moneri facere quod ipsi Grimaldi, omnes et singuli, et illi de parte eorum qui erant extrinseci, eo tempore de quo dictum est, infra spatium dierum octo post ipsam monitionem totaliter discedere debeant cum effectu ab amicitia et societate, et ab omni colligatione, conspiratione, confederatione, et omnibus pactionibus, transactionibus et conventionibus quacumque verborum, juramenti seu alterius vinculi solempnitate vallata seu vallatis inita seu initis inter ipsos Grimaldos et extrinsecos seu aliquem seu aliquos ipsorum Grimaldorum seu extrinsecorum seu aliquam personam, pro eis seu aliquo seu aliquibus eorum ex una parte, et nobiles de Auria seu aliquos ex eis seu aliquam personam, pro eis seu aliquo seu aliquibus eorum, seu aliquos de Spinulis seu aliquam personam, pro eis seu ali[202]quo seu aliquibus eorum ex altera, et ab omnibus juramentis hinc inde prestitis, sine eo quod aliquam conspirationem, reconciliationem, amicitiam, societatem seu colligationem, quocumque nomine censeatur, ipsi Grimaldi et extrinseci, seu aliqui seu aliquis ipsorum Grimaldorum seu extrinsecorum, seu aliqua persona pro eis seu aliquo seu aliquibus eorum, faciant seu fieri faciant, faciat seu fieri faciat cum aliquibus de Auria seu de Spinulis qui non sunt de sequacibus et fautoribus dictorum dominorum capitaneorum,

abbatis, communis et populi, seu aliquo eorum, seu aliqua persona pro ipsis de Auria seu Spinulis, seu aliquo seu aliquibus eorum, et quod ex tunc, scilicet post monitionem que fieri debet ut supra, ipsi Grimaldi, seu aliquis seu aliqui eorum, seu aliquis seu aliqui de parte ipsorum qui erant extrinseci eo tempore de quo dictum est, illis de Auria seu alicui eorum, seu illis de Spinulis, seu alicui eorum, qui non sint de sequacibus et fautoribus dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, communis, et populi, seu alicui de sequacibus et fautoribus illorum de Auria seu de Spinulis qui non sint de sequacibus dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, communis et populi, ex tunc non adhereant, nec aliquis eorum adhereat, nec dent seu dari faciant seu dari procurent, nec aliquis eorum det, dari faciat seu procuret publice aut occulte auxilium, consilium vel favorem, et etiam quod ipsi Grimaldi et singuli de parte ipsorum, de quibus dictum est, et eorum complices et sequaces recedere debeant infra dictum terminum octo dierum, sine eo quod postea revertantur, sive aliquis eorum revertatur, de castris, terris et locis dicti communis et de districtu dicti communis, habeant tamen ipsi Grimaldi et illi de parte eorum de quibus dictum est et eorum sequaces a dictis dominis capitaneis, abbate, communi, et populo, vel eorum officialibus et subditis liberum transitum et securitatem per totam terram dicti com[203]munis in personis et rebus, videlicet a locis in quibus sunt usque ad terram dicti domini regis tantum, et quousque illuc iverint seu ire potuerint, et postea per octo dies, et quod dictos dominos capitaneos et abbatem seu aliquem eorum, aut commune, seu populum, seu statum seu honorem ipsorum dominorum capitaneorum et abbatis seu alicujus eorum, seu terram, pheuda, honorem, seu aliquos subditos dicti communis post dictam monitionem ipsi Grimaldi et extrinseci non offendant nec offendi faciant nec procurent, nec aliquis eorum offendat nec offendi faciat seu procuret publice nec privatim.

VI. — Et siquidem ipsi Grimaldi et illi de parte eorum et eorum complices et sequaces discesserint ut dictum est, et predicta omnia et singula que in forma dicte monitionis faciende contineri debent ut supra fecerint et observaverint cum effectu, liceat dicto domino regi et ejus heredibus ipsos Grimaldos et illos de parte eorum qui extrinseci erant eo tempore, de quo dictum est, receptare et receptari facere in terris dicti domini regis et heredum suorum quousque ipsi Grimaldi et illi de parte eorum, de quibus dictum est, predicta

que in dicta monitione facienda contineri debent ut supra servaverint cum effectu et quilibet eorum servaverit.

VII. — Et dictus dominus rex denuntiari faciat ipsis Grimaldis et illis de parte eorum, de quibus dictum est, cum redierint ad partes Provincie vel ad alia loca dicti domini regis, infra dies quindecim post eorum reditum, quod conjunctio perpetua est firmata inter ipsum dominum regem ex una parte et dictum commune ex altera, et quod amici et inimici alterutrius sunt utrinque, et quod si velint in terris dicti domini regis morari, omnes et singuli de progenie Grimaldorum alter pro altero et omnes pro omnibus fidejubeant et se obligent quod ipsi seu aliquis eorum dictos dominos capitaneos, abbatem, seu aliquem eorum, seu commune et populum, seu sub[204]ditos dicti communis, statum seu honorem dictorum dominorum capitaneorum, abbatis seu communis non offendent nec offendi facient nec offendi procurabunt, nec aliquis eorum faciet nec procurabit aliquo tempore. Et dictas satisdationes idem dominus rex ab ipsis Grimaldis, scilicet ab omnibus qui redierint, infra mensem, postquam redierint ad aliqua loca dominii dicti domini regis exigere teneatur seu exigi facere.

VIII. — Et si ipsi Grimaldi in aliquo secus facerent seu aliquis eorum faceret, predicta omnia et singula que in dicta monitione seu forma dicte monitionis faciende contineri debent ut supra non servando seu aliquod eorum, seu offendendo seu offendi faciendo aut procurando dictos dominos capitaneos, abbatem, seu aliquem eorum, seu dictum commune et populum, seu statum seu honorem dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, seu communis, seu terras, pheuda, aut subditos dicti communis, de quibus an ipsi Grimaldi secus fecerint seu aliquis eorum fecerit offendendo seu offendi faciendo seu procurando, seu non servando predicta seu aliquod predictorum, et maxime ea que in dicta monitione contineri debent ut supra, constare debebit ut infra ponitur, dictus dominus rex teneatur ipsos Grimaldos, tam qui predicta servarent, quam qui non servarent, de omnibus et singulis terris regiis, comitatibus et pheudis suis expellere seu expelli facere, et ex tunc omnes et singulos ipsos Grimaldos etiam pro facto unius non servantis predicta omnia et singula seu facientis contra predicta seu aliquod predictorum habere et tenere, credere et reputare, tractare et tractari facere perpetuo in omnibus terris dominii dicti domini regis pro inimicis et rebellibus ipsius domini regis et heredum suorum,

nullo umquam tempore recipiendi seu morari permittendi ipsi seu aliqui[bu]s eorum in terris ipsis dominii dicti domini regis quousque non essent reconciliati per dictos dominos capitaneos, abbatem seu com[205]mune ; exceptis domino Raynerio de Grimaldis et filiis suis, qui sunt vassalli dicti domini regis in regno Sicilie, qui quamdiu servaverint supradicta et abstinuerint ab omni offensione dictorum dominorum capitaneorum et abbatis et cujuslibet eorum ac communis et populi et subditorum ipsorum et dicti communis, esse possint in terris dicti domini regis, nec tenea[n]tur pro facto aliorum Grimaldorum.

IX. — Si vero offenderent ipse dominus Raynerius et filii sui seu aliquis eorum offenderet dictos dominos capitaneos, abbatem, seu aliquem eorum, seu commune et populum, honorem seu statum ipsorum seu alicujus ipsorum dominorum capitaneorum et abbatis, honorem seu terram aut pheuda dicti communis, seu facerent seu aliquis eorum faceret contra predicta seu aliquod predictorum, de quo constare debebit secundum modum qui infra ponitur, et ex tunc dictus dominus rex teneatur ipsos dominum Raynerium et filios ejus [expellere et expelli facere] de omnibus terris ipsius domini regis et etiam de omnibus et singulis terris dominii sui et feudorum dicti domini regis, et eos habere et reputare, tractare et tractari facere perpetuo in terris et feudis dominii dicti domini regis pro inimicis et rebellibus ipsius domini regis [ita quod] factum tamen dicti domini Raynerii et filiorum seu alicujus eorum non noceat aliis Grimaldis.

X. — Alios vero extrinsecos supradictos de parte ipsorum Grimaldorum discedentes a dictis amicitia et colligatione et aliis de quibus dictum est, si redeuntes in Provinciam seu ad alia loca ipsius domini regis seu pheudorum suorum et ibi seu alibi morantes offenderent dictos dominos capitaneos, abbatem, seu aliquem eorum, commune, et populum, seu honorem seu statum eorum seu alicujus eorumdem dominorum capitaneorum et abbatis, terram, pheuda, aut honorem, aut subditos dicti communis, seu non servarent omnia et singula supradicta, et maxime ea que in forma dicte monitio[206]nis contineri debent, de quo, scilicet an offenderint seu servaverint seu aliquis eorum offenderit seu servaverit annon ea de quibus dictum est, constare debeat ut infra subicietur, dominus rex teneatur expellere et expelli facere de omnibus terris et pheudis sui dominii, et ex tunc eos reputare et tractare ac tractari facere in omnibus terris sui dominii ac etiam in omnibus terris

pheudorum suorum pro inimicis et rebellibus ipsius domini regis, scilicet illos extrinsecos tantum qui offenderent ipsos dominos capitaneos, abbatem, seu aliquem eorum, seu populum, seu dictum commune, seu statum eorum seu alicujus eorumdem dominorum, capitaneorum et abbatis, terram, pheuda, seu subditos dicti communis, seu omnia et singula predicta non servarent, ea maxime que in dicta monitione facienda contineri debent, ita quod factum unius ex dictis extrinsecis delinquentis seu non servantis non noceat aliis non delinquentibus et servantibus.

XI. — Si vero dicti Grimaldi omnes et singuli ab amicitia et societate, et ab omni colligatione, conspiratione, et ab omnibus et singulis pactionibus, conventionibus, et concordia qualitercumque initis, ut dictum est, cum illis seu aliquo illorum seu aliqua persona pro illis seu aliquo illorum de quibus dictum est totaliter discedere noluerint et non discesserint cum effectu infra dictum tempus dierum octo, seu si post discessum ipsis de Auria seu de Spinulis, qui non sint de sequacibus et fautoribus dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, communis, et populi, seu alicujus eorum, seu aliquibus rebellibus sive inimicis dictorum dominorum capitaneorum *(a)* et abbatis seu alicujus eorum seu dicti communis ipsi Grimaldi adheserint, seu aliquis eorum adheserit, seu eis aut alicui eorum dederint seu aliquis eorum dederit auxilium, consilium vel favorem, seu dari fecerint *(b)* aut aliquis eorum fecerit, aut si ipsi Grimaldi offenderint seu aliquis eorum offenderit seu offendi fecerit seu [207] procuraverit seu aliquis eorum fecerit seu procuraverit dictos dominos capitaneos et abbatem seu aliquem eorum, statum seu honorem eorum seu alicujus eorum, aut dictum commune, aut terram, pheuda, seu subditos dicti communis, de quibus, scilicet an ipsi Grimaldi discesserint a dictis amicitia, societate et colligatione, et an adheserint seu aliquis eorum adheserit illis de Auria seu alicui eorum seu aliquibus inimicis seu rebellibus dictorum dominorum capitaneorum et abbatis seu alicujus eorum seu dicti communis, et an dederint seu aliquis eorum dederit ipsis de Auria seu alicui eorum seu aliquibus inimicis vel rebellibus dictorum dominorum capitaneorum, abbatis seu communis, et an offenderint seu offendi fecerint vel procuraverint, aut aliquis eorum offenderit, offendi fecerit seu procuraverit dictos dominos capitaneos, abbatem, seu aliquem eorum, populum, seu commune, statum seu honorem

a) capitanei, *Bal.* — *b)* ceperint, *ms.*

ipsorum seu alicujus eorumdem dominorum capitaneorum et abbatis, seu terram, pheuda, seu honorem dicti communis, constare debeat ut infra dicetur, ex tunc dictus dominus rex teneatur dictos omnes et singulos de Grimaldis habere, reputare, et tractare et tractari facere perpetuo in omnibus et singulis terris dominii et pheudorum dicti domini regis pro inimicis et rebellibus et tamquam inimicos et rebelles ipsius, ipsosque omnes et singulos Grimaldos expellere et expelli facere de omnibus terris et pheudis dicti domini regis. Hoc acto quod eo casu quo illi de Grimaldis omnes et singuli non recederent ab amicitia, societate et colligatione illorum de Auria et aliorum de quibus dictum est, prout superius declaratum est, dominus rex non teneatur contra ipsos Grimaldos qui in Provincia et terris suis nunc sunt subito et repente procedere, sed eos licentiare debeat sine offensione aliqua eis inferenda de omnibus terris dicti domini regis et statuere eis terminum duorum mensium, [208] infra quem de omnibus terris ipsis et terris pheudalibus dicti domini regis ex toto recedant, nullo umquam tempore in eis seu aliqua earum recipiendi vel morari permittendi quamdiu non essent per dictos dominos capitaneos, abbatem et commune reconciliati, et elapsis dictis duobus mensibus, idem dominus rex eos habere et tractare et tractari facere teneatur perpetuo pro inimicis et rebellibus dicti domini regis et expellere et expelli facere de terris et pheudis dicti domini regis ; exceptis dictis dominis Raynerio et filiis ; in quibus, si moniti, ut dictum est, discedere voluerint a dictis amicitia et colligatione, ut dictum est, posito quod alii de Grimaldis non discedant, quamdiu ipsi dominus Raynerius et filii abstinuerint ab offensione dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, et cujuslibet eorum, communis, et populi, et subditorum dicti communis, et predicta servaverint que de eis dicta sunt, esse possint in terris dicti domini regis, et in ipsis domino Raynerio et filiis servetur quod premissum est.

XII. — Et si dicti extrinseci de parte dictorum Grimaldorum, de quibus dictum est, non discesserint a dictis amicitia et colligatione et aliis, prout superius declaratum est, seu si ipsi extrinseci offenderint seu aliquis eorum offenderit seu offendi fecerint vel procuraverint seu aliquis eorum fecerit vel procuraverit dictos dominos capitaneos, abbatem, vel aliquem eorum, seu populum, seu commune, seu statum seu honorem alicujus eorumdem dominorum capitaneorum et abbatis, aut subditos, terram, seu pheuda dicti communis, seu si ipsi extrinseci adheserint seu aliquis eorum

adheserit illis de Auria seu de Spinulis seu alicui seu aliquibus eorum qui non sint de sequacibus et fautoribus dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, communis, et populi, seu aliquibus aliis inimicis seu rebellibus dictorum dominorum capitaneorum, abbatis et communis, populi seu communis, dictus dominus rex eodem [209] modo teneatur ipsos extrinsecos tractare et tractari facere et contra eos procedere et procedi facere in omnibus et per omnia ut tenetur contra Grimaldos secundum formam capituli proximo precedentis, quod incipit *Si vero dicti Grimaldi omnes et singuli* [cf. p. 171] et omnia et singula que in ipso capitulo de Grimaldis dicta sunt, in presenti capitulo de dictis extrinsecis hic intelligantur repetita ; salvo quod pro facto unius extrinseci alii non teneantur.

XIII. — Sane intellecto in qualibet parte presentium conventionum quod, quocumque modo et quocumque loco, post lapsum dictorum octo dierum, dicti Grimaldi et extrinseci seu aliqui eorum adhereant seu aliquis eorum adhereat, seu dent aut dari faciant aut dari procurent, aut aliquis eorum det seu dari faciat aut dari procuret auxilium, consilium vel favorem ipsis de Auria et Spinulis qui non sunt de amicis et sequacibus dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, et populi, et status eorum, vel offendant aut offendi faciant aut offendi procurent, aut aliquis eorum offendat aut offendi procuret publice vel privatim dictos dominos capitaneos, abbatem, seu aliquem ipsorum, commune, seu populum, statum aut honorem ipsorum seu alicujus ipsorum dominorum capitaneorum et abbatis, terram, pheuda seu subditos dicti communis, de quibus seu aliquo eorum constare debeat ut infra ponitur, dictus dominus rex ex tunc teneatur contra ipsos Grimaldos omnes et singulos, etiam pro facto unius, et dictos extrinsecos prout de eis superius *(a)* declaratum est procedere et procedi facere et eos tractare et tractari facere et expellere et expelli facere, prout supra in precedentibus capitulis continetur ; exceptis tamen dictis domino Raynerio et filiis, contra quos non teneatur procedere dictus dominus rex nisi prout superius *(b)* continetur.

XIV. — Modus autem secundum quem constare debet contra dictos Grimaldos et extrinsecos quod a dictis amicitia, colligatione, [210] et aliis de quibus dictum est non discesserint, an discesserit an non, et secundum quem constare debet si ipsi Grimaldi et extrinseci seu aliqui seu aliquis eorum non servarent seu non servaret aliquo

a) supra, *Bal.* — *b)* supra, *Bal.*

tempore omnia et singula seu aliquod eorum que in dicta monitione facienda ut supra contineri debent, aut si in observatione predictarum presentium conventionum in aliquo deficerent aliquo tempore, aut aliquis eorum deficeret, aut dictos dominos capitaneos, abbatem, seu aliquem eorum, commune, seu populum, seu statum aut honorem ipsorum dominorum capitaneorum et abbatis seu alicujus eorum, dicti communis, seu populi, terram, vel honorem, vel subditos, aut pheuda dicti communis offenderent seu offendi procurarent aut facerent, seu aliquis eorum offenderet seu offendi procuraret aut faceret, de hujusmodi non desistentia, si non fie[re]t ut supra, seu offensionibus vel observationis conventionum defectu, que vel qui fierent seu fieret per ipsos Grimaldos et extrinsecos vel aliquem eorum contra dictos dominos capitaneos, abbatem, seu aliquem eorum, dictum commune, seu populum, seu subditos dicti communis, seu statum seu honorem ipsorum dominorum capitaneorum, abbatis, seu alicujus eorum, seu dicti communis, seu populi, terram seu pheuda dicti communis, talis est.

XV. — Videlicet quod dominus potestas Janue, qui nunc est et pro tempore fuerit, inde cum judicibus suis, prout sibi videbitur, cognoscat, et cum scripserit seu declaraverit ipse potestas per litteras suas dicto domino regi constare sibi et judicibus suis cognitionaliter dictos Grimaldos seu aliquem eorum, seu dictos extrinsecos seu aliquem eorum, predicta que in dicta monitione facienda contineri debent seu aliquod eorum non observasse aut defecisse in aliquo in observatione presentium conventionum aut offendisse aut offendi procurasse aut fecisse dictos dominos capitaneos, abbatem, seu aliquem eorum, commune, seu po[211]pulum, seu subditos dicti communis, statum seu honorem dictorum dominorum capitaneorum et abbatis seu alicujus eorum, terram, pheuda seu honorem dicti communis et populi, teneatur dictus dominus rex contra ipsos Grimaldos, etiam pro facto unius, et contra dictos extrinsecos, prout de eis dictum est, procedere et eos tractare et tractari facere perpetuo, per subditos ipsius et heredum suorum, pro inimicis et rebellibus ipsius domini regis, heredum et subditorum ipsius, et expellere et expelli facere de terris dominii ipsius domini regis et pheudis ipsius, prout superius in precedentibus capitulis latius est expressum, nullo umquam tempore recipiendi seu morari permittendi nec aliquis eorum permittendus in ipsis terris dominii dicti domini regis seu aliqua earum seu aliquo pheudorum suorum, nisi primo essent reconciliati

per dictos dominos capitaneos, abbatem, commune et populum. Et posito quod aliquo tempore ipsos Grimaldos et extrinsecos seu aliquem vel aliquos eorum per dictos dominos capitaneos, abbatem et populum reconciliari contingeret, si post reconciliationem hujusmodi ipsi domino regi per litteras dicti domini potestatis seu dicti communis fuerit declaratum constare ipsi domino potestati et judicibus suis cognitionaliter ipsos Grimaldos seu extrinsecos seu aliquos seu aliquem eorum non observasse predicta omnia et singula que in dicta monitione facienda contineri debent, seu aliquid seu aliquod eorum offendisse aut *(a)* offendi fecisse aut procurasse [contra] dictos dominos capitaneos, abbatem, seu aliquem eorum populum, seu commune, seu statum seu honorem eorum seu alicujus dictorum dominorum capitaneorum et abbatis, terram aut pheuda, aut subditos ipsius communis, aut honorem ipsius, teneatur iterum dictus dominus rex contra dictos Grimaldos, etiam pro facto unius, et contra dictos extrinsecos, prout de eis superius continetur, et quotiens ipsos seu aliquem seu aliquos ipso[212]rum Grimaldorum seu extrinsecorum reconciliari contingeret, et post reconciliationem, ipsi domino regi per litteras dicti domini potestatis declaretur ut supra, totiens contra ipsos Grimaldos et extrinsecos idem dominus rex et heredes procedere teneantur et eos tractare et tractari facere in omnibus et per omnia, prout de eis superius continetur. Et ita actum fuit in qualibet parte presentium conventionum.

XVI. — Item actum est quod dictus dominus rex teneatur facere et curare quod Grimaldi seu aliqui eorum non armabunt nec armari facient, nec aliqua persona armabit seu armari faciet pro ipsis Grimaldis seu aliquo ipsorum, aliquam galeam seu lignum de teriis seu bandis in terris seu portubus dicti domini regis, et quod non extrahent nec extrahi facient, nec aliqua persona extrahet vel extrahi faciet pro ipsis Grimaldis seu aliquo eorum, aliquam galeam seu lignum de teriis sive de bandis de terris vel portubus dominii dicti domini regis.

XVII. — Item actum est inter dictas partes dictis nominibus quod predicti domini capitanei, abbas, commune et populus inimicos seu rebelles eorum de Janua et districtu, qui nunc sunt inimici seu *(b)* rebelles, et qui erunt in posterum, non debeant reconciliare, restituere, seu ad gratiam eorum aut civitatem,

a) aut offendisse, *ms.* — *b)* et, *Bal.*

districtum, terras et pheuda eorum reducere, nisi prius ipsi omnes et singuli qui reconciliarentur, presente illo quem dictus dominus rex seu heredes sui pro parte sua constituerint, quem dictus dominus rex seu heredes mittere Januam et constituere teneantur infra mensem, postquam per litteras dictorum dominorum capitaneorum et abbatis seu communis foret requisitus, dictus dominus rex vel ejus heredes jurent ad sancta Dei evangelia et se obligent predictis dominis capitaneis, abbati, communi, et populo, seu ipsi communi vel ejus syndico, quod contra presentes conventiones seu aliquid contentorum in ipsis non facient vel venient nec [213] fieri vel veniri procurabunt aut facient publice vel occulte, et quod aliquibus inimicis aut rebellibus dicti domini regis seu heredum suorum non adhereant nec aliquis eorum *(a)* adhereat, nec eis aut alicui eorum dent seu dari faciant aut procurent seu aliquis eorum consilium, auxilium vel favorem quocumque modo et quocumque loco et tempore, et quod bona fide operam dabunt pro posse eorum, tamquam singulares persone de universitate dicti communis, et etiam tamquam officiales dicti communis, si aliquo tempore ad aliquod officium dicti communis vel populi promoverentur in dicta civitate seu districtu, quod per dictos dominos capitaneos, abbatem, populum, et commune, et quoscumque alios rectores et gubernatores dicti communis et populi qui pro tempore essent, ac ipsum commune et populum, et per se ipsos presentes conventiones et omnia et singula contenta in eis perpetuo et inviolabiliter observentur. Et si jurare nollent, aut post juramentum contrafacerent, aut dictum dominum regem, heredes, seu subditos suos, aut eorum terram vel pheuda seu statum et honorem ipsorum offenderent seu offendi procurarent aut facerent quocumque modo et quocumque loco et tempore, seu aliquibus inimicis aut rebellibus dicti domini regis seu heredum suorum seu alicui eorum adhererent aut aliquis eorum adhereret, seu eis aut alicui eorum darent et dari facerent aut procurarent auxilium, consilium vel favorem, de quibus seu quolibet eorum constare debet, ut infra subicitur, dicti domini capitanei, abbas et populus teneantur seu ipsum commune teneatur eos de Janua et districtu et omnibus terris et pheudis sui dominii expellere seu expelli facere, et ipsos reputare, habere, et tractare et tractari facere in omnibus terris Janue et districtus et dominii ac pheudorum suorum pro inimicis et rebellibus ipsorum dominorum capitaneorum,

a) eis, *Bal.*

abbatis, communis, et populi, nullo umquam tempore reconciliandi iterum per [214] eosdem dominos capitaneos, abbatem, et populum, et commune, donec de offensionibus, quas fecissent seu fieri fecissent aut procurassent predicti qui nunc sunt aut in posterum erunt inimici seu rebelles dicti communis, quocumque modo, loco et tempore dicto domino regi seu heredibus aut subditis suis emendam fecerint condecentem, ac eisdem dominis capitaneis, abbati, populo et communi juraverint presente statuto dicti domini regis seu heredum suorum, et sufficienter satisdederint quod dictas conventiones predicto modo contento in hoc presenti capitulo, quod incipit *Item actum est inter dictas partes* etc. [cf. p. 175], observent, et dictum dominum regem, heredes, seu subditos suos, seu terram, pheuda, honorem aut statum eorum iterum non offendant nec faciant aut procurent offendi, neque adhereant quibuscumque inimicis aut rebellibus dicti domini regis seu heredum suorum seu alicui eorum, nec eis aut alicui eorum dent aut dari procurent aut faciant quocumque modo, loco et tempore auxilium, consilium vel favorem.

XVIII. — Modus autem secundum quem constare debet contra dictos inimicos et rebelles ipsorum dominorum capitaneorum, abbatis, communis et populi qui nunc sunt et qui erunt in posterum, qui sint de Janua et districtu, et quos, ut supra dictum est, per dictos dominos capitaneos, abbatem, commune et populum reconciliari contingeret, qui in observatione dictarum presentium conventionum in aliquo deficerent quocumque modo, loco et tempore, seu aliquis eorum deficeret, seu an deficerent, seu aliquis deficeret, aut dictum dominum regem, heredes, seu aliquem eorum, seu subditos suos, aut terram, pheuda, seu statum et honorem ipsorum offenderent seu offendi procurarent aut facerent, seu aliquis eorum faceret quocumque modo, loco et tempore, aut inimicis seu rebellibus dicti domini regis vel heredum ejus vel alicui eorum adhererent, seu aliquis eorum ad[215]hereret, seu darent aut aliquis eorum daret auxilium, consilium vel favorem similiter quocumque modo, loco et tempore, de hujusmodi offensionibus, adhesione, donatione dicti consilii, auxilii vel favoris, de defectu etiam observationis conventionum presentium, que vel qui fierent seu fieret per eos qui nunc sunt et in posterum erunt rebelles et inimici dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, communis et populi, seu aliquem aut aliquos eorum contra dictum dominum regem, heredes, seu aliquem eorum, seu subditos suos, aut terram,

pheuda, seu statum et honorem ipsorum, talis est. Videlicet quod dictus domin u rex seu heredes sui, prout sibi videbitur, cognosci faciet seu *(a)* facient inde per curiam suam cum judicibus suis ; et cum scripserint seu declaraverint ipse dominus rex vel heredes sui per litteras suas dominis potestati, capitaneis, abbati, communi et populo Janue constare curie et judicibus ipsius domini regis cognitionaliter ipsos Januenses seu districtuales Janue seu aliquos, seu etiam aliquem eorum qui nunc sunt seu pro tempore fuerint rebelles seu inimici dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, communis et populi dictas conventiones seu aliqua in eis contenta non observasse aut defecisse in aliquo in observatione conventionum ipsarum, aut offendisse seu offendi procurasse aut fecisse dictum dominum regem seu heredes suos seu aliquem eorum, aut terras, pheuda, et subditos eorum, seu statum et honorem eorum, seu adhesisse aut consilium, auxilium vel favorem dedisse aut dari fecisse seu procurasse inimicis seu rebellibus dicti domini regis vel heredum suorum aut alicui eorum, teneantur dicti domini potestas, capitanei, abbas, et quilibet eorum, ac commune et populus, seu ipsum commune, necnon alii rectores et gubernatores ipsius communis et populi, et quilibet ipsorum rectorum seu gubernatorum, ipsos non observantes aut offendentes seu offendi procurantes aut facientes vel dictis ini[216]micis aut rebellibus regiis adherentes seu faventes et quemlibet eorum qui sint ad presens seu in posterum erunt rebelles seu inimici dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, communis et populi expellere et expelli facere de Janua et districtu et ceteris terris et pheudis communis ipsius, ipsosque et quemlibet eorum reputare, tractare et tractari facere perpetuo per subditos dicti communis in omnibus terris dominii dicti communis pro inimicis et rebellibus dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, populi et communis, nullo umquam tempore reconciliandi nec in civitate Janue et districtu seu pheudis suis recipiendi et reconciliari seu recipi aut morari permittendi per eosdem dominos potestatem, capitaneos, abbatem, seu alios gubernatores aut rectores dicti communis et populi seu ipsum populum et commune, donec de offensionibus quas fecissent seu fieri fecissent aut procurassent predicti qui nunc sunt aut in posterum erunt inimici seu rebelles dicti communis quocumque modo, loco et tempore dicto domino regi seu heredibus aut subditis

a) faciet seu, *omis par Bal.*

suis, de quibus dicto modo constaret, emendam fecerint condecentem, ac eisdem dominis potestati, capitaneis et abbati, seu aliis rectoribus aut gubernatoribus ac populo et communi juraverint presente statuto predicti domini regis seu heredum suorum et sufficienter satisdederint quod dictas conventiones predicto modo observent, et dictum dominum regem, heredes, seu subditos suos, seu terram, pheuda, honorem aut statum eorum aliquatenus non offendant nec faciant aut procurent offendi nec aliquis eorum, neque adhereant ipsi aut aliquis eorum quibuscumque inimicis aut rebellibus dicti domini regis aut heredum suorum aut alicui eorum, aut eis seu alicui eorum dent aut dari faciant seu procurent seu aliquis eorum auxilium, consilium, vel favorem quocumque modo seu quocumque loco et tempore, ut dictum est.

XIX. — Et posito quod predictos qui nunc [217] sunt vel in posterum erunt inimici seu rebelles dictorum dominorum potestatis, capitaneorum, abbatis, populi seu communis per ipsos aliquo tempore semel vel pluries reconciliari contingeret, quotiens prefatis dominis potestati, capitaneis, abbati, populo seu communi per litteras dicti domini regis seu heredum ejus fuerit declaratum constare cognitionaliter curie ipsius domini regis et judicibus suis dictos qui nunc sunt et in posterum erunt inimici seu rebelles dictorum dominorum potestatis, capitaneorum, abbatis seu communis, ipsos seu aliquem eorum aliquo modo, loco vel tempore non observasse predicta omnia et singula que in ipsa presenti conventione continentur, aut offendisse, offendi fecisse aut procurasse dictos dominum regem seu heredes ejus, terram aut pheuda, seu subditos, aut honorem eorum, vel adhesisse aliquibus inimicis seu rebellibus dicti domini regis aut heredum suorum aut alicui eorum dedisse auxilium, consilium, vel favorem, teneantur dicti domini potestas, capitanei, abbas, et alii rectores seu gubernatores, populus, et commune ipsos omnes et singulos, ita quod pro facto unius alius seu alii servantes et contra facientes non teneantur expellere seu expelli facere de Janua et districtu ac omnibus terris et pheudis communis ejusdem, ipsosque et quemlibet eorum tractare et tractari facere perpetuo pro inimicis et rebellibus et tamquam inimicos et rebelles dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, communis et populi, ac alia observare et observari facere contra eos in omnibus et per omnia, prout de hiis superius continetur. Et quotiens ipsos seu aliquem seu aliquos eorum qui nunc sunt aut in posterum erunt inimici et rebelles ut supra reconciliari contingeret et post reconci-

liationem eorum dictis dominis potestati, capitaneis, abbati, populo seu communi per litteras dicti domini regis et heredum ejus declararetur ut supra, totiens contra ipsos inimicos [218] et rebelles dicti domini potestas, capitanei, abbas, et populus seu commune procedere teneantur et eos et quemlibet eorum tractare et tractari facere perpetuo ac alia observare et observari facere contra eos in omnibus et per omnia, prout de ipsis superius continetur. Et ita actum fuit in qualibet parte presentium conventionum.

XX. — Item actum est quod dicti domini capitanei, abbas, commune, et populus seu ipsum commune teneantur facere et curare quod predicti qui nunc sunt aut in posterum erunt inimici seu rebelles dicti communis non armabunt nec armari facient, nec aliqua persona armabit seu armari faciet pro eisdem seu aliquo eorum aliquam galeam seu lignum de teriis seu bandis in dicta civitate Janue seu terris districtus et pheudorum suorum, et quod non extrahent nec extrahi facient nec aliqua persona extrahet vel extrahi faciet pro ipsis seu aliquo ipsorum aliquam galeam seu lignum de teriis sive bandis de civitate Janue, seu terris et portubus districtus et pheudorum suorum, nisi prius sufficientem satisdationem dent predictis dominis capitaneis, abbati, populo, et communi, seu ipsi communi quod cum galeis seu lignis eisdem dictum dominum regem, heredes aut subditos suos, terram, pheuda, statum et honorem ipsorum non offendant nec per eas offendi faciant aut procurent, nec qualitercumque galee ipse seu ligna sive existentes in eis [non] offendant, nec quibuscumque inimicis aut rebellibus ipsius domini regis seu heredum suorum cum galeis et lignis ipsis seu aliquibus aut aliquo ipsorum vel ipsarum adhereant, aut dent vel dari faciant seu procurent aut patiantur consilium, auxilium vel favorem quocumque modo vel loco et tempore.

XXI. — Illud autem quod dictum est, quod dictus dominus rex et heredes sui dictos dominos capitaneos, abbatem, commune, et populum, et statum eorum, et eorum complices, sequaces, et de parte eorum manutenere et regere *(a)* et adju[219]vare teneantur in Janua et districtu et terris et pheudis suis predictis in terra firma Ytalie positis, et etiam ad recuperandum omnia et singula loca que de ipsis occupata sunt seu occupabuntur et aut detinentur per quoscumque inimicos seu rebelles dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, communis et populi et recuperata defendendum,

a) lege protegere *forsan cum Bal.*

et galeas, equites et pedites mittere in auxilium et juvamen dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, communis et populi, ut dictum est, intelligatur hoc modo, videlicet quod fiat ad expensas dicti communis secundum taxationem subscriptam, scilicet quod dictum commune dabit dicto domino regi vel illi quem dictus dominus rex ad hoc duxerit ordinandum pro qualibet galea dicto modo armanda et mittenda in auxilium et juvamen dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, communis et populi pro recuperatione, manutentione et defensione predicta libras sexcentas Januenses singulis mensibus, tam pro galea ipsa cum armis et munitionibus suis necessariis, quam pro stipendiis et panatica personarum et omnibus aliis oportunis ejusdem galee et personarum ipsius, et pro quolibet milite cum tribus equis, uno ad arma, uno palafredo et uno somerio, libras Januenses viginti, pro quolibet scutifero libras Januenses quindecim, et singuli duo scutiferi habere et ducere debeant quinque equos ad arma, duos palafredos, et unum somerium, et pro quolibet balistario seu lancerio pedite solidos quinquaginta Januenses. Equi autem quos ducent ipsi milites et scutiferi extimari debeant in partibus de quibus recesserint per duos bonos et expertos *(a)* viros in talibus eligendos per aliquem pro parte dicti domini regis seu heredum suorum et per aliquem pro parte dicti communis ; ita quod si aliquis dictorum equorum deficeret seu moriretur, dum esset in servitiis dicti communis, seu postquam inceperit viagium veniendi ad servitium dicti communis, per dictum com[220]mune restitui debeat extimatio ipsius equi ; ita quidem quod quotiens dicti domini capitanei, abbas seu commune requirerent hujusmodi subsidium vel juvamen galearum, teneantur eidem domino regi vel statuendo per ipsum dominum regem dare predicta taxata stipendia per unum mensem et dimidium ante recessum ipsarum galearum de portubus dicti domini regis, pro tempore scilicet trium mensium numerandorum a die qua recesserint de portubus ipsis in auxilium et juvamen dicti communis profecture modo predicto. Si vero requisiverint auxilium equitum seu peditum, teneantur dicti domini capitanei, abbas et commune ipsis equitibus et peditibus dare stipendia pretaxata per dies viginti ante recessum ipsorum de terris dicti domini regis, pro tempore trium mensium numerandorum a tempore quo recesserint, et postquam stipendia essent soluta, quilibet qui stipendia recepisset et non veniret et

a) expertes, *Bal.*

serviret dicto communi, teneatur dictis dominis capitaneis, abbati, populo et communi restituere duplum, vel dictus dominus rex pro eo. Quod si pro majori tempore trium mensium dicti domini capitanei, et abbas seu commune ipsas galeas, equites seu pedites retinere vellent in suo juvamine et servitio supradicto, teneatur dictus dominus rex ipsas galeas et ipsos equites et pedites ibi remanere facere vel alias et alios subrogare loco earum vel eorum et servire ipsis dominis capitaneis, abbati, populo et communi in predictis toto tempore quo dicti domini capitanei et abbas voluerint seu commune voluerit ; et iidem domini capitanei, abbas, populus et commune teneantur, donec galeas ipsas, equites seu pedites retinuerint, solvere eis stipendia ad dictam rationem singulis mensibus in principio mensis cujuslibet, et ita fiat hujusmodi solutio et eo tempore quod semper galee ipse, equites et pedites stipendia habeant pro tempore reditus eorum ad propria convenienti et necessario pro lo[221]corum distantia et temporum qualitate. Quarum galearum a[d]miratus, comiti, et nauclerii, et singuli qui erunt in ipsis galeis, ac capitaneus equitum et peditum, eligantur et instituantur per dictum dominum regem seu heredes ejus, et per eos injungatur ipsis omnibus, sub sacramento prestando et alia cautela, quam ipse dominus rex seu heredes ejus ad hoc viderint oportunam, quod fideliter et continue *(a)* pro tempore stipendiorum receptorum et recipiendorum servient dictis dominis capitaneis, abbati, populo et communi, et eorum complicibus et fautoribus, et de parte eorum, et ipsos dominos capitaneos, abbatem, populum, et commune, et eorum complices, sequaces, et fautores pro posse eorum juvabunt in predictis et circa predicta, de quibus supra declaratum est in primo capitulo quod incipit, *Videlicet dicti procuratores dicti domini regis procuratorio nomine pro eo*, etc. [cf. p. 164] et obedient in predictis a[d]mirato seu capitaneo generali armate seu exercitus ipsorum dominorum capitaneorum, abbatis et communis contra inimicos, adversarios et rebelles dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, populi, seu communis, et status eorum, et erunt sub ducatu et gubernatione et regimine dicti a[d]mirati seu capitanei generalis exercitus communis ejusdem.

XXII. — Item expressim actum est inter dictas partes, dictis nominibus, quod omnes et singuli de Janua et districtu ejus qui sunt seu erunt in obedientia dictorum dominorum capitaneorum,

a) continuo, *Bal.*

abbatis, et populi, seu dicti communis, possint licite in omnibus terris et portubus dicti domini regis seu dominii et pheudorum ipsius victualia emere et quocumque modo licite acquirere et acquiri facere, et extrahere et extrahi facere, et ad civitatem Janue et districtum deferre et deferri facere, non obstante aliquo deveto facto vel faciendo seu aliqua prohibitione ; ita tamen quod jura dohane, et exituras, tarenos, et exactiones solitas et ordina[222]tas hactenus et que solvi consueverunt et hodie solvuntur per Januenses in ipsis terris et portubus, Januenses ipsi solvere teneantur, non possit tamen aliqua superimposita vel nova exactio, quocumque nomine censeatur, fieri seu aliqua consueta augeri. Et etiam actum est quod ubicumque facta est mentio in presentibus conventionibus de victualibus, quod appellatione victualium contineantur omnia que de jure communi continentur, non obstante aliqua consuetudine vel usu loquendi que seu qui sit in regno, terris seu pheudis dicti domini regis. Teneantur tamen Januenses volentes de terris et portubus dicti domini regis victualia extrahere, ibi satisdare de ipsis victualibus apud Januam vel districtum deferendis et exonerandis ibidem sine justo Dei impedimento, vel litteras dictorum dominorum capitaneorum sive communis deferre, in quibus contineatur quod satisdederint in civitate Janue de ipsis victualibus apud Januam vel districtum deferendis *(a)*, victualia de dictis terris et portubus dicti domini regis et quantitates victualium scribi debeant, et in fine cujuslibet anni dicti domini capitanei, abbas, populus et commune teneantur scribere ipsi domino regi nomina omnium et singulorum de Janua et districtu qui victualia Januam seu ad ejus districtu[m] detuleri[n]t de terris seu portubus dicti domini regis et quantitates victualium delatorum, ita quod sciri possit an aliqui de Janua seu districtu ipsa victualia ad partes alias detulerint quam ad partes Janue seu districtus. Et si qui de Janua seu districtu invenientur ad alias partes quam ad partes Janue vel districtus, nisi forte justo Dei impedimento contigisset, ipsa victualia detulisse, dictum commune Janue teneatur quantitatem de qua per ipsos satisdatum foret exigere ab ipsis deferentibus ad alias partes quam Janue seu districtus Janue, ut dictum est, et dimidia ipsarum quantitatum sit et esse debeat dicti domini regis, et alia dimidia dicti communis. Et [223] actum est similiter quod subditis dicti domini regis liceat in Janua et districtu et

a) deferentium, *ms.*

pheudis suis mercationes licite exercere solvendo jura que huc usque solvere consueverunt, et quod eis nulla superimpositio fiat vel nova exactio, seu aliqua consueta augeatur, quocumque nomine censeatur. Et etiam actum est quod subditis dicti communis liceat in dictis regno et pheudis mercationes licitas exercere, solvendo jura que huc usque solvere consueverunt, ita quod eis nulla superimpositio *(a)* fiat seu nova exactio, seu aliqua consueta augeri possit, quocumque nomine censeatur.

XXIII. — Item quod singulis annis, in perpetuum, quandocumque, a mense aprilis usque per totum mensem junii, dictus dominus rex vel heredes sui, per litteras vel certos nuncios dictorum dominorum capitaneorum et abbatis, fuerint informati de quantitate frumenti, quam ipsi necessariam reputabunt pro anno uno ex tunc sequenti, ad opus dicti communis, usque ad frumenti salmarum centum milia, et per eos aut litteras vel nuncium ipsorum super hoc idem dominus rex fuerit requisitus, vel ejus heredes requisiti fuerint, claudet vel claudent portus suos de Apulia, et devetum faciet et facient generale omnibus et singulis exteris a regno (et intelligantur exteri omnes et singuli ibidem domicilium non habentes) quod frumentum de portubus ipsis non extrahent nec extrahi facient extra regnum ferendum, et quod ipse dominus rex seu heredes sui non patiantur extrahi per aliquos exteros nec aliquam personam pro eis in fraudem dicti deveti aliquam quantitatem frumenti extra regnum ferendam infra quatuor menses sequentes numerandos a primo, scilicet julii proximo tunc sequentis in antea. Et si dicti domini capitanei et abbas minorem quantitatem dictis centum milibus salmarum frumenti eidem communi necessariam esse scripserint, pro illo anno dominus rex seu heredes sui dictum terminum quatuor mensium in claudendo dictos portus et devetum faciendo restringere et diminuere [224] possint pro rata quantitatis minoris quam ipsi domini capitanei et abbas necessariam scripserint, ita quod pro quibuslibet viginti quinque milibus salmarum frumenti quas dicti domini capitanei et abbas dicto communi necessarias scripserint illo anno prefatus dominus rex dictam clausuram portuum et devetum facere debeat et teneatur per unum mensem a primo dicti mensis julii numerandum. Et si plus vel minus scriberent, terminus ipse augeatur vel minuatur secundum quantitatem quam scriberent ad rationem eamdem viginti quinque milium

a) superimposita, *ms.*

salmarum frumenti pro mense quolibet, infra quem terminum mensium seu pauciorum ad rationem predictam pro rata quantitatis que necessaria scriberetur, ut dictum est, dictum commune teneatur ex pacto extrahi facere Januam seu ad districtum ejus deferendam illam quantitatem frumenti quam usque ad summam predictarum salmarum centum milium, ad opus dicti communis necessariam, scripserint, solvendo officialibus regiis, tempore extractionis ipsius, jura predicta omnia, prout superius est expressum. Et si forte dictam quantitatem frumenti quam scripserint dicti domini capitanei et abbas illo anno necessariam esse dicto communi, ipsum commune per suos factores seu procuratores extrahere nollet aut non extraheret, teneantur dicti domini capitanei, abbas, et populus, seu ipsum commune satisfacere domino regi seu heredibus suis de supradictis juribus debitis, pro quantitate que sic ad extrahendum remansisset ac si extractionem ipsam fecissent seu fieri fecissent. Et hec satisfactio fieri debeat infra quatuor menses, si summa frumenti, quam necessariam scripserint et non extraxerint, fuerit a quinquaginta milibus salmarum frumenti infra. Si vero fuerit a quinquaginta milibus salmarum frumenti supra, infra sex menses. Qui quidem quatuor et sex menses, ut dictum est, computentur a fine temporis infra quod extractio predicta fieri debuerit et facta non extiterit [225] in antea. Hoc salvo eidem communi, quod illam quantitatem que sic extrahenda restaret post predictum terminum, extrahi facere possit ipsum commune postea quandocumque sine solutione jurium predictorum, cum jam foret inde satisfactum dicto domino regi seu heredibus, ut dictum est. Et intelligatur quod extractio ipsa fieri non possit, nisi solutione primo facta domino regi vel officialibus suis de juribus supradictis. Ita quidem quod post predictum terminum, infra quem debebat fieri ipsa extractio et facta non fuerit, ut superius declaratum est, dictus dominus rex, hoc non obstante, aperiat portus ipsos quibuscumque exteris pro sue *(a)* libito voluntatis.

XXIV. — Acto tamen quod si contingeret quod esset tanta sterilitas seu penuria victualium in omnibus terris regiis Apulie, Provincie et Forcalquerii quod victualia, orta in ipsis terris, solum suis subditis ipsorum locorum pro edili usu ipsorum et futuro semine illius anni sufficere verisimiliter viderentur, ita quod omnibus exteris et oriundis de terris dicti domini regis denegaretur et inter-

a) suo, *ms.*

diceretur per ipsum dominum regem extractio et delatio quorumlibet victualium ferendorum extra regnum et terram dicti domini regis, quod dicto casu, pro tempore quo duraret ipsa sterilitas seu penuria et ipsum interdictum servaretur, non teneatur dictus dominus rex ad predicta que de victualibus et frumento dicta sunt.

XXV. — Item dicti procuratores dicti domini regis, volentes, dicto procuratorio nomine, predicto communi Janue gratiam facere specialem, concedunt dictis syndicis dicti communis, dicto syndicario nomine stipulantibus et recipientibus, ut supra, in perpetuum, annis singulis, exituram liberam ab omnibus juribus supradictis decem milium salmarum frumenti, extrahendarum de portubus Apulie, ad electionem ipsorum dominorum capitaneorum et abbatis seu communis et ferendarum apud Januam seu districtum ejus. Et si contingeret *(a)* quod aliquo anno propter penuriam [226] seu sterilitatem que esset in Apulia, ut dictum est supra, ipsa quantitas in totum vel in partem extrahi non posset, illud quod inde remaneret extrahendum, sive totum, sive pars, extrahatur et extrahi possit per ipsum commune seu ad hoc deputandos per ipsum commune, quamprimum penuria seu sterilitas illa cessabit. Et postquam Sicilia recuperata fuerit per ipsum dominum regem seu heredes ejus, ex nunc concedunt dicti procuratores dicti domini regis dictis syndicis, dicti communis dicto nomine, dictam salmarum decem milium exituram liberam, ut dictum est, de insula Sicilie, scilicet de illis locis de quibus maluerit ipsum commune. Et tunc cesset predicta gratia de exitura ipsarum decem milium salmarum de portubus Apulie, ut dictum est, et intelligatur esse translata in Siciliam.

XXVI. — Item concedunt dicti procuratores domini regis dictis syndicis quod, recuperata Sicilia, commune et homines Janue et districtus utantur et uti possint in eadem insula Sicilie omnibus illis libertatibus et immunitatibus, quibus utebantur tempore clare memorie domini regis Karoli primi, scilicet usque ad illud tempus quo Sicilia rebellavit eidem.

XXVII. — Item ex pacto expressim adhibito in principio, medio et fine hujus contractus, cum aliter dicti syndici presentes conventiones non fuissent inituri, dicti procuratores dicti domini regis, procuratorio nomine, pro eo promiserunt dictis syndicis, stipulan-

a) contingat, *Bal.*

tibus proprio et privato nomine dicti domini Opitzini, et ipsi domino Opitzino presenti suo proprio et privato stipulanti, quod dictus dominus rex infra mensem unum, a presenti in antea numerandum, tradet et tradi et assignari faciet dicto domino Opitzino suo proprio et privato nomine seu alii per eum constituendo castra Montis calvi et Vignalis, que sunt de marchionatu Montisferrati, et custodiuntur pro ipso domino rege, et ipsum dominum Opitzinum seu deputandum per eum in vacuam et expeditam possessionem di-[227]ctorum castrorum induci faciet infra dictum mensem. Et si forte aliqui seu aliquis impedimentum ponerent seu poneret, vel resistentiam facerent seu faceret quo minus castra ipsa ad mandatum dicti domini regis traderentur et assignarentur ipsi domino Opitzino vel ejus procuratori, in hoc casu dominus rex procuret impedimentum et resistentiam hujusmodi omnino tollere per guerram etiam faciendam que ad hoc rationabiliter verisimiliter sufficere videatur contra resistentes et impedientes, si opus fuerit, quousque ipsa castra tradiderit et assignaverit seu tradi et assignari fecerit idem dominus rex dicto domino Opitzino seu deputando per eum.

XXVIII. — Verumtamen in guerra ipsa facienda ut supra, vir magnificus dominus Theodorus, marchio Montisferrati, et prefatus dominus Opitzinus toto posse eorum juvabunt dictum dominum regem et gentes suas contra omnes resistentes et impedientes ad removendum hujusmodi impedimentum, et resistentiam et recuperationem predictam, donec castra ipsa recuperata fuerint et assignata et tradita dicto domino Opitzino vel deputando per eum. Actum tamen est quod antequam traditio et assignatio ipsa fiat, prefatus marchio pro se et suis heredibus jurabit et se et eos solemniter obligabit quod eumdem dominum regem, seu heredes et subditos suos in terris, pheudis et honoribus suis non offendent in aliquo vel gravabunt, nec offendere vel gravare nitentibus, sive communitates sive speciales persone essent, dabunt consilium, auxilium vel favorem, non obstante quacumque obligatione, conventione seu promissione facta vel inita inter eumdem marchionem et quamcumque communitatem vel personam quacumque sacramenti vel alterius vinculi firmitate vallata, nec de cetero ipse marchio et heredes sui conventionem, promissionem seu colligationem facient cum quacumque communitate seu persona contra prefatum dominum regem vel heredes suos, [228] terram, pheuda et honores eorum. Quod si dictus dominus marchio seu heredes ejus secus fecerint, seu aliquis eorum fecerit, dicti domini capitanei, abbas,

populus et commune dictum dominum marchionem et ejus heredes et subditos eorum habere, tenere et tractare debeant pro inimicis et tamquam inimicos dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, communis et populi in Janua et districtu, quousque ipsi dominus marchio et ejus heredes cum dicto domino rege reconciliati non fuerint et interim non debeant et maxime dictus dominus Opitzinus non debeat eidem marchioni seu heredibus ejus in hiis vel aliis quibuscumque dare vel dari facere consilium, auxilium vel favorem publice vel occulte. Dictus etiam dominus rex prefatum dominum marchionem Montisferrati et heredes suos predicta servantes non offendet, nec etiam dictum dominum Opitzinum *(a)*, vel per vassallos suos offendi faciet vel permittet de terris et posse ipsius domini regis et pheudorum suorum seu per homines terrarum ipsius domini regis seu pheudorum ipsius.

XXIX. — Et si pax seu concordia esse poterit inter marchionem Montisferrati et marchionem Salluciarum, dominus rex ad hoc, quantum decenter et honeste poterit, operam suam dabit. Si vero fieri non posset, idem dominus rex non permittet quod ipse marchio Salluciarum de hominibus et locis, quos ab ipso domino rege tenet in pheudum seu aliquo eorum eidem marchioni Montisferrati vel suis heredibus, seu dicto domino Opitzino guerram faciat seu gravamen. Et e contra ipse marchio Montisferrati seu dictus dominus Opitzinus eidem marchioni Salluciarum in terris et locis que a dicto domino rege tenet seu aliquo eorum in pheudum guerram non faciet seu gravamen. Dictus etiam marchio Montisferrati et prefatus dominus Opitzinus hominibus et vassallis marchionatus ejusdem qui domino regi vel suis gentibus adheserunt vel obediverunt omnem offen[229]sam et culpam, in quam propter hoc forsitan incidissent, adversus eos vel eorum alterum et penam, quam propterea incurrissent, remittent et relaxabunt omnino. Intelligendum tamen est quod per hanc traditionem seu assignationem, faciendam prefato domino Opitzino de castris predictis, juribus dicti marchionis Montisferrati seu alterius, si qua eis competunt in castris predictis, nullum prejudicium generetur. Et, si forte aliquis subditus vel vassallus dicti domini regis offenderet dictum dominum marchionem vel subditos ipsius domini marchionis, vel si aliquis subditus vel vassallus dicti domini marchionis offenderet dictum dominum regem vel aliquem subditum

a) Opizonem, *Bal.*

vel vassallum ipsius, teneatur uterque ipsorum dominorum regis et marchionis de hiis, infra spatium duorum mensium, post requisitionem que fieret, facere seu fieri facere summarium et expeditum justicie complementum, et delinquentes cogere ad satisfactionem debitam faciendam.

XXX. — Et ex pacto adhibito, ut dictum est, predictus dominus Opitzinus promisit solemniter dictis procuratoribus regiis stipulantibus ut supra liberare et liberari facere et facere et curare quod liberabuntur a carceribus dicti marchionis Montisferrati vel suorum sequacium, subditorum et fautorum castellanus regius, qui erat in castro Vignalis pro parte dicti domini regis, et quicumque alii de gente, subditis et fautoribus dicti domini regis, qui postquam guerra incepta fuit dicto marchioni Montisferrati per dictum dominum regem, gentes et fautores ejusdem captivi detinentur et detinerentur in antea, dictorum castrorum traditione et assignatione pendente, per dictum marchionem Montisferrati, gentem, complices et fautores ejusdem.

XXXI. — Illud autem quod actum est de dicto marchione Montisferrati non offendendo per dictum dominum regem seu offendi permittendo intelligatur habere locum, quousque dictus marchio se gesserit secundum beneplacitum et consilium di[230]cti domini Opitzini, de quo an se gerat vel non semper stari debeat declarationi dicti domini Opitzini, et id quod dictum est de heredibus dicti marchionis non offendendis per ipsum dominum regem nec offendi permittendis ut supra intelligatur locum habere si magnifica domina Argentina, nata dicti domini Opitzini et uxor dicti marchionis, filios sustulerit ex dicto nunc domino marchione, qui succedant in dicto marchionatu.

XXXII. — Item teneatur dictus dominus rex facere et curare quod nobilis vir Philippus de Sabaudia unum vel duo castra, que de marchionatu Montisferrati predicto capta fuerunt hac estate preterita per gentem dicti domini regis et ipsum dominum Philippum, post conventionem factam super marchionatu predicto inter ipsum dominum regem et ipsum dominum Philippum, sive unum castrum fuerit, sive duo, in quo vel quibus dominus rex in ipsa conventione habet vel habere debet medietatem, tradet et assignabit seu tradi et assignari faciet dicto domino Opitzino suo proprio nomine seu deputando per eum, et vacuam et expeditam possessionem ipsorum castri sive castrorum, sive sit unum, sive sint duo, quam citius bona fide per ipsum dominum regem fieri poterit

et procurari, ita quod ex parte sua in hoc defectus aliquis non existat.

XXXIII. — Et etiam promiserunt dicti procuratores dicti domini regis, ex pacto expressim adhibito, michi, notario infrascripto, officio publico stipulanti nomine et vice dicti marchionis et heredum suorum quod si dictus dominus marchio Montisferrati aliquo tempore guerram faciet seu fieri faciet contra dominum comitem Sabaudie pro recuperatione aliquorum aliorum castrorum, terrarum, locorum seu bonorum aliorum, que seu quos dictus comes teneat vel possideat ex castris, terris, locis vel bonis aliis dicti marchionatus, quod dictus dominus rex ipsi comiti non dabit nec dari faciet nec dari patie[231]tur per aliquos subditos ipsius domini regis auxilium, consilium seu favorem publice seu occulte, nec propterea intelligatur dominus marchio predictus facere contra predicta seu aliquod predictorum nec contra promissionem, quam facere debet idem dominus marchio Montisferrati, juxta ea que supra acta sunt.

XXXIV. — Item, si forte contingeret, ipsa dictorum omnium assignatione pendente castrorum, quod eorum aliqua vel aliquod ad manus dicti marchionis Montisferrati seu domini Opitzini vel aliquorum de gente aut fautoribus eorumdem seu alicujus eorum alio quocumque modo quam de mandato ejusdem domini regis seu per manus officialium aut gentis aut statutorum pervenirent aut perveniret, hujusmodi perventio reputetur, habeatur, et teneatur, et perinde sit, et ita predicta omnia que continentur in predictis proximo precedentibus capitulis loquentibus de dicto marchionatu Montisferrati fiant, compleantur et observentur ac si de mandato ipsius domini regis seu per manus ejus aut officialium seu gentis aut statutorum ipsius dictorum castrorum spontanea traditio et assignatio fieret prefato domino Opitzino seu procuratori ejus, juxta quod superius est promissum. Et insuper si contingat, assignatione predicta pendente, quod aliquod vel aliqua alia castra marchionatus ejusdem, ultra ea de quibus superius dictum est, perveniant quocumque modo ad manus predicti domini regis aut officialium seu gentis ipsius seu alicujus ejus subditi seu vassalli, ea tradere et assignare, seu tradi et assignari facere teneatur ipse dominus rex predicto domino Opitzino vel procuratori ipsius quemadmodum tenetur illa de quibus primo dictum est, scilicet infra mensem, postquam ad ipsum dominum regem, gentem ejus, seu officialium aliquem, subditum vel vassallum dicti domini regis

pervenissent aliqua ex ipsis castris seu aliquod eorum. Et si forte aliqui seu aliquis impedimentum pone[232]rent vel resistentiam facerent quominus castra ipsa taliter pervenientia, deinde ad manus dicti domini regis vel officialium seu gentis ipsius, ad mandatum dicti domini regis traderentur et assignarentur ipsi domino Opitzino vel ejus procuratori, in hoc casu dominus rex procuret *(a)* impedimentum et resistentiam hujusmodi omnino tollere *(b)* per guerram etiam faciendam contra resistentes et impedientes, si opus fuerit, que ad hoc sufficiens verisimiliter videatur. Verumtamen in guerra ipsa facienda predicti marchio Montisferrati et dominus Opitzinus, toto posse eorum, juvabunt dictum dominum regem et gentes suas ad removendum hujusmodi impedimentum et resistentiam et ad recuperationem predictam contra omnes resistentes et impedientes, donec castra ipsa recuperata fuerint, et assignata et tradita dicto domino Opitzino vel procuratori suo.

XXXV. — Item, propter amorem et honorem prefati domini Opitzini dictus dominus rex gratiose liberabit de carcere suo comitem Philiponum, et illum seu illos qui secum in carcere regis custodiuntur, et eos assignari faciet liberos nuntio dicti domini Opitzini, recepto prius ab ipso comite Philipono, fratribus, et filiis suis, seu legitima persona pro eis ad sancta Dei evangelia juramento et obligatione solemni quod eumdem dominum regem seu heredes ejus et subditos eorum in terris, pheudis et honoribus suis non offendent in aliquo vel gravabunt, nec offendere vel gravare nitentibus, sive communitates sive speciales persone essent, dabunt consilium, auxilium vel favorem, non obstante quacumque colligatione, conventione seu promissione facta vel inita inter eos et quamcumque communitatem vel personam quamcumque sacramenti vel alterius vinculi firmitate vallata, nec de cetero conventionem, promissionem seu colligationem facient cum quacumque communitate seu persona contra prefatum dominum regem vel heredes suos, terram, pheuda et honores [233] eorum. Et de hoc inviolabiliter observando commune civitatis Papie se pro eis obligabit solemniter dicto domino regi, et eo modo quod si dictus dominus comes Philiponus, fratres vel filii ejus, contra facient *(c)* dictum commune Papie expellet eos de ipsa civitate et districtu suo, et reputabit et tractabit eos pro suis rebellibus et inimicis. Ita etiam quod dictum commune Papie sufficienter promittat et obliget solemniter

a) omis par Bal. — *b)* tolleret, *Bal.* — *c)* facerent, *Bal.*

dicto domino regi quod eumdem dominum regem et heredes suos, terram, pheuda ac honores eorum non offendent in aliquo vel gravabunt, nec offendere vel gravare nitentibus, sive communitates sive speciales persone essent, dabunt consilium, auxilium vel favorem, non obstante quacumque obligatione, conventione seu promissione facta vel inita inter ipsum et quamcumque communitatem vel personam quacumque sacramenti vel alterius vinculi firmitate vallata, nec de cetero commune ipsum Papie conventionem, promissionem seu colligationem faciet cum quacumque communitate vel persona contra prefatum dominum regem vel heredes suos, terram, pheuda et honores eorum.

XXXVI. — Item, si contingeret aliquo tempore quandocumque et quotienscumque quod aliqui domini, seu aliquis dominus, seu persona cujuscumque preheminentie, dignitatis, status sive conditionis existant sive existat, dominium seu potestatem habentes seu habens, seu possidens seu quasi, seu detinens, in aliquibus terris vel insulis vel aliqua terra vel insula sitis seu sita a Motono de partibus Romanie usque ad flumen Rodani de partibus Provincie dictis dominis capitaneis, abbati, communi, et populo, seu alicui eorum, seu subditis dicti communis, seu alicui eorum injuriam, gravamen, dampnum seu offensionem inferant seu aliquis eorum inferat aliquo loco seu aliquo tempore vel guerram faciant, seu aliquis eorum faciat, seu inferri vel fieri per aliquos subditos seu morantes seu mo[234]raturos in terris dominii, jurisdictionis, seu posse ipsorum dominorum seu alicujus eorum passi fuerint, seu aliquis eorum passus fuerit, seu qualitercumque ipsis dominis capitaneis, abbati, populo, et communi, seu alicui eorum, seu subditis dicti communis, seu alicui eorum fieri seu inferri contigerit per quoscumque qui in dictis terris ipsorum dominorum seu alicujus eorum seu posse, dominio aut jurisdictione eorum seu alicujus eorum morati fuissent seu morarentur, seu receptarentur, et ibidem armassent seu armarent, armari fecissent vel facerent, seu armassent seu armarent, armari fecissent seu facerent tantum, posito quod aliquo tempore ibi non fuissent morati, et posito quod postea non receptarentur ibidem aliqua vasa ex quibus dampnum, offensio, gravamen vel injuria illita esset vel inferretur predictis dominis capitaneis, abbati, et populo, seu communi, seu subditis dicti communis, seu alicui eorum, seu si alias dampnum, offensio, gravamen seu injuria illatum seu illata fuerit aliquo tempore, loco vel modo predictis dominis capitaneis, abbati, populo, seu

communi, seu alicui eorum seu subditis dicti communis seu alicui eorum *(a)* per aliquos morantes seu qui receptarentur, morari seu receptari contigerit in terris, posse, dominio seu jurisdictione dictorum dominorum seu alicujus eorum, quamdiu morarentur seu receptarentur ibidem, seu si aliqua communitas seu universitas que sit infra dictos confines intulerit seu fecerit, seu inferri seu fieri passa fuerit per aliquos subditos ipsius communitatis seu universitatis, seu morantes, seu qui receptarentur, et armassent seu armarent, armari fecissent seu facerent tantum, posito quod aliquo tempore ibi non fuissent morati, et posito quod postea non receptarentur ibidem, in posse seu jurisdictione ipsius communitatis seu universitatis, seu si aliter per aliquos morantes, seu qui receptarentur, seu quos morari vel receptari contingat in posse, dominio, territorio seu jurisdictione ipsius communitatis seu uni[235]versitatis, quamdiu morarentur seu receptarentur ibidem, dampnum, offensio, gravamen seu injuria illatum seu illata fuerit predictis dominis capitaneis, abbati, populo, seu communi, seu alicui eorum, seu subditis dicti communis, seu alicui eorum, tempore, modo vel loco, quamdiu morarentur seu receptarentur ibidem, teneatur dictus dominus rex et heredes ejus infra mensem, computandum a die requisitionis seu denunciationis, que fiet super hoc ipsi domino regi vel heredibus suis per litteras vel per nuncium dictorum dominorum capitaneorum et abbatis, seu communis et populi, requirere per litteras seu nuncios ipsius domini regis vel heredum ejus efficaciter illum dominum seu dominos, communitatem seu universitatem, qui seu que injuriam, gravamen, dampnum seu offensam intulisset, vel guerram fecisset seu faceret, seu inferri vel fieri fecisset, vel passus seu passa esset inferri vel fieri per homines seu subditos dominii seu jurisdictionis ipsorum dominorum vel domini, communitatis seu universitatis, seu in cujus dominio seu territorio vel posse illi qui intulissent, seu fecissent seu facerent, morarentur, seu receptarentur, et armassent seu armari fecissent, seu armassent vel armari fecissent tantum, posito quod non fuissent morati nec receptati ibidem, et posito quod postea non receptarentur ibidem, quod de hujusmodi injuria, gravamine, dampno, offensione et guerra, et quolibet eorum illatis dictis dominis capitaneis, abbati, communi, et populo, seu alicui eorum, seu subditis dicti communis seu alicui eorum, satisfactionem et emendam congruam et sufficien-

a) seu subditis dicti communis seu alicui eorum, *omis par Bal.*

tem ipsis dominis capitaneis, abbati, populo, et cuilibet eorum, et quibuslibet subditis dicti communis faciant seu fieri faciant et quilibet eorum faciat seu fieri faciat infra menses duos, et ab ipsis ulterius inferendis seu permittendis inferri, et ab omni guerra facienda seu fieri permittenda per aliquos subditos ipsorum dominorum seu domini, communitatis [236] seu universitatis, seu aliquos morantes seu moraturos seu qui receptarentur in terris dominii ipsorum dominorum seu domini, communitatis seu universitatis, omnino abstineant et quilibet eorum abstineat et subditos suos, morantes in terris sui dominii, posse seu jurisdictionis, et omnes et singulos qui in eis receptarentur, et armassent, seu armarent seu armassent, tantum faciant et quilibet eorum faciat abstinere.

XXXVII. — Quod si dicti *(a)* domini seu dominus et eorum subditi seu morantes in eorum posse, dominio et jurisdictione, seu communitas seu universitas super hoc requirendi seu requirenda per litteras domini regis vel heredum ejus, ut dictum est, predicta facerent et servaverint, et quilibet eorum fecerit infra dictum tempus duorum mensium et servaverit, et per subditos ejus et morantes seu qui receptarentur, seu qui morati fuissent et armassent seu armassent tantum, posito quod ibi postea receptati non fuissent in terris sui dominii, jurisdictionis seu posse fecerit et fecerint observari, dicti dominus rex seu ejus heredes, capitanei, abbas, populus et commune debeant esse contenti. Si vero ipsi domini seu dominus, communitas seu universitas, requirendo ut supra hujusmodi emendationem et *(b)* satisfactionem infra dictum terminum facere contempnerent, seu aliquis seu aliqua eorum seu earum contempneret seu non faceret, et non abstinebunt, et quilibet ipsorum dominorum, communitatum seu universitatum non abstinebit, et subditos, morantes, seu qui receptarentur et armassent, seu qui armassent tantum, cum effectu non fecerint ipsi domini et quilibet eorum et quelibet ipsarum communitatum et universitatum abstinere, ut dictum est, et dicti domini capitanei et abbas, populus et commune tunc vellent seu vellet commune contra ipsos dominos, seu dominum, communitatem seu universitatem guerram facere, hoc casu dictus dominus rex ad requisitionem dictorum dominorum capitaneorum, [237] abbatis, et populi et communis per eorum nuncium vel litteras faciendam semper, et quotiens facta fuerit, teneantur armare, et armari facere et mittere ad locum

a) predicti, *Bal.* — *b)* aut, *Bal.*

infra dictos confines, ad quem rationabiliter secure ire possint, de quo scripserint ipsi domini capitanei et abbas seu commune, infra spatium duorum mensium post requisitionem eamdem in subsidium dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, communis et populi, expensis propriis dicti domini regis, galeas a duabus usque in viginti bene et sufficienter armatas hominibus et omnibus necessariis secundum modum, secundum quem dictus dominus rex consuevit armare et armari facere in propriis guerris suis, et ipse galee sic armate morari debeant in servitio dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, communis et populi, dictam guerram faciendo, per quatuor menses continuos cujuslibet anni, facta computatione anni a tempore requisitionis ; et ita tunc annus, quantum ad hoc, incipere videatur tempore aditus et reditus bona fide, in eundo et redeundo, agnita in ipsis quatuor mensibus computato. Et dictum numerum galearum dictus dominus rex teneatur mittere ut supra hoc modo. Videlicet pro quibuslibet tribus galeis quas armari facient dicti domini capitanei, abbas, populus et commune pro ipsa guerra, que tunc vigeret seu fieret, teneatur dictus dominus rex armare et mittere ut supra dictas duas *(a)* galeas usque in dictam quantitatem viginti, ita quod ultra dictum numerum galearum viginti mittere non teneatur.

XXXVIII. — Et nichilominus ipse dominus rex et ejus heredes, homines et subditi terrarum, dominii et pheudorum ipsius domini regis teneantur illos dominos seu dominum, communitatem, universitatem, et subditos ipsorum dominorum et cujuslibet eorum communitatis et universitatis, contra quas et quos dicti domini capitanei, abbas, populus et commune guerram haberent seu facerent ut supra habere et tractare ubique per terras sui domi[238]nii et per subditos ipsius domini regis haberi et tractari facere pro inimicis et tanquam inimicos ipsius domini regis et subditorum ipsius. Ita tamen quod dicte galee dicti domini regis seu heredum suorum, pro guerra hujusmodi facienda, transire non debeant fines predictos, sed intra predictos confines in mari et in terris maritimis ipse galee et existentes in eis, pro posse eorum, bona fide teneantur adjuvare dictos dominos capitaneos, abbatem, populum et commune, et galee et existentes in galeis dicti communis ad dictam guerram faciendam, sub debito juramenti prestandi ipsi domino regi seu per eum constituendo, et a[d]miratus, comiti, et nauclerii, et alii

a) suas, *Bal.*

omnes qui erunt in dictis galeis regiis teneantur subesse, parere et obedire in omnibus et singulis pertinentibus ad ipsam guerram, et armatam que tunc fieret seu facta erit a[d]mirato galearum dicti communis.

XXXIX. — Et predicta omnia et singula teneatur dictus dominus rex et ejus heredes teneantur observare et facere observari per ejus subditos contra quoscumque dominos seu dominum, communitatem seu universitatem dominium seu potestatem habentem, possidentem seu quasi, seu detinentem, et contra quoscumque subditos ipsorum dominorum et cujuslibet eorum, et ipsarum communitatum et cujuslibet earum, et contra quascumque personas que morate fuissent, et armassent, seu aliter offendissent ut supra, seu armassent tantum in terris, posse seu jurisdictione ipsorum dominorum seu alicujus eorum, seu communitatum vel universitatum seu alicujus eorum, infra dictos confines, dictam guerram faciendo, non obstante aliqua conventione, promissione seu obligatione generali seu speciali facta seu facienda per ipsum dominum regem, alium seu alios ipsius nomine aliquibus dominis seu domino, communitati seu universitati, seu alicui persone, quacumque verborum solemnitate seu juramenti prestatione firmata, que posset [239] seu videretur in predictis seu aliquo predictorum in aliquo refragari. Et perinde habeantur et intelligantur predicta, et ita actum fuit expressim quod haberi et intelligi debeant, ac si singuli domini seu dominus dominium seu potestatem habentes, seu possidentes, seu detinentes in aliquibus terris seu insulis, seu aliqua terra seu insula, infra dictos confines, et singule communitates et universitates existentes infra eosdem confines, essent nominati et nominate, et perinde ac si nominatim omnes et singule conventiones, promissiones et obligationes qualitercumque et cum quibuscumque facte per ipsum dominum regem, alium seu alios pro eo, essent nominate et expresse.

XL. — In toto tamen presenti capitulo (quod incipit, *Item si contingeret etc.* [cf. *supra, p.* 192]) prefati procuratores regii expresse exceperunt quantum in guerra non facienda ut supra, tantum contra infrascriptos exceptatos, Ecclesiam romanam, regem Alamagnie, regem Francie, regem Aragonum, regem Majoricarum, dominum Carolum de Francia, et communia Venetiarum et Pisarum. Sed per hanc exceptionem non intelligatur esse derogatum seu adjectum capitulo supra posito, in quo cavetur quod dictus dominus rex et heredes ejus teneantur juvare prefatos dominos capitaneos,

abbatem, commune et populum in civitate Janue et districtu, terris et pheudis suis sitis in terra firma Ytalie manutenendis et defendendis, et etiam recuperandis que occupata essent seu detinerentur, ad expensas dicti communis, contra quascumque personas, ut supra in eodem capitulo plenius continetur, et incipit, *Primo videlicet dicti procuratores dicti domini regis* [cf. *supra*, p. 164] *procuratorio nomine pro eo promiserunt*, etc. Sed ipsum capitulum et alia capitula supra posita loquentia de predictis pro utraque parte in suo robore perseverent, ita quod solum dicta exceptio ab hiis que in presenti capitulo continentur tantum facta intelligatur, sed per istud presens capitulum non intelligatur [240] quod dictus rex seu heredes sui teneantur, expensis propriis, juvare per mare vel terram dictos dominos capitaneos, abbatem, commune et populum in defendendis et recuperandis terris seu locis aliquibus dicti communis seu districtus et pheudorum suorum, sed quoad ipsam defensionem et recuperationem servetur pro utraque parte supradictum capitulum, in quo de hoc fit mentio, scilicet quod fiat ad stipendia per dictum commune solvenda, prout superius sunt taxata.

XLI. — Verumtamen non obstantibus supradictis, si eo tempore quo dicta guerra fieret seu vigeret, galee alicujus dictorum dominorum seu alicujus communitatis vel universitatis, de quibus supra dictum est, invenirentur per galeas dicti communis et ejusdem domini regis armatas pro dicta guerra facienda in aliquo loco infra dictos confines, etiam in districtu Janue, dicte galee dicti domini regis et existentes in eis teneantur offendere, pro posse, eorum galeas et gentes dictorum dominorum et cujuslibet eorum et ipsarum communitatum et universitatum et cujuslibet earum, et adjuvare galeas dicti communis et existentes in dictis galeis communis, ubicumque, infra dictos confines, etiam in districtu dicti communis, nec possit se excusare dictus dominus rex nec excusari intelligatur ab observatione omnium et singulorum que in hoc presenti capitulo continentur aliqua exceptione. Et si forte se excusaret aliqua exceptione, seu etiam excusaretur vel defenderetur dictus dominus rex cujuscumque mandato, seu qualitercumque contingeret quod dictus dominus rex non observaret et attenderet omnia et singula supradicta que in hoc presenti capitulo continentur (quod incipit, *Item si contingeret*, etc.) [cf. *supra*, p. 192] promiserunt dicti procuratores dicti domini regis, dicto nomine, dictis syndicis stipulantibus ut supra, nomine dicti communis, dare et solvere dicto communi pro interesse et nomine interesse ipsius communis, ex nunc communi

voluntate dictarum partium [241] procuratorum dicti domini regis et dictorum syndicorum taxati, pro qualibet galea dictarum viginti, quam requisiverint dicti domini capitanei et abbas, seu commune requisierit, et dominus rex non *(a)* miserit in forma predicta, sexcentas libras januinorum pro quolibet mense supradictorum quatuor mensium cujuslibet anni, in quo predicta requisitio fieret per dictos dominos capitaneos, abbatem seu commune, ut superius continetur; quam quantitatem pecunie, scilicet pro qualibet dictarum viginti galearum, promiserunt procuratores dicti domini regis quod dictus dominus rex solvet dicto communi infra quatuor menses, postquam facta esset requisitio dictarum galearum. Et predicta omnia et singula que supra dicta sunt in hoc presenti capitulo (quod incipit, *Item si contingeret aliquo tempore quandocumque*, etc.) [cf. *supra*, p. 192] locum habeant quandocumque et quotienscumque contigerit aliquo tempore seu aliquo modo dictis dominis capitaneis, abbati, communi, et populo, seu alicui eorum, seu subditis dicti communis seu alicui eorum injuriam, gravamen, dampnum seu offensionem fieri seu inferri per dictos dominos seu dominum, communitates, universitates, seu aliquem seu aliquam earum, seu quascumque personas predictas, de quibus supra in eodem presenti capitulo fit mentio, infra dictos confines, seu secundum formam hujus presentis capituli, ut supra in hoc presenti capitulo continetur.

XLII. — Hoc tamen expresse acto et convento quod in casu predicto, quotiens contingeret, scilicet quod dicti domini capitanei et abbas, populus et commune vellent, seu commune vellet, servato tenore presentis capituli, contra predictos dominos seu dominum, communitates seu universitates, vel aliquam ipsarum guerram facere, et predictum dominum regem seu heredes suos requirerent de armandis et mittendis in eorum auxilium ad dictam guerram fa[242]ciendam dictis galeis modo predicto, dicti domini capitanei, abbas, populus, et commune, seu commune ipsum post requisitionem predictam, que per eos facta esset, non possint seu commune ipsum non possit cum predictis dominis seu domino, universitatibus seu communitatibus, seu aliqua earum pacem seu concordiam, treuguam seu sufferentiam, seu quamcumque dilationem ad dictam guerram faciendam quocumque modo facere seu inire, acceptare vel admittere, seu in hiis quocumque modo consentire

a) omis par Bal.

sine conscientia, voluntate et expresso consensu dicti domini regis seu heredum suorum.

XLIII. — Et versa vice dicti syndici dicti communis, syndicario nomine, promiserunt dictis procuratoribus dicti domini regis, procuratorio nomine, pro eo solemniter et legitime stipulantibus, quod dicti domini capitanei, abbas dicti populi, et ipsum commune et populus, et omnes illi qui processu temporis ipsum commune et populum gubernare et regere habebunt aut eis preesse sub quocumque officii nomine, et dicti populus et commune et quilibet eorum prefatum dominum regem et heredes suos, et omnes eorum subditos et vassallos, amicos, complices, sequaces, et fautores, et omnes et singulos de parte ipsius domini regis et heredum suorum, qui sint de toto regno Sicilie, tam insulis quam terra firma, necnon comitatibus Provincie et Forcalquerii et Pedimontis, et de omnibus pheudis ipsius domini regis, in quibuscumque locis existant, in perpetuum habebunt, tenebunt, tractabunt et tractari facient cum effectu per omnes subditos et vassallos ipsorum pro veris amicis et tanquam veros amicos ipsorum dominorum capitaneorum, abbatis, populi, et communis et subditorum eorum, et inimicos et rebelles dicti domini regis et heredum suorum, qui sint de regno, comitatibus et pheudis supradictis, habebunt, tenebunt, et tractabunt et tractari facient perpetuo per [243] omnes subditos et vassallos ipsorum cum effectu in omnibus terris et pheudis ac per omnes terras et pheuda ipsius communis ditioni subjectas et in omnibus terris et pheudis dicti communis et in omnibus terris, [quas] dictum commune acquiret seu recuperabit in posterum pro inimicis et rebellibus ac tanquam inimicos et rebelles ipsorum dominorum capitaneorum, abbatis, populi et communis in omnibus terris et per omnes terras ipsius communis ditioni subjectis, et ipsum dominum regem et heredes suos, statum et honorem eorum, et eorum complices et sequaces et de parte ipsorum, qui sint de predictis regno et comitatibus et pheudis, semper manutenebunt, regent et adjuvabunt efficaciter pro posse ipsorum dominorum capitaneorum, abbatis, seu aliorum gubernatorum aut rectorum dicti communis et populi, seu ipsius communis, contra quascumque personas, ad expensas tamen ipsius domini regis et heredum suorum, prout infra declaratur, in ipsis regno, comitatibus, et pheudis, et etiam ad recuperandum omnia et singula loca de predictis regno, comitatibus et pheudis que occupata essent, vel detinerentur, vel occuparentur seu detinerentur per quoscumque inimicos et rebelles eorum. Et

intelligantur esse inimici et rebelles dicti domini regis seu heredum suorum omnes illi de quibus per ipsum dominum regem seu heredes suos aut eorum procuratores seu litteras prefatis dominis capitaneis, abbati, populo et communi, seu illis qui populum et commune ipsum regere aut gubernare habuerint vel eis preesse, seu ipsi communi dictum fuerint seu *(a)* declaratum.

XLIV. — Et specialiter actum est quod dicti domini capitanei, abbas, populus, et commune, seu alii rectores seu gubernatores eorum, seu ipsum commune, specialiter et expresse, adjuvabunt efficaciter pro posse dictorum dominorum capitaneorum, abbatis, populi, et communis, seu aliorum rectorum et gubernatorum dicti communis et populi, seu ipsius communis dictum do[244]minum regem et heredes suos ad recuperandum et reducendum insulam Sicilie ad manus et dominium dicti domini regis seu heredum ejus, et recuperatam manutenendum et defendendum ad honorem et fidelitatem dicti domini regis seu heredum suorum. Et quotienscumque et quandocumque dictus dominus rex vel heredes sui super hoc ipsos dominos capitaneos, abbatem, populum, et commune, seu alios rectores aut gubernatores eorum seu ipsum commune requirent et requiret, armabunt seu armari facient et mittent in juvamen ejusdem domini regis et heredum suorum, infra duos menses post requisitionem que ipsis fiet per dictum dominum regem seu heredes ejus, per litteras seu nuncium suum, in juvamen et auxilium ipsius domini regis et heredum suorum, pro manutentione et defensione dictorum regni, comitatuum, et pheudorum, et quorumcumque locorum de ipsis *(b)* regno, comitatibus et pheudis, et pro manutentione et defensione honoris et status ipsius domini regis et heredum suorum contra quascumque personas, et pro recuperatione, manutentione et defensione dicte insule Sicilie ac reliquarum terrarum et locorum ejusdem regni Sicilie, comitatuum et pheudorum predictorum, et quorumcumque locorum de ipsis insula, regno, comitatibus et pheudis, in auxilium, juvamen et favorem dicti domini regis et heredum suorum, similiter contra quascumque personas, galeas a decem usque in centum sufficienter et bene armatas in numero, quem dicti dominus rex seu heredes sui requirent per se vel suum nuncium aut litteras, secundum modum et numerum gentis secundum quem ipsum commune Janue armare consuevit et armat pro sua guerra propria, et dicti domini capitanei, abbas, populus, et

a) et, *Bal.* — *b)* ipso, *Bal.*

commune, seu alii rectores et gubernatores eorum seu dictum commune mittent quotienscumque et quandocumque fuerint requisiti per dictum dominum regem seu heredes suos per terram, in partes scilicet comitatuum [245] predictorum et pheudorum que sunt de ipsis comitatibus tantum, pedites a centum usque in quinque millia, scilicet balistarios et lancerios bene et sufficienter armatos, in numero quem dictus dominus rex seu heredes sui requirent, in auxilium et juvamen similiter dicti domini regis et heredum suorum, ac status et honoris eorum, et pro recuperatione et manutentione locorum dictorum comitatuum et pheudorum, infra mensem unum post requisitionem predictam. Ita tamen quod si auxilium peditum *(a)* dictus dominus rex requisierit, non possit petere balistarios ultra dimidiam numeri peditum, quem requisierit.

XLV. — Hoc acto, quod quandocumque et quotienscumque dictus dominus rex seu heredes sui ad recuperationem predicte insule Sicilie, semel vel pluries, procedere voluerit aut voluerint, prima vice qua gens ipsius domini regis vel heredum suorum transfretabit in eamdem insulam pro ipsa recuperatione, idem dominus rex seu heredes sui exercitum et armatam faciet seu facient sufficientem rationabiliter secundum ipsius negotii qualitatem ; et tunc illa prima vice predicti domini capitanei, abbas, commune, et populus, seu alii rectores et gubernatores eorumdem populi et communis, seu predictum commune teneantur seu teneatur armare et mittere in subsidium dicti domini regis vel heredum suorum pro recuperatione eadem contra personas quascumque galeas a triginta usque in centum juxta numerum requirendum per dictum dominum regem vel heredes suos predicto modo armatas, ita quod pauciores triginta requirere non possit nec heredes sui possint prima vice predicta. Et si necessarium esset post predictum primum passagium, quotiens faciendum passagium, quotiens faciendum fuerit, seu dictus dominus rex vel heredes sui vellet aut vellent aliam vel alias armatam vel armatas mittere in insulam Sicilie supradictam, tunc commune predictum teneatur ad requisitionem dicti domini regis seu heredum suo[246]rum, quotienscumque et quandocumque eam fecerit seu fecerint, armare similiter et mittere in eorum subsidium galeas *(b)* a decem usque in centum dicto modo armatas in numero quem dictus dominus rex seu heredes sui requirent a decem supra tantum. Et hoc intelligatur exercitu dicti domini regis seu heredum

a) predictum, *Bal.* — *b)* galearum, *ms.*

suorum in Sicilie insula existente. Si vero exercitus regius non esset in insula, intelligendum est quod quandocumque prima vice exercitum illuc mittere vellet aut vellent dictus dominus rex seu heredes sui, ut dictum est, prefati domini capitanei, abbas, commune, et populus, seu alii rectores et gubernatores eorum, seu commune predictum teneantur seu teneatur armare et mittere in eorum subsidium galeas a triginta usque in centum in numero quem dictus dominus rex seu ejus heredes duxerint requirendum, a triginta supra tamen, et non pauciores, prout superius dictum est.

XLVI. — Verumtamen actum est inter dictos procuratores et syndicos, nominibus supradictis, quod dictus dominus rex non possit nec heredes sui possint dicere vel declarare seu declarari facere quod dictus dominus rex Fredericus, tenens nunc insulam Sicilie, et illi de dicta insula, seu aliqui eorum sint inimici seu aliquis eorum sit inimicus dicti domini regis Karoli seu ejus heredum, nisi per spatium duorum mensium, antequam ipse dominus rex Karolus seu ejus heredes vellet aut vellent facere seu faceret aut facerent guerram contra ipsum dominum regem Fredericum et homines dicte insule Sicilie, seu ipsum regem Fredericum tantum, seu eosdem homines Sicilie tantum, seu dictus rex Fredericus et homines dicte insule facerent, seu ipse rex Fredericus tantum faceret, seu dicti homines Sicilie tantum facerent guerram contra dictum dominum regem Karolum seu ejus heredes aut terram, pheuda, seu subditos eorumdem.

XLVII. — Actum est etiam quod dicti domini capitanei, abbas, commune, et popu[247]lus, seu alii rectores et gubernatores eorum seu ipsum commune teneantur ordinationes seu statuta facere ac servari facere, sub formidabilium adjectione penarum, quas tanti negotii qualitas exigit, et omnia remedia oportuna per se et eorum subditos adhibere quod omnes et singuli de Janua, et districtu ac pheudis suis contra ea omnia et singula que in presentibus conventionibus omnibus et singulis continentur per se vel alios venire aut aliquid attemptare non audeant, ac dictum dominum regem, heredes, filios, seu subditos suos, terram, pheuda, et honorem aut statum eorum offendere seu offendi procurare aut facere non attemptent publice vel occulte. Et si qui eorum contra facerent, dicti domini capitanei, abbas, commune, et populus, seu alii rectores et gubernatores eorum, seu ipsum commune bona fide procurent et studeant capere seu capi facere contra facientes hujusmodi, et tam in personis quam rebus et bonis, punire pro criminis qualitate.

Et si forte persone haberi non possent, fiat pene executio in bonis et rebus ipsorum. Persone autem per ipsos dominos capitaneos, abbatem, populum, et commune, seu alios rectores et gubernatores eorum, seu ipsum commune statim banniantur de civitate Janue ac ejus districtu et pheudis, et habeantur, reputentur, et tractentur pro inimicis et rebellibus eorum, et tanquam inimici et rebelles ipsorum et dicti communis, nullo umquam tempore reconciliande vel ad gratiam eorum seu ad civitatem vel ejus districtum aut pheuda reducende aut morari permittende, donec satisfactum sit per eos de pena, quam propterea incurrisse dictis dominis capitaneis, abbati, populo, et communi, seu aliis rectoribus et gubernatoribus eorum, seu ipsi communi, et donec predicto domino regi, heredibus aut subditis suis de dampnis, offensionibus seu gravaminibus que ipsis vel eorum aliquibus dicte persone intulissent aut inferri fecissent aut procurassent, emendam seu satisfactio-[248] nem fecerint condecentem, et sufficienter satisdent prefatis dominis capitaneis, abbati, populo, et communi, seu aliis rectoribus et gubernatoribus eorum, seu ipsi communi quod nunquam ex tunc per se vel alios committant similia publice vel occulte. Dicti vero domini capitanei, abbas, seu alii gubernatores et officiales dicti populi et communis in ingressu eorum officii jurare teneantur predicta statuta et ordinationes super premissis edenda et omnes conventiones presentes, cum omnibus que continentur in eis, servare et servari facere, sicut alia statuta dicti communis [1].

XLVIII. — Illud autem quod supra dictum est, quod dicti domini capitanei, abbas, commune, et populus, seu alii rectores et gubernatores eorum, seu commune ipsum adjuvare teneantur et commune ipsum teneatur dictum dominum regem et heredes suos, regnum, comitatus, et pheuda supradicta eorum, ac statum et honorem ipsorum, prout supra de singulis est expressum, tam in manutenendo, regendo et defendendo, quam recuperando insulam Sicilie supradictam et alia loca et pheuda ipsorum domini regis et heredum suorum que occupata sunt seu occuparentur, seu detinentur seu detinerentur per quascumque personas, et recuperata manutenendum et defendendum, necnon et galeas et pedites mittere in juvamen ejusdem domini regis vel heredum suorum, ut dictum est, intelligatur hoc modo, videlicet quod fiat ad expensas ipsius domini regis vel heredum suorum secundum taxationem subscri-

1. Le bas du folio 146 r° et le haut du verso sont en blanc.

ptam *(a)* scilicet quod idem dominus rex vel heredes sui dabunt dictis dominis capitaneis, abbati, communi, et populo, seu aliis rectoribus et gubernatoribus eorum, seu dicto communi, vel illi quem ad hoc ipsi vel dictum commune duxerint ordinandum, pro qualibet galea dicto modo armanda et mittenda in [249] auxilium et juvamen dicti domini regis seu heredum ejus, ut dictum est, libras sexcentas januinorum mensibus singulis, tam pro galea ipsa cum armis et munitionibus suis necessariis, quam pro stipendiis et panatica personarum, et omnibus aliis oportunis ejusdem galee et personarum ipsius, et pro quolibet balistario seu lancerio pedite solidos quinquaginta januinorum. Ita quidem quod quotiens dominus rex seu heredes ejus requisiverint hujusmodi subsidium vel juvamen galearum vel peditum, teneantur eidem communi vel statuendo per ipsum dare predicta taxata stipendia, pro galeis scilicet per unum mensem et dimidium, pro peditibus autem per dies viginti ante recessum ipsarum vel ipsorum de terris et portubus communis, pro tempore scilicet trium mensium numerandorum a die qua recesserint de portu vel civitate Janue ad predictum viagium *(b)* profecture vel profecturi. Et [si], postquam stipendia essent soluta, quilibet, qui stipendia recepisset, non veniret et serviret dicto domino regi vel ejus heredibus in predictis, teneatur restituere duplum dicto domino regi seu heredibus suis, seu dictum commune pro eo. Quod si pro majori tempore trium mensium dictus dominus rex vel heredes sui galeas seu pedites hujusmodi retinere vellent in suo juvamine et servitio supradicto, dicti domini capitanei, abbas, commune, et populus, seu alii rectores et gubernatores eorum *(c)* et ipsum commune teneantur, seu teneatur commune predictum ipsas galeas et pedites ibi remanere facere et alias et alios subrogare loco earum vel eorum, et servire ipsi domino regi seu ejus heredibus in predictis, toto tempore quo dictus dominus rex seu heredes sui voluerint, et idem dominus rex seu heredes sui teneantur, donec galeas ipsas seu pedites ipsos retinuerint, solvere eis predicta stipendia ad dictam rationem singulis mensibus in principio mensis cujuslibet, et ita fiat hujusmodi solutio ex eo tempore quod semper galee [250] ipse et pedites stipendia habeant pro tempore reditus eorum ad propria conveniente et necessario pro locorum distantia et temporum qualitate. Quarum galearum a[d]miratus, comiti, nauclerii, et universe persone armate seu

a) supradictam, *Bal.* — *b)* regnum, *Bal.* — *c)* ipsorum, *Bal.*

galearum dicti communis ac capitaneus peditum eligantur et instituantur per dictos dominos capitaneos, abbatem, commune, et populum, seu alios rectores et gubernatores eorum, seu ipsum commune, ac per eos seu ipsum commune injungatur ipsis omnibus, sub sacramento prestando et alia cautela quam ipsi domini capitanei, abbas, commune, et populus, seu alii rectores et gubernatores eorum seu ipsum commune viderint ad hoc oportunam, quod fideliter et continue, pro tempore stipendiorum receptorum et recipiendorum, servient eidem domino regi, et suis heredibus, et eorum sequacibus seu fautoribus, et partem eorum tenentibus, et eos pro eorum posse juvabunt in predictis et circa predicta, de quibus supra declaratum est in capitulo quod incipit : *Et versa vice dicti syndici dicti communis*, etc. [cf. *supra*, p. 199], et obedient a[d]mirato seu capitaneo generali exercitus seu armate ipsius domini regis seu heredum suorum, et erunt sub ducatu, gubernatione, et regimine dicti a[d]mirati regii seu capitanei generalis.

XLIX.—Acto tamen inter ipsas partes expressim in qualibet parte hujus contractus quod propter factum alicujus subditi dicti domini regis oriundi de regno, comitatibus seu pheudis predictis, seu sue ditioni subjecti *(a)* ratione incolatus vel alterius habitationis, vel alicujus subditi dicti communis oriundi de Janua, districtu seu pheudis suis, ipsius communis ditioni subjecti ratione incolatus vel alicujus habitationis, non committatur pena infrascripta contra ipsum dominum regem et heredes suos, aut contra dictum commune seu officiales utriusque aut alterutrius partium predictarum, sed in hoc casu tam ipse dominus rex, ex parte sua, quam dictum commune, ex sua, contra [251] hujusmodi subditos, seu subjectos aut districtuales eorum, deficientes in observatione conventionum presentium seu contentorum in eis aut alicujus eorum, seu facientem contra predicta seu aliquod predictorum, procedere teneantur cum effectu, secundum formam statutorum edendorum super hiis per ipsos dominum regem et commune, prout superius continetur. Eo tamen expresso, quia sic actum extitit, quod contra Grimaldos et alios extrinsecos de parte ipsorum, prout superius *(b)* dictum est, necnon et contra illos qui sunt ad presens et qui in posterum erunt rebelles seu inimici dicti communis, de quibus similiter superius dictum est, qui in presentium conventionum observatione seu alicujus contentorum in eis deficerent seu facerent contra

a) subjectis, *Bal.* — *b)* de quibus supra, *Bal.*

predicta vel aliquod predictorum, procedatur in casu ipso secundum formam que supra in diversis capitulis de hoc loquentibus est contenta. Nec intelligantur nec computentur inter oriundos de regno, comitatibus et pheudis supradictis dicti domini regis Karoli homines oriundi de insula Sicilie, seu ibi morantes, seu ibi habitantes, seu qui ibi receptarentur, quousque ipsa insula et homines dicte insule non redierint ad obedientiam, manus et dominium dicti domini regis Karoli. Verum per presens capitulum (quod incipit, *Acto etiam inter ipsas partes*, etc. [cf. *supra*, p. 205] non intelligatur esse derogatum nec adjectum capitulo supratacto (*a)*, quod incipit *Item si contingerit*, etc. [cf. *supra*, p. 192], sed ea omnia et singula, que in ipso capitulo continentur, intelligantur sicut jacent.

L. — Acto similiter quod ubicumque in predictis conventionibus dicti procuratores dicti domini regis promiserunt, quod ipse dominus rex ad aliquid teneatur, intelligatur ipse teneri dicto communi, intelligantur teneri et teneantur heredes dicti domini regis ad idem post mortem ipsius, et quod ubicumque dictum commune dicto domino regi ad aliquid teneretur intelligantur teneri et [252] teneantur ad idem ipsi domino regi et ejus heredibus post mortem ejus tam ipsum commune quam populus Janue et quicumque officiales ipsius communis et populi, quocumque officiorum nomine censeantur, qui sunt et quos in perpetuum esse contigerit, ita quod omnia post mortem dicti domini regis transeant ad heredes dicti domini regis, tam pro eis quam contra eos, et e converso tam pro ipso communi quam contra ipsum.

Insuper dicti procuratores dicti domini regis, dicto nomine, promiserunt dictis syndicis dicti communis officio publico stipulantibus nomine et vice dicti communis, et omnium et singulorum de Janua et districtu, quorum interest seu intererit, quod ipse dominus rex solvet seu solvi faciet omnibus et singulis de Janua et districtu ab eo recipere debentibus omnia debita, contracta seu recognita usque nunc per ipsum dominum regem, vel curiam suam, seu filios suos, aut aliquem eorum seu personam legitimam, potestatem ab eis seu aliquo eorum contrahendi seu recognoscendi habentem, de quibus constabit per litteras dicti domini regis seu filiorum suorum aut alicujus habentis dictam potestatem ab eis seu aliquo eorum seu per instrumenta publica ydonea et sufficientia. Et ipsam solutionem idem dominus rex teneatur facere hoc modo :

a) supradicto, *Bal.*

videlicet quod dictus dominus rex annis singulis a fine presentis anni in antea, scilicet a primo mensis septembris proximo venturi computandis, teneatur solvere infra solutionem dictorum debitorum usque ad integram solutionem et satisfactionem debitorum ipsorum ipsis creditoribus, scilicet cuilibet pro rata quantitatis sibi debite, vel alicui constituendo per ipsos debentes recipere florenorum duo milia auri boni et justi ponderis, et tempore cujuslibet solutionis fieri debeat sufficiens quietatio per ipsos debentes recipere vel legitimam personam pro eis ipsi domino regi seu solventi pro eo seu ad hoc per ipsum dominum regem deputando, et omnes et [253] singuli de Janua et districtu predicto modo debentes recipere teneantur exhibere instrumenta, litteras et jura ipsorum, seu exhiberi facere usque ad kalendas junii proximo venturas coram dicto domino rege seu ejus curia. Et intelligatur curia que erit in loco, in quo tempore exhibitionis erit dominus rex. Et si non exhiberent seu exhiberi facerent usque ad terminum ipsum dicta instrumenta, litteras et jura, illi qui usque ad dictum terminum non exhiberent, de predictis duobus milibus florenorum nichil petere possint primo anno a principio dicti mensis septembris in antea numerando. Possint tamen ipsi debentes recipere post lapsum dicti termini instrumenta, litteras et jura eorum exhibere, et eis satisfieri debeat dicto modo et per dicta tempora post primum annum in antea. Et intelligatur quod dictis creditoribus seu debentibus recipere excomputari et deduci debeat de hujusmodi debitis eorum totum illud quod de dictis debitis recepissent ab ipso domino rege vel ejus filiis vel curia sua seu alio vel aliis pro eisdem, seu illud quod occasione dictorum debitorum ad eos pervenisset de quibuscumque bonis dicti domini regis seu filiorum ejus aut quorumcumque subditorum suorum.

LII. — Et, versa vice, dicti syndici prefati communis, dicto syndicario nomine, promiserunt prefatis procuratoribus dicti domini regis officio publico stipulantibus, nomine et vice ipsius domini regis, et omnium et singulorum de predictis regno, comitatibus et pheudis, quorum interest seu intererit, quod dictum commune solvet seu solvi faciet omnibus et singulis de predictis regno, comitatibus et pheudis ab eo recipere debentibus omnia debita contracta seu recognita usque nunc per ipsum commune seu personam legitimam potestatem ab eodem communi contrahendi seu recognoscendi habentem, de quibus constabit per litteras dicti communis seu alicujus habentis dictam potestatem ab eo seu per instrumenta

publi[254]ca ydonea et sufficientia. Et ipsam solutionem dictum commune teneatur facere hoc modo : videlicet quod dictum commune annis singulis a fine presentis anni in antea, scilicet a principio mensis septembris proximo venturi, teneantur solvere infra solutionem dictorum debitorum ipsis creditoribus, scilicet cuilibet pro rata quantitatis sibi debite vel alicui constituendo per ipsos debentes recipere florenorum duo milia auri boni et justi ponderis, et tempore cujuslibet solutionis fieri debeat sufficiens quietatio per ipsos debentes recipere vel legitimam personam pro eis predicto communi seu ad hoc per ipsum commune deputando, et omnes et singuli de predictis regno, comitatibus et pheudis predicto modo debentes recipere teneantur exhibere instrumenta, litteras et jura ipsorum seu exhiberi facere usque ad kalendas junii proximo venturi coram predicto communi. Et si non exhiberent seu exhiberi facerent usque ad terminum ipsum dicta instrumenta, litteras et jura, illi qui usque ad dictum terminum non exhiberent de predictis duobus milibus florenorum nichil petere possint primo anno a principio dicti mensis septembris in antea numerando. Possint tamen post lapsum dicti termini ipsi debentes recipere, ut dictum est, et dicto communi litteras, instrumenta et jura eorum exhibere, et eis satisfieri debeat dicto modo, [et] *(a)* per dicta tempora post primum annum in antea. Et intelligatur quod dictis creditoribus seu debentibus recipere excomputari et deduci debeat de hujusmodi debitis eorum totum illud quod de dictis debitis recepissent a predicto communi, seu alio vel aliis pro eodem, seu illud quod occasione dictorum debitorum ad eos pervenisset de quibuscumque bonis dicti communis seu quorumcumque subditorum ipsius.

LIII. — Insuper actum est inter dictas partes dictis nominibus super infrascriptis ut infra : videlicet quia dicti procuratores dicti domini regis, procuratorio nomine, [255] et pro eo etiam nomine et vice omnium et singulorum subditorum dicti domini regis, pro quibus promiserunt de rato habendo, fecerunt dicti syndici dicti communis officio publico stipulantibus, et vice et nomine *(b)* dicti communis, et omnium et singulorum subditorum dicti communis, et cujuscumque interest seu intererit finem, remissionem et omnimodam quietationem et liberationem solemniter de omnibus laudibus represaliarum, contracambiis, et pignerationibus qualitercumque hacte-

a) et, *ajouté par Bal.* — *b)* et nomine, *omis par Bal.*

nus usque in hodiernum diem concessis aliquibus subditis dicti domini regis seu alicui eorum contra dictum commune Janue, subditos ejus, seu aliquas universitates subditas, seu aliquos subditos dicti communis Janue, et de omni et toto eo quod peti seu exigi possit ex vigore dictarum laudum seu pignorationum seu alicujus earum, et de omnibus dampnis, injuriis, rapinis et robariis hactenus qualitercumque illatis ipsi domino regi, ejus curie, filiis, officialibus, seu subditis, seu alicui eorum quocumque modo et quacumque ex causa per dictum commune Janue seu aliquos officiales dicti communis seu aliquos subditos seu aliquem subditorum dicti communis.

LIV. — Et, versa vice, similiter inter dictas partes, dictis nominibus, actum est quod dicti syndici prefati communis, syndicario nomine, pro eo et etiam *(a)* nomine et vice omnium et singulorum subditorum dicti communis, pro quibus promiserunt de rato habendo, fecerunt dictis procuratoribus ipsius domini regis officio publico stipulantibus, nomine et vice ipsius domini regis, et singulorum subditorum ipsius domini regis cuilibet cujus interest seu intererit finem, et remissionem, et omnimodam quietationem et liberationem solemniter de omnibus laudibus represaliarum, contracambiis et pignorationibus hactenus qualitercumque usque in hodiernum diem concessis aliquibus subditis dicti communis seu alicui eorum contra dictum dominum regem, subditos ejus, seu aliquas universitates et [256] singulares personas de dictis regno, comitatibus et pheudis, et de omni et toto eo quod peti seu exigi posset ex vigore dictarum laudum, seu pignorationum seu alicujus earum, et de omnibus dampnis, injuriis, rapinis et robariis hactenus qualitercumque illatis predicto communi vel subditis ejus seu alicui eorum quocumque modo et quacumque ex causa per dictum dominum regem, seu filios, aut aliquos officiales ejus, seu aliquos subditos seu aliquem subditorum dicti domini regis.

LV. — Et promiserunt dicti procuratores et syndici sibi ad invicem dictis nominibus, videlicet dicti procuratores dicti domini regis quod dictus dominus rex faciet et curabit quod omnes et singuli subditi ejus, universitates, et singulares persone, et dicti syndici dicti communis quod dictum commune faciet et curabit sic et taliter quod omnes et singuli subditi ejus, sive sint universitates, sive singulares persone, predictas remissiones, fines, et quietationes, et omnia et singula supradicta in duobus proximo prece-

a) omis par Bal.

dentibus capitulis contenta, scilicet in capitulo quod incipit, *Insuperactum est inter dictas partes dictis nominibus*, etc. [cf., *supra*, p. 208] et in capitulo quod incipit, *Et versa vice similiter*, etc. [cf., *supra*, p. 209] habebunt et tenebunt firma et rata, et tam ipsi subditi utriusque partis quam dictus dominus rex et commune nullo unquam tempore contrafacient seu venient, seu aliquis eorum contrafaciet vel veniet de jure vel de facto, et salvo quod per predictas remissiones, *(a)* fines et quietationes non videatur esse derogatum subditis dicti communis debentibus recipere ab ipso domino rege, filiis, seu aliquo *(b)* eorum, seu curia ejus, seu persona habente potestatem eos seu eorum aliquem obligandi, nec subditis dicti domini regis debentibus recipere a predicto communi vel legitima persona pro eo, de quibus debitis constaret per instrumenta seu litteras, ut superius est expressum, posito etiam quod hii sic debentes recipere laudes re[257]presaliarum consecuti fuissent.

LVI. — Acto tamen expressim quod per predicta seu aliquod predictorum non intelligatur esse facta remissio de dampnis, rapinis, injuriis seu violentiis illatis per dominum *(c)* regem Fredericum nunc tenentem insulam Sicilie, aliquem seu aliquos de dicta insula Sicilie, dicto communi Janue, aliquibus seu alicui de Janua seu districtu, personaliter vel realiter, nec etiam de aliquibus laudibus represaliarum concessis alicui seu aliquibus de Janua seu districtu per dictum commune seu officiales dicti communis contra dictum regem Fredericum et homines de dicta insula seu aliquos ex eis, nec in ipsis rege Frederico et hominibus dicte insule seu aliquo seu aliquibus eorum dicta remissio intelligatur locum habere.

LVII. — Item, actum est quod si aliquis subditus dicti domini regis aliquid recipere debet ex contractu preterito ab aliquo subdito dicti communis, seu aliquis subditus dicti communis ab aliquo subdito dicti domini regis, quod hinc inde debeat fieri summarium et expeditum jus per dictum dominum regem contra su[b]ditos ejus et per dictum commune contra suos infra quadraginta dies computandos a die petitionis seu declarationis oblate per conquerentem.

LVIII. — Et quia dictum dominum regem satisfacere oportebit subditis ejus habentibus laudes represaliarum seu pignorationes contra dictum commune et subditos ejus et subditis ipsius domini regis dampnificatis ut supra, et etiam dictum commune satisfacere oportebit subditis ipsius communis habentibus laudes represalia-

a) et, *ajouté par Bal.* — *b)* aliquibus, *Bal.* — *c)* dictum, *Bal.*

rum contra ipsum dominum regem et subditos ejus et subditis ipsius communis dampnificatis ut supra, actum fuit expressim quod liceat dicto domino regi illam exactionem, de qua sibi videbitur, imponere seu imponi facere exigendam per deputandos ad hoc per ipsum dominum regem seu ejus curiam ad opus suum in Janua, in terris et portubus districtus dicti communis que sunt domanii dicti [258] communis, a subditis ipsius domini regis tantum pro mercationibus eorum que ibi facient emendo vel vendendo seu alias mercando, vel inmittendo per mare vel per terram, vel per terram deferendo, et dictum commune *(a)* eodem modo liceat illam exactionem, de qua sibi videbitur, imponere seu imponi facere exigendam per deputandos ad hoc per dominos capitaneos seu commune ad opus suum in terris et portubus domanii dicti domini regis a subditis dicti communis tantum pro mercationibus eorum quas ibi facient emendendo vel vendendo seu mercando, extrahendo aut inmittendo per mare vel per terram, vel per terram deferendo. Et hec liceant que dicta sunt de dictis exactionibus imponendis et exigendis usque ad decennium ab hodie computandum, et etiam ante decennium, si antedictis qui habebant laudes sive pignorationes et dampnificatis ut supra fuerit satisfactum. Et si usque ad dictum decennium non fuerit satisfactum, debeat prorogari tempus dictarum exactionum faciendarum ultra dictum decennium, scilicet per tantum tempus infra quod illud, quod redigetur, ex dictis exactionibus sufficiat pro satisfactione predicta. Et ut certum sit hinc inde ad quas quantitates ascendunt summe laudum et dampnorum subditorum dicti domini regis qui habebant laudes represaliarum seu pignorationes, seu alias dampnificati erant ut supra, teneatur dictus dominus rex declarare dicto communi per ejus litteras dictas summas cum causis et nominibus usque ad festum Omnium Sanctorum proximo venturum, et eodem modo dictum commune teneatur declarare per litteras suas, cum causis et nominibus, ipsi domino regi usque ad dictum festum Omnium Sanctorum summas laudum et dampnorum subditorum dicti communis qui laudes represaliarum haberent seu essent dampnificati ut supra, ut ex hoc partes valeant informari an tempus dicti decennii pro dictis exactionibus convertendis in dictas satisfactiones sufficiat an non. Actum est [259] etiam quod exactiones que fiebant a quibusdam subditis domini regis in civitate Janue et districtu

a) dicto communi, *Bal.*

occasione quarumdam laudum represaliarum ex nunc omnino cessent.

LIX. — Item expresse actum est inter dictos procuratores regios et syndicos dicti communis, nominibus supradictis, quod dominus summus pontifex, qui est seu pro tempore fuerit, vel Ecclesia vacante, collegium dominorum cardinalium, habeant ex nunc potestatem compellendi utramque partium predictarum ad observationem omnium conventionum presentium per exactionem infrascripte pene et per impositionem et inflictionem penarum spiritualium, quas viderit seu viderint expedire. Et, si super observatione ipsa seu dicte pene aut penarum commissione, aut alia quacumque causa ex ipsis conventionibus dependente, inter partes easdem aliquo tempore, questio seu controversia oriretur, de hiis idem dominus summus pontifex vel Ecclesia vacante collegium summarie, de plano, sine strepitu et figura judicii, possint et hanc cognoscere et diffinire, ac debite executioni mandare et mandari facere. Cujus summi pontificis seu Ecclesia vacante collegii cognitioni, diffinitioni, compulsioni ac executioni dicti procuratores regii prefatum dominum regem et heredes suos et eorum subditos, dictique syndici memorati communis ipsum commune et populum Janue, dominos potestatem, capitaneos, abbatem populi, et generaliter quoscumque gubernatores, rectores et officiales alios dicti communis et populi, qui sunt et qui erunt in posterum, ac ipsum populum et commune, et eorum subditos submiserunt libere et expresse, et ipsos omnes stare et parere irrefragabiliter convenerunt, et obligaverunt. Hoc acto expresse quod hujusmodi cognitione, diffinitione, compulsione seu executione facta vel non facta, et dicta pena seu penis soluta seu inflictis, seu non soluta nec inflictis, nichilominus partes ipse ad observandum efficaciter omnes conven[260]tiones presentes perpetuo teneantur.

LX. — Insuper promiserunt dicti procuratores dicti domini regis, procuratorio nomine, pro ipso domino rege, dictis syndicis dicti communis, dicto nomine stipulantibus, quod dictus dominus rex presentes conventiones, et omnia et singula in presentibus conventionibus contenta ratificabit et approbabit de novo, se ad cautelam obligabit de predictis omnibus et singulis attendendis et observandis infra quindecim dies, post requisitionem dicti communis seu dictorum syndicorum pro dicto communi.

LXI. — Item actum et expressum est quod ubicumque in toto presenti contractu fit mentio de pheudis domini regis, intelligatur de

ipsis pheudis domini regis, in quibuscumque locis existant. Intelligendum tamen quod inter ipsa pheuda non comprehendatur terra, quam tenet imperator Grecorum in suo demanio, sed comprehendatur tota terra et omnia pheuda que in partibus Romanie, tam insulis quam terra firma, tenuit et possedit seu quasi olim clare memorie dominus rex Karolus primus, et que nunc tenet et possidet seu quasi dictus dominus rex seu vir inclitus dominus Philippus, princeps Achaye et Tarenti, natus ejus, salvis terris quas tenet dictus dominus imperator in suo demanio. Sed hoc expresse, quod si aliqui barones seu pheudatarii de predictis terra et pheudis, quam et que dictus quondam dominus rex Karolus primus tenuit, et que dictus dominus rex et dictus dominus princeps tenent et possident, seu alter eorum tenet et possidet seu quasi, debellassent hactenus vel in antea debellarent eisdem domino regi et principi seu alicui eorum, intelligatur quod hujusmodi terra seu pheuda includantur et inclusa sint inter terram et pheuda dicti domini regis, et non inter terram seu pheuda imperatoris ejusdem. Salvis semper omnibus terris quas tenet dictus dominus imperator in suo demanio.

LXII.—Que omnia et singula, prout superius [261] sunt contenta, promissa, et conventa per dictos procuratores dicti domini regis dictis syndicis, seu que acta sunt inter dictos procuratores, ex una parte, et dictos syndicos, ex altera, promiserunt dicti procuratores dicti domini regis, dicto procuratorio nomine, dictis syndicis stipulantibus ut supra, quod dictus dominus rex attendet, complebit et observabit, attendi, compleri et observari faciet, prout superius actum est, et nullo tempore contrafaciet vel veniet, de jure vel de facto, sub pena marcharum centum milium boni et puri argenti. Que pena totiens committatur et exigatur, quotiens fuerit contra factum, et ea commissa vel non, et soluta vel non, semel vel pluries, predicta omnia et singula rata et firma perpetuo inviolabiliter perseverent. Et pro predictis omnibus et singulis sic observandis obligaverunt dicti procuratores dicti domini regis dictis syndicis, dicto nomine, stipulantibus omnia bona dicti domini regis, et juraverunt [in animam] ejusdem domini regis. Et renuntiaverunt dicti procuratores auxilio cujuslibet juris canonici, civilis, municipalis, et cujuslibet constitutionis edite et edende, et cujuslibet consuetudinis introducte vel introducende, et cujuslibet statuti, tractatus et ordinamenti editi vel edendi, quo contra predicta vel aliquod predictorum dictus dominus rex posset

seu heredes ejus possent facere vel venire, vel adversus premissa seu aliquod premissorum aliquatenus se tueri. Que renuntiatio, licet generalis, ex pacto expressim adhibito tantum debeat comparari quantum compararetur *(a)* si expressim et nominatim singulis juribus canonicis et civilibus et municipalibus, statutis, tractatibus, et ordinamentis, ac consuetudinibus, que viderentur premissis seu alicui premissorum in aliquos refragari, fuisset renuntiatum expressim, licet etiam de jure renuntiatio, nisi nominatim facta et expressim, non valeret.

LXIII. — Et vice versa dicti syndici dicti com[262]munis predicta omnia et singula, prout superius sunt contenta, promissa et conventa per dictos syndicos dicti communis, dictis procuratoribus, seu que acta sunt inter dictos syndicos, ex una parte, et dictos procuratores, ex altera, promiserunt dicti syndici dicti communis, dicto syndicario nomine, pro ipso communi, dictis procuratoribus stipulantibus ut supra quod dicti domini capitanei, abbas, et populus, et quicumque alii rectores seu gubernatores dicti communis et populi, ac ipsum commune, et quilibet officiales qui pro tempore preerunt ipsi communi, attendent, complebunt, et observabunt, attendi, compleri, et observari facient per ipsum commune ac universitates et singulares personas ipsius communis, prout superius actum est, et nullo tempore contrafacient vel venient de jure vel de facto sub pena marcharum centum milium boni et puri argenti. Que pena totiens committatur et exigatur quotiens fuerit contrafactum, et ea commissa vel non, et soluta vel non, semel vel pluries, predicta omnia et singula rata et firma perpetuo inviolabiliter perseverent. Et pro predictis omnibus et singulis sic observandis obligaverunt dicti syndici dicti communis dictis procuratoribus, dicto nomine, stipulantibus omnia bona dicti communis et universitates ipsius communis, et juraverunt in animam dicti communis, non obstantibus aliquibus defensionibus, exceptionibus, dilationibus seu juribus quibuscumque competentibus dicto communi de jure vel ex forma capitulorum seu statutorum vel ordinamentorum aut tractatuum dicti communis; quibus omnibus dicti syndici, dicto nomine, renuntiaverunt expressim et ex certa scientia. Et renuntiaverunt etiam expressim omni auxilio cujuslibet juris canonici et civilis et municipalis et cujuslibet constitutionis edite vel edende et cujuslibet consuetudinis

a) operari quantum operaretur, *Bal.*

introducte vel introducende et cujuslibet statuti, tractatus et ordinamenti editi vel edendi, quo contra predicta vel aliquod [263] predictorum dicti domini capitanei seu rectores, gubernatores et officiales predicti communis, seu dictum commune et populus possent facere vel venire vel adversus premissa seu aliquod premissorum aliquatenus se tueri, et quod contra predicta vel aliquod predictorum non possint dicti syndici, dictis nominibus, seu dictum commune seu ipsius universitas seu singulares persone aut officiales quicumque dicti communis opponere vel allegare de jure vel de facto, seu etiam ratione restitutionis in integrum. Que renuntiatio, licet generalis, ex pacto expressim adhibito tantum debeat operari quantum operaretur, si expressim et nominatim singulis juribus canonicis et civilibus et municipalibus, statutis, tractatibus, et ordinamentis ac consuetudinibus que viderentur premissis seu alicui premissorum in aliquo refragari foret renuntiatum expressim, licet etiam de jure renuntiatio nisi nominatim facta et expresse non valeret.

LXIV. — Et predicta omnia et singula fecerunt et gesserunt ut supra dicti syndici, dicto nomine, quia predicta omnia et singula ante exposita fuerunt concilio majori et ancianis. Ad quod consilium, quod convocatum et coadunatum extitit, cornu et campana more solito, auctoritate et decreto domini Parpiniani de Adalasiis, vicarii nobilis viri domini Merini de Suardis, de Pergamo, potestatis Janue, et magnifici viri dicti *(a)* domini Opitzini, capitanei communis et populi Janue, gerentis vices suas, et domini Barnabo de Auria, capitanei, consocii sui, necnon domini Nicholay Frambe, abbatis dicti populi convocati. Et presentes fuerunt vicarii domini abbatis vexilliferi dicti populi, conestabuli veteres et novi, et etiam magna quantitas nobilium et aliorum popularium dicte civitatis. Et in ipso consilio deliberatum et firmatum fuit quod predicta pacta fieri et firmari debeantur per dictos syndicos dicti communis tunc sufficienter confirmatos et constitutos. Et in ipso consilio ad predicta [264] firmanda, contrahenda et facienda cum procuratoribus dicti domini regis dicti syndici constituti fuerunt, ut patet in actis dicti communis. Ex cujus deliberationis, firmationis, et constitutionis vigore et auctoritate predicti syndici omnia et singula supradicta, in presenti instrumento contenta, et quodlibet predictorum fecerunt, contraxerunt et firmaverunt, prout superius sunt expressa.

a) omis par Bal.

LXV. — Et insuper dicti procuratores dicti domini regis dicto nomine ex pacto adhibito in presentibus conventionibus promiserunt dicto domino Opitzino capitaneo quod dictus dominus rex attendet et complebit ipso domino Opitzino *(a)* ea que dicti procuratores supradicto domino Opitzino promiserunt, et que de eo acta sunt, seu ad personam dicti domini Opitzini sunt relata, sub penis, ypothecis et obligationibus supra adjectis per dictos procuratores. Et etiam ex pacto adhibito promiserunt dicti procuratores dicti domini regis, dicto nomine, michi notario infrascripto, officio stipulanti, vice et nomine dicti marchionis Montisferrati et ejus heredum, quod dictus dominus rex et ejus heredes attendent, complebunt et observabunt, et attendi, compleri et observari facient omnia et singula que supra in favorem dicti domini marchionis seu pro utilitate ipsius dicta sunt, seu pro ipso domino marchione cauta, seu ad ejus personam sunt relata, sub eisdem penis, ypothecis et obligationibus de quibus supra continetur. Et ad majorem firmitatem juraverunt corporaliter tactis scripturis, dicti procuratores dicti domini regis et renuntiaverunt in omnibus et per omnia, prout supra juraverunt et renuntiaverunt. Est etiam actum quod dicti procuratores et dicti syndici in predictis non intelligantur nec sint eorum nomine in aliquo obligati, nec aliquo tempore seu aliquo casu possint personaliter vel realiter in aliquo conveniri.

XXXV

[265] Procuratorium[1] nuntiorum Henrici VII, regis Romanorum, venientium pro eo ad praesentiam domini Clementis V papae. — Après août 1309.

Anno nativitatis Christi millesimo trecentesimo nono, kalendis mensis julii vel circa, infrascripti nuntii seu procuratores regis Romanorum illustris, venientes ad presentiam domini pape, ex

a) quod dictus dominus... Opitzino, *passage omis par Bal.*

---

1. Baluze s'est servi du ms. latin *4038 B* (ancien *9919*), fol. 154 r°-159 r° (Bibliothèque nationale de Paris). On a reproduit ici le texte donné par J. Schwalm, *Monumenta Germaniae, Constitutiones et acta publica imperatorum et regum*, t. IV, pars 1, n. 302, p. 268, Hannover, 1906.

parte dicti regis, presentaverunt sibi quoddam procuratorium suum, cujus tenor talis est.

Sanctissimo in Christo patri et domino suo domino Clementi, sacrosancte romane et universalis Ecclesie summo pontifici, Henricus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, cum reverentia debita, devota pedum oscula beatorum. Cupientes ferventi desiderio vobis, patri ac domino nostro clementissimo, et apostolice Sedi zelum nostre devotionis offerre, nosque vestris et ipsius Sedis beneplacitis coaptare, nostroque et sacri imperii statui, sicut expedit, providere, venerabiles Ottonem, Basiliensis, et Sifridum, Curiensis ecclesiarum episcopos, principes nostros, et spectabiles viros Amedeum, comitem Sabaudie, affinem nostrum, Johannem Dalphini, Albonensem et Viennensem comitem, Guidonem de Flandria, consanguineum nostrum, Johannem, comitem de Saraponte, fideles nostros dilectos, et honorabilem virum magistrum Symonem de Marvilla, vestrum capellanum, thesaurarium Metensem, etc., *ut apud Schwalm*, n. 293.

Item presentaverunt sibi decretum electionis dicti regis, cujus tenor inferius continetur, proponentes et offerentes eidem domino pape pro dicto domino suo zelum devotionis ac promptitudinem reverentie filialis, et ab eo petentes favorem apostolicum et alia que tam ex [266] procuratorio suo quam ex pronuntiatione domini pape, que sequitur, colliguntur.

Decretum electionis regis Romanorum. — 11 août 1309.

In nomine Domini. Amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo nono, indictione septima, die undecima introitus mensis augusti, pontificatus sanctissimi patris et domini nostri domini Clementis, divina providentia pape quinti, anno quarto. Cunctis tenore istius instrumenti publici pateat evidenter quod hoc est transcriptum seu transumptum cujusdam instrumenti publici et aut[h]entici, non vitiati, non cancellati, nec aboliti, nec in aliqua sui parte suspecti, sed omni vitio et suspicione carentis, confecti manu Arnoldi, dicti de Puteo, clerici Coloniensis, sacrosancte romane Ecclesie ac sacri imperii auctoritate notarii publici, ejusque signo signati, signatique sigillis reverendi patris in Christo domini.. archiepiscopi Treverensis et inclitorum virorum.. comitis Palatini,.. ducis Saxonie, ac.. marchionis Brandeburgensis, ut prima facie apparebat, cujus tenor de verbo ad verbum talis est.

Sanctissimo in Christo patri ac domino suo domino.. sacrosancte romane Ecclesie summo pontifici Baldewinus Dei gratia Trevirorum archiepiscopus, sacri imperii per regnum Arelatense archicancellarius, necnon Rodolphus, eadem gratia comes Palatinus Reni, Bawarie, et Rodolphus, Saxonie duces, ac Waldemarus, marchio Brandenburgensis, ad quos jus una cum venerabilibus patribus.. Coloniensi et.. Maguntinensi archiepiscopis, Romanorum regem in imperatorem promovendum dinoscitur pertinere, devotissima pedum oscula beatorum. Vacante nuperrime, videlicet anno Domini millesimo trecentesimo octavo, ipsa die beatorum Philip[p]i et Jacobi apostolorum, per obitum clare memorie domini Alberti, quondam Romanorum regis, [regno] seu romano imperio, et nobis una cum [267] dictis dominis Henrico, Coloniensi, et Petro, Maguntinensi archiepiscopis, nostris coelectoribus, pro futuri regis substitutione postmodum convenientibus in diem electionis, videlicet quartam feriam ante festum beati Andree apostoli, que est vicesima septima dies mensis novembris, concordavimus et com[m]uniter ipsam diem prefiximus ad electionem hujusmodi celebrandam. Qua die in oppido Frankvort, loco quidem ad hoc solito et consueto, nobis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt electioni celebrande com[m]ode interesse, iterum convenientibus et ibidem presentibus, deliberatione provida prehabita ad procedendum in electionis negotio prelibato, ego Baldewinus, Treverensis archiepiscopus predictus, in scriptis legi monitionem et protestationem quamdam vice mea et omnium jus in ipsa electione habentium, monendo omnes excommunicatos, suspensos ac etiam interdictos, necnon quoscumque alios, si qui forent forsitan inter eos qui de jure vel consuetudine interesse in ipsius electionis negotio non deberent, quod a tractatibus electionis celebrande et ab eadem electione recederent, me et alios libere eligere permittentes, protestans quod non esset mea vel aliorum intentio tales admittere tanquam jus in electione habentes aut procedere vel eligere cum eisdem, immo volui quod voces talium, si qui reperirentur postmodum interfuisse, nulli prestent suffragium nec alicui afferant nocumentum, et prorsus pro non receptis sive pro non habitis habeantur. Quam protestationem nos omnes et singuli alii nostri coelectores ratam et gratam habentes et acceptantes consensimus in eamdem.

Et demum post tractatus prehabitos, consideratis sollicite et diligenter circumstantiis et statu personarum diversarum per quas seu per quem regno vacanti posset utilius provideri, in illustrem

virum Henricum, comitem Luczelenburgensem, virum utique catholicum, orthodoxe fidei fervidum zelatorem, Ecclesie [268] Dei et ministrorum ejusdem ac pacis sancte ab ineunte etate sua, experientia, que est rerum efficax magistra, attestante, devotum et humilem amatorem, strenuum, de alto et generoso sanguine procreatum, in omni morum honestate perspicuum et preclarum, affabilem, benignum, et mansuetum, ac in aliis agibilibus pro regimine rei publice quamplurimum circumspectum, nostrum intuitum, divina disponente clementia, convertentes, ego Baldewinus, Treverensis archiepiscopus, pro me et nomine meo, prefatus Henricus, Coloniensis archiepiscopus, pro se et nomine suo, ac jam dictus archiepiscopus Maguntinensis pro se et nomine suo, ego vero Rodolphus, dux Bawarie, pro me et nomine meo, ego quidem Rodolphus, dux Saxonie, pro me et nomine meo similiter, et ego Waldemarus, marchio Brandenburgensis prenarratus, pro me et magnifico viro Othone marchione Brandenburgensi, patruo meo, cujus vices in hac parte gero, necnon illustrium virorum Johannis et Erici, fratrum, ducum Saxonie, qui etiam vices suas in hoc casu michi com[m]iserunt, si de jure vel de consuetudine repertum fuerit eos fore in ipsa electione admit[t]endos, vice et nomine, votis nostris et aliorum coelectorum nostrorum predictorum per Coloniensem archiepiscopum predictum, vice et ex mandato speciali omnium nostrorum coelectorum predictorum *(a)*, diligenter inquisitis, nos et dicti alii coelectores nostri, omnes et singuli, jus in electione dicti regis habentes, consensimus *(b)* concorditer in eumdem comitem et ipsum nominavimus quilibet nostrum pro se, nullo penitus, ut premittitur, discrepante, in Romanorum regem eligendum et in futurum imperatorem promovendum et in advocatum sacrosancte romane et universalis Ecclesie ac defensorem viduarum et orphanorum.

Quibus sic peractis, ego Rodolphus, comes Palatinus Reni predictus, de mandato et voluntate speciali coelectorum meorum omnium predictorum eumdem Henricum, comitem Luczelenburgensem, elegi solempniter in hunc modum: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Cum vacante regno [269] seu imperio Romano *(c)* per mortem bone memorie domini Alberti, quondam Romanorum regis, vocatis qui fuerant evocandi et qui jus in electione futuri Roma-

a) per Coloniensem archiepiscopum... nostrorum predictorum, *passage omis par Bal.* — *b)* consentimus, *Bal.* — *c)* Romanorum, *Bal.*

norum regis habere dinoscuntur, et presentibus die ad eligendum prefixa omnibus qui debuerunt, voluerunt, et potuerunt com[m]ode interesse, placuerit omnibus ad electionem procedere futuri regis, inquisitis votis omnium et singulorum jus in electione ipsius regis habentium, omnes et singulos electores predictos appareat ex premissis direxisse concorditer vota sua in illustrem virum Henricum, comitem Luczelenburgensem, in eum consentiendo et ipsum nominando in Romanorum regem eligendum, per cujus quidem comitis experte strenuitatis merita ac fidei puritatem et constantiam speratur sacrosancta romana et universalis Ecclesia potenter ac utiliter posse defensari ac in spiritualibus et temporalibus votiva suscipere incrementa, ac etiam res publica provide dirigi et pariter superno sibi suffragante auxilio gubernari, ego Rodolphus, comes Palatinus Reni, vice mea et coelectorum meorum omnium jus in ipsa electione habentium, ex potestate michi ab eisdem tradita specialiter et concessa, eumdem Henricum, comitem Luczelenburgensem, invocata Sancti Spiritus gratia, eligo in Romanorum regem, in imperatorem futurum promovendum, in advocatum sacrosancte romane et universalis Ecclesie, ac defensorem viduarum et orphanorum.

Electione autem hujusmodi celebrata, eam omnes et singuli electores alii predicti ap[p]robavimus, et *Te Deum laudamus* alta voce fecimus decantari, et dictum nostrum electum, qui presens extitit, et electioni de se facte divine nolens resistere voluntati, interpellatus a nobis reverenter consensit, ad ecclesiam fratrum Predicatorum in Frankenvort deduximus, et deinde electionem ipsam clero et populo fecimus solempniter publicari. Eapropter sanctitati vestre tam devote quam humiliter voto unanimi supplicamus ut ip[270]sum Henricum, sic devote et concorditer electum in Romanorum regem, ut est dictum, paternis ulnis amplectentes, eidem munus consecrationis conferendo, sibi de sacrosanctis manibus vestris sacri imperii dyadema dignemini loco et tempore favorabiliter impertiri, ut sciant et intelligant universi quod posuerit in lucem gentium vos Dominus [et] per vestre sanctitatis arbitrium orbi terre post nubilum exoptata serenitas illucescat. Ceterum ut beatitudo vestra cognoscat evidentius vota nostrum omnium in predictis omnibus et singulis concordasse ac in petitione hujusmodi existere unanimes et concordes, presens electionis nostre decretum sanctitati vestre transmittimus cum sigillorum nostrorum appensione ex certa nostra scientia robora-

tum ; quod etiam ad majorem horum certitudinem per manum Henrici Lobruch, clerici, notarii infrascripti, in hanc publicam formam redigi fecimus et conscribi ; quemadmodum hoc idem decretum etiam nos Rodulphus, comes Palatinus Reni, [Bawarie], et Rodolphus, Saxonie duces, ac Waldemarus, marchio predicti, per Arnoldum de Puteo, clericum Coloniensem, publicum notarium, similiter, de nostro et prefati Coloniensis archiepiscopi mandato, publicari fecimus et conscribi, ac per ipsum Arnoldum et Heydenricum de Essende, notarios publicos, huic decreto subscribi. Acta sunt hec in domo fratrum Predicatorum in Frankenvort, presentibus venerabili patre domino Johanne, episcopo Argentinensi, et honorabilibus viris dominis Henrico, abbate Fuldensi, Ernesto, decano Coloniensi, Symone de Marvilla, thesaurario Metensi, et Petro de Esch, clerico, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis, anno Domini, die et loco predictis, indictione septima.

Subscriptio vero ejusdem notarii talis est. Et ego Arnoldus dictus de Puteo, clericus Coloniensis, sacrosancte romane Ecclesie ac sacri imperii publicus notarius, monitioni et protestationi per supradictum dominum Baldewinum, Treveren[271]sem archiepiscopum, inquisitioni votorum eligentium per dominum Henricum, Coloniensem archiepiscopum, factis, et electioni per dominum Rodolfum, comitem Palatinum Reni, subsecute, et omnibus aliis et singulis premissis, prout hec in instrumento presenti narrantur, una cum testibus suprascriptis presens interfui, ea vidi et audivi, et eisdem de speciali jussu et mandato dominorum archiepiscopi Treverensis, comitis Palatini Reni, ducis Saxonie et marchionis Brandenburgensis, electorum predictorum per manum Henrici, dicti de Kolbruch, clerici *(a)*, notarii supradicti, in hanc publicam formam redactis et co[n]scriptis, me subscribens, presens publicum instrumentum meo signo consueto signavi et roboravi, vocatus propter hoc specialiter et rogatus, sub anno Domini, indictione, die et loco predictis. Et ego Bernardus de Gotrico, clericus Caturcensis dyocesis, apostolica et imperiali auctoritate notarius publicus, prout in predicto instrumento originali, omnia et singula, prout supra continentur, vidi, inveni et legi, ita hic in isto petio carte, de verbo ad verbum, nil addens vel minuens quod sensum mutet vel aliquatenus vitiet intellectum, nisi forte per errorem, litteram vel sillabam, non tamen ex certa scientia, propria

a) dicti de Kolbruch, clerici, *omis par Bal.*

manu scripsi et transumpsi, et cum discretis viris Petro Amalvini, Burdegalensis, Hugone de Faudoavis, Albiensis, Raymundo de Quercu, Sancti Caprasii de Agenno, et Othone de Borquen, Sancti Andree Coloniensis ecclesiarum canonicis, viris discretis, clericis et bene litteratis, fideliter de verbo ad verbum ascultavi et legi. Et quia dictum instrumentum cum ista presenti scriptura bene et sine diminutione et augmento quibuscumque totum concordare inveni, in hanc formam publicam redegi, meoque signo solito signavi, rogatus et requisitus, sub anno Domini, indictione, die et pontificatu predictis ad habendam perpetuam memoriam de premissis. Datum Avinione, in domo fratrum Predicatorum [272] dicti loci, in camera seu hospitio reverendi in Christo patris domini B[ertrandi], Dei gratia Albiensis episcopi, ac domini pape Camerarii, sub anno, indictione, die et pontificatu premissis.

Tenor pronunciationis domini papae factae post multos dies et longa deliberatione habita super facto regis Romanorum.

Auditis et diligenter intellectis que venerabiles fratres nostri.. Basiliensis et.. Curiensis episcopi, et dilecti filii nobiles viri Amedeus, Sabaudie, et Johannes, Salaburgensis, Johannes Dalphini Viennensis, Guido de Flandria comites, et Symon de Marvilla, procuratores et nuntii carissimi in Christo filii nostri magnifici principis Henrici, comitis de Lucemborc, in regem Romanorum electi, necnon principum illorum de Alamania, ad quos de jure et *(a)* antiqua consuetudine jus eligendi regem in imperatorem postmodum promovendum noscitur pertinere, coram nobis et fratribus nostris et postmodum coram nobis frequenter proposuerunt, petierunt et supplicaverunt, et proponere, ac petere et supplicare voluerunt, oblato etiam nobis ipsius electionis decreto, et ipso per nos et fratres nostros examinato, et etiam examinatione similiter in presentia eorumdem fratrum per nos facta de conditionibus persone ipsius electi in quantum ipso absente fieri potuit, que requiruntur in illo qui est ad tam excellentis dignitatis culmen assumendus, quia ipsum sufficientem et virtuosum invenimus ad imperium obtinendum et omnia in electione predicta de ipso celebrata rite processisse, ipsum carissimum filium nostrum Henricum

a) ab. *Bal.*

electum reputamus, nominamus, denunciamus et declaramus regem Romanorum, de ipsorum fratrum consilio, justitia exigente, et personam ipsius approbantes pronunciamus et declaramus esse sufficientem, habilem et ydoneam *(a)* ad promovendum in impera-[273]torem. Decernimus etiam et pronuntiamus inunctionem, consecrationem et coronam romani imperii per manus nostras debere sibi concedi, loco et tempore oportunis ad [que offerimus nos pa]ratos, ex nunc concedentes eidem nostram et sancte romane Ecclesie consuetos gratiam et favorem, precipientes ex nunc omnibus subditis suis quod eidem tanquam regi Romanorum vero efficaciter pareant et intendant. Et quia citius non possumus, cogitatis que nobis imminent pro concilio generali, quod tenere habemus, et alias facienda, festum Purificationis beate Marie, quod erit usque ad biennium computandum a proximo futuro festo Purificationis ejusdem, in basilica principis apostolorum de Urbe pro predictis complendis eidem assignamus, retinentes nobis, sicut et de jure retentum est, quod si predictis die et tempore in predictis vacare com[m]ode non possemus, possimus ea prorogare, si et prout expedire viderimus, offerentes nos paratos recipere juramentum a predicto rege nobis debitum in anima[m] ipsius, quod ipsi frequenter se obtulerunt prestaturos, habentes ad hoc plenam et liberam ac generalem potestatem et speciale mandatum super hoc a dicto rege, quod incontinenti prestiterunt.

Instrumentum fidelitatis praestitum domino papae per nuntios et procuratores regis Romanorum

In nomine Domini. Amen. Noverint universi hoc instrumentum publicum inspecturi, etc., *ut apud Schwalm n. 297.*

Sanctissimo in Christo patri et domino suo domino Clementi, sacrosante romane ac universalis Ecclesie summo pontifici, Henricus, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, cum reverentia debita, devota pedum oscula beatorum. Cupientes ferventi desiderio vobis, etc., *ut supra pag. 217.*

Deinde reverendus pater dominus [274] Neapoleo, Sancti Adriani dyaconus cardinalis, publice legit quamdam cedulam continentem formam juramenti quod dicti procuratores et nuntii domino pape ac Ecclesie romane in animam et nomine dicti regis pre-

a) idoneum, *Bal.*

stare debebant. Qua lecta, secundum formam illam dicti procuratores et nuntii juramentum hujusmodi prestiterunt in modum sequentem. Nos Sifridus, Curiensis episcopus, Amedeus, comes Sabaudie, Johannes Dalphini Viennensis et Albonensis comes, Guido de Flandria, Johannes comes de Saraponte, et Symon de Marvilla thesaurarius Metensis, nuntii et procuratores serenissimi principis Henrici Romanorum regis, etc., *ut apud Schwalm, n. 296*. Quibus factis, idem dominus summus pontifex publice precepit michi, notario infrascripto, quod de predictis publicum conficerem instrumentum. Acta fuerunt premissa loco et die predictis, presentibus prefato domino Bertrando, episcopo Albiensi, domini pape Camerario, domino Arnaldo abbate monasterii Fontisfrigidi sancte romane Ecclesie vicecancellario, domino Bernardo, archiepiscopo Rothomagensi, domino Galhardo, abbate monasterii Sancti Severi, Adurensis diocesis, domino Bernardo Royardi, archidiacono Xanctonensi, domino Cinthio, de Urbe, canonico Parisiensi, domino Guillelmo Accursi, sacrista Caturcensi, domino Pontio, priore de Benevento, Lemovicensis dyocesis, domino Johanne de Furnis, canonico Furnensi, domini pape capellanis, domino Raynaldo de Setia, domino Roberto de Gornay, militibus, et Sancio de Faurgis, magistris hostiariis domini nostri predicti, et quampluribus et multis aliis testibus ad predicta vocatis et rogatis.

Et ego Oddo Leonardi de Sermineto, Terracinensis dyocesis *(a)*, camere domini pape clericus et apostolica auctoritate notarius publicus, predictis omnibus, una cum predictis et aliis quampluribus et multis testibus, presens interfui, et de mandato dicti domini [275] nostri summi pontificis predicta omnia fideliter scripsi, et in hanc publicam formam redegi, et signum meum posui consuetum.

Littera[1] sanctissimi patris et domini nostri domini Clementis papae V, regi Romanorum. — Avignon, 26 juillet 1309.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Henrico, regi Romanorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem (b). Divine sapientie imperscrutabilis altitudo exemplo

a) Oddo... dyocesis, *omis par Bal.* — *b)* salutem... benedictionem, *omis par Bal.*

1. Cf. regestum Clementis papae V, ed. Benedictinorum, Romae, 1884, n. 4302.

celestium terrena disponens, rigansque montes de superioribus *(a)* suis ut suorum operum fructu inferior *(b)* mundi machina salubriter dirigatur, sicut in firmamento celi duo luminaria magna constituit ut orbem vicibus alternis illustrent, sic in terris duo precipua et suprema, sacerdotium videlicet et imperium, ad plenum regimen et gubernationem spiritualium mundanorumque constituens, utriusque potestatem superna provisione discrevit ut eorum perutilis ministerii operosa diversitas nulla adversitate dissentiens tam in executione commissi regiminis quam in voti unitate concordes, ipsorumque procul dubio universis profutura concordia alterutrius fulta presidiis ac mutuis favoribus utriusque confota, liberius justitie opus exerceat, pacem mundo pariat, tranquillitatem inducat, et nutriat unitatem. Imperium quidem ad salutem fidelium sacerdotali auctoritate dirigitur, et ipsius adjutum presidiis, sedatis interdum procellosis imminentium tempestatum turbinibus, tranquillum redditur et quietum. Sacerdotium vero pium et tutum debet habere recursum ad imperialem mansuetudinem debita sibi veneratione conjunctam, ut imperii romani fastigium et ejus culmini presidens specialis advocati et defensoris precipui circa Ecclesiam gerat officium, et in ipsius fortitudine brachii defensentur Ecclesie libertates et jura manuteneantur ipsarum, extirpentur hereses, cultus christiane fidei amplietur, et inimicis con[276]sternatis ejusdem *(c)*, in pacis pulcritudine sedeat populus christianus et in requie opulenta quiescat. Sane nuper venerabiles fratres nostri Otto, Basiliensis, et Siffridus, Curiensis episcopi, et dilecti filii nobiles viri Amedeus *(d)*, Sabaudie, Johannes dalphini Viennensis, et Albonensis comites *(e)*, Guido de Flandria, Johannes comes de Seraponte, et magister *(f)* Symon de Marvilla, thesaurarius Metensis, ambassiatores, procuratores, et nuntii tui ex parte tua cum pleno et sufficienti mandato, etc., *ut apud Schwalm, n.* 298, *usque* assignamus ; eo tamen salvo, ut, si, die et loco predictis, nos ad premissa casu aliquo contingeret non intendere, absque alicujus inconstantie nota et sine tua displicentia liceat nobis terminum prorogare predictum sicut, quando et quotiens nobis videbitur expedire. A dictis quoque procuratoribus, etc., *ut apud ibidem.* Datum Avinione, septimo kalendas augusti, anno quarto.

a) superioris, *Bal.* — *b)* fructum inferioris, *Bal.* — *c)* eidem, *Bal.* — *d)* comes *ajouté par Bal.* — *e)* comes, *Bal.* — *f) omis par Bal.*

LITTERA DOMINI PAPAE SUBDITIS REGIS ROMANORUM.
Même date.

Clemens, etc., universis personis ecclesiasticis et secularibus subditis carissimi in Christo filii nostri Henrici, regis Romanorum illustris, cujuscumque preminentie, status vel conditionis existant, salutem, etc., ut in proxime superiori usque favorem et gratiam consuetos. Ideoque vos omnes et vestrum *(a)* singulos hortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes quatinus dicto regi quasi precellenti, et ducibus, procuratoribus, nuntiis et officialibus ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quantum ad vos et singulos vestrum communiter vel divisim pertinuerit, efficaciter intendere ac parere sibique de juribus suis integraliter respondere curetis. Datum ut supra.

XXXVI

[277] LITTERAE[1] PHILIPPI IV, REGIS FRANCORUM, DE GRATIA FACTA PETRO DE BORDIS, FRATRI BERTRANDI, TITULI SANCTORUM JOHANNIS ET PAULI PRESBYTERI CARDINALIS. — Mainneville, juin 1311.

Philippus, etc., Notum, etc., quod nos, obtentu dilecti et specialis amici nostri Bertrandi, tituli Sanctorum Johannis et Pauli presbiteri cardinalis, de gratia speciali concedimus quod dilectus Petrus de Bordis, valletus noster, frater suus, licet ex utroque parente nobilis forsitan non existat, trecentas libratas turonenses annui et perpetui redditus cum alta et bassa justitia meroque ac mixto imperio ubicumque in pheudis, retropheudis, censivis et allodiis nostris pro se, heredibus ac successoribus suis quibuscumque legitimis titulis acquirere valeat, non obstante quod consimilem gratiam sibi alias duximus concedendam, quam, premissis non obstantibus, in suo robore volumus permanere, easque postquam duxerit acquirendas, vel si jam forsitan acquisiverit easdem, ipse Petrus, heredes ac successores ejusdem habere, tenere et possidere perpetuo possint pacifice et quiete absque coactione vendendi vel extra manum

a) omis par Bal.

---

1. *JJ 46*, fol. 39 r°, n. 40 et 41 (Archives nationales).

suam ponendi aut prestandi financiam pro eisdem. Salvo in aliis jure nostro, et in omnibus alieno. Contemplatione insuper cardinalis predicti prefato Petro volentes facere gratiam ampliorem, eidem Petro concedimus quod a quolibet ad hoc ydoneo cingulum recipere valeat militarem, et quod ex tunc ipse posterique sui nobilium gaudeant dignitate. Que ut firma et stabilia perpetuo perseverent, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Mediamvillam, anno Domini MCCC undecimo, mense junii.

Philippus, Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis pre-[278]sentibus et futuris quod cum dilectus Petrus de Bordis, valletus noster, dominus loci seu ville de Launaco, dyocesis Tholosane, prope Tholosam, in eadem villa ejusque territorio et districtu minorem justitiam seu jurisdictionem, incursus et emendas de quinque solidis usque ad sexaginta solidos tholosanorum habere noscatur, propter obsequia nobis per eum fideliter impensa considerationeque dilecti et specialis amici nostri Bertrandi, tituli Sanctorum Johannis et Pauli presbiteri cardinalis, personam ipsius Petri honorare volentes, eidem Petro suisque heredibus et successoribus concedimus in perpetuum et donamus merum et mixtum imperium et omnimodam jurisdictionem altam et bassam ville predicte, pertinentiarum ejusdem ville, et ejus territorii et districtus, cum omnibus incursibus et emendis, ac emolumentis, redditibus, et obventionibus, ac juribus quibuslibet pertinentibus ad predicta; homagium, ressortum, superioritatem et calvacatam nobis et successoribus nostris in premissis perpetuo retinentes. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Nostro in aliis et alieno in omnibus jure salvo. Actum apud Mediamvillam, anno Domini MCCC undecimo, mense junii.

XXXVII

Ejusdem regis litterae [1] de gratia speciali facta Arnaldo Novelli, tituli Sanctae Priscae presbytero cardinali. — Abbaye Notre-Dame la Royale de Maubuisson, juin 1311.

Philippus, etc. Notum, etc., nos dilecto et speciali amico nostro Arnaudo, tituli Sancte Prisce presbitero cardinali, de speciali gratia

1. *JJ 46*, fol. 35 v°, n. 35 (Archives nationales).

concessisse quod ipse quinquaginta libras turonenses annui et perpetui redditus ubicumque in feodis, retrofeodis, censivis vel allodiis nostris quocumque justo titulo acquirere valeat, easque in quascumque per[279]sonas ecclesiasticas seculares vel religiosas aut collegium vel universitatem transferre, quodque persone, collegium, aut universitates in quas seu quod cardinalis ipse predictas quinquaginta libras reddituales duxerit transferendas, eas tenere ac possidere perpetuo valeant absque coactione vendendi vel extra manum suam ponendi aut prestandi financiam pro eisdem. Salvo in justitia et aliis jure nostro, et in omnibus alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum in abbatia regali Sancte Marie juxta Pontisaram, anno Domini MCCC undecimo, mense junii.

XXXVIII

Litterae[1] ejusdem Philippi regis pro venerabili patre Petro de Capella, episcopo Penestrino, sanctae romanae Ecclesiae cardinali. — Saint-Ouen, août 1311.

Philippus, etc. Notum, etc., quod cum venerabilis pater Petrus, episcopus Penestrinus, sancte romane Ecclesie cardinalis, amicus noster carissimus, in villa de Capella, Lemovicensis dyocesis, originis sue loco ac proprio et natali solo, collegiatam ecclesiam in honore Dei et beate virginis gloriose, in qua canonici, capellani et clerici seculares Deo et eidem beate virgini perpetuum famulatum impendant, pia devotione fundare ac convenienter dotare proponat, nos augmentationem divini servitii cordi habentes, piumque dicti cardinalis propositum attendentes, necnon considerantes grandia et accepta servitia que cardinalis ipse, ante et post promotionem suam ad cardinalatus honorem, nobis et regno probatis impendit effectibus et impendere continue non desistit, volentes propterea ipsum retributione prosequi favoris et gratie specialis, ejus precibus annuentes, sibi presentium tenore concedimus quod ipse ecclesiam predictam [280] fundare, necnon et claustrum sibi conveniens in loco predicto construere, ac claustrum ipsum competentis spatii limitibus designandum murorum ambitu communire, ac quadringentas

1. *JJ 46*, fol. 60 v°, n. 80 (Archives nationales).

libras turonenses annui et perpetui redditus pro dote ipsius ecclesie ubicumque in feodis, retrofeodis, censivis et allodiis nostris sine alta justitia acquirere valeat, quodque ecclesia predicta, canonici, capellani et clerici instituendi, ut predicitur, in eadem predictas quadringentas libras reddituales habeant, teneant et possideant perpetuo, pacifice et quiete, absque coactione vendendi, vel extra manum suam ponendi aut prestandi aliquam financiam pro eisdem. Preterea ecclesiam et claustrum predicta ac prefatas personas et familiam earumdem, necnon bona et jura dicte ecclesie, ex nunc prout ex tunc in nostra regia protectione suscipimus et gardia speciali. Salvo, etc. Quod ut firmum, etc. Datum apud Sanctum Audoenum prope Sanctum Dyonisium in Francia, anno Domini millesimo trecentesimo undecimo, mense augusti.

Sequens epistola poni debuit in ipso ferme initio istius collectionis actorum veterum, sed excidit. Itaque illam subjicere placuit postremis actis quæ damus ad Petrum de Capella pertinentibus [*Bal.*].

Bonifacii VIIJ epistola[1] ad Philippum IV, regem Francorum, de episcopatu Tolosano collato in Petrum de Capella, episcopum Carcassonensem. — Rieti, 25 octobre 1298.

Bonifacius, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Si sollicita meditatione discutiat regalis prudentie magnitudo, gratum et acceptum non modicum regi regum obsequium exhibetur et meritorum plerumque retributione multiplici fore dinoscitur apud eum pro minimis grandia largientem, si ob ipsius reverentiam ecclesiarum prelati, qui divina ministeria prosecuntur et gre[281]gis dominici curam gerunt, condignis pertractentur honoribus, favoribus fove[a]ntur uberibus, et oportunis auxiliis fulciantur, cum tanto commodius et efficacius officia sibi commissa exerceant quo illos suffragio muniri contigerit ampliori. Ecclesia siquidem Tholosana per obitum bone memorie Arnaldi, Tholosani episcopi, qui nuper apud Urbem veterem debitum nature persolvit, solatio destituta pastoris, nos gerentes ad eamdem ecclesiam specialis dilectionis affectum, eamque plenis favoribus confoventes, ac intendentes eidem de persona juxta cor nostrum ydonea providere,

1. D'après le ms. latin *10919*, fol. 29 r° et v° (Bibliothèque nationale de Paris).

predictam ecclesiam a die quo vacasse dinoscitur ordinationi et provisioni apostolice Sedis et nostre, ea vice, auctoritate apostolica, duximus reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane si secus de prefata ecclesia contra hujusmodi reservationis nostre tenorem, scienter vel ignoranter, a quoquam contingeret attemptari, et tandem ad personam venerabilis fratris nostri Petri, episcopi Tholosani, cujus grandia probitatis merita, experte prudentie magnitudo ac aliarum virtutum insignia nobis incognita non existunt, quemque ad ipsius ecclesie Tholosane regimen credimus et speramus fore perutilem et multipliciter fructuosum, nostre mentis oculos duximus convertendos. Ideoque intendentes, patris more solliciti, ecclesie prelibate profectibus ejusque statui utiliter providere, eumdem Petrum, dudum Carcassonensem episcopum, a vinculo quo ecclesie Carcassonensi tenebatur astrictus absolvimus, ipsumque ad eamdem Tholosanam ecclesiam transferentes, ipsi ecclesie, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, in episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius sibi in spiritualibus et temporalibus committendo, eique plenam et liberam exhibendo licentiam ad prefatam Tholosanam ecclesiam transeundi; firma concepta fiducia speque nobis indubia suggerente, quod eidem Tholosane eccle[282]sie per ipsius Petri oculate circumspectionis industriam, suumque ministerium studiosum, divina favente clementia, votiva prosperitatis incrementa provenient, et honoris multiplicis cumulus producetur. Quocirca serenitatem regiam rogandam attente duximus et hortandam quatinus eumdem episcopum, quem ob suorum exigentiam meritorum benivolentia prosequimur speciali, et commissam sibi ecclesiam habens pro nostra et apostolice Sedis reverentia propensius commendatos, sic te illi benignum exhibeas, sic favorabilem largiaris, ipsum et eamdem ecclesiam regalis benivolentie gratia prosequendo, quod idem episcopus, tuis presidiis circumfultus, commissum sibi regimen facilius et efficacius, cooperante Domino, prosequatur, nosque proinde magnitudinem regiam dignis in Domino laudibus attollamus. Datum Reate, VIII kal. novembris, pontificatus nostri anno quarto.

XXXIX

Philippi IV, regis Francorum, litterae[1] pro Berengario Fredoli, episcopo Tusculano. — Vienne, avril 1312.

Philippus, etc. Notum, etc., quod cum nos olim concessissemus venerabili patri B[erengario], episcopo Tusculano cardinali, amico nostro speciali, quod ipse centum libras turonenses anni et perpetui redditus in domaniis, possessionibus, redibenciis, et juribus quibuscumque, tam in feodis nostris quam retrofeodis et censivis, posset acquirere, et acquisitas transferre quocumque licito titulo in monasterium canonicarum ecclesie Biterrensis per ipsum cardinalem fundatum, et quod religiose dicti monasterii eas possent in perpetuum tenere absque coactione vendendi vel extra manum suam ponendi et absque prestatione financie cujuscumque, et, sicut nobis exposuit cardinalis predictus, littere quas a nobis super pre[283]missis habuerat sint amisse non facto acquestu predicto, nobisque supplicaverit, ut gratia per nos ei facta de predictis debitum consequatur effectum, quod alias litteras nostras velimus prefato monasterio concedere et annullare, si reperirentur, priores, nos ipsius cardinalis in hac parte laudabile propositum attendentes, ac considerantes affectum quem habet ad divini cultus augmentum, eisdem monasterio et religiosis ipsius cardinalis obtentu concedimus de gratia speciali ut religiose ipse suo et dicti monasterii nomine ac ipsum monasterium tam in feodis nostris quam retrofeodis et censivis, in domaniis, possessionibus, redibenciis et juribus quibuscumque dictas centum libras turonenses annui et perpetui redditus quocumque licito titulo possint acquirere, et quod religiose ipse taliter acquisitas eas, suo et dicti monasterii nomine, ac ipsum monasterium tenere possint perpetuo, pacifice et quiete, absque coactione vendendi, vel extra manum suam ponendi seu prestandi nobis vel successoribus nostris financiam aliquam de eisdem. Priores autem litteras nostras super predictis alias confectas ac per nos concessas cardinali predicto, si eas aliquibus temporibus reperiri contingeret, decernimus non valere nec aliquam habere de cetero roboris firmitatem. Quod ut ratum, etc., nostro in aliis, etc. Actum apud Viennam, anno Domini MCCC duodecimo, mense aprilis.

1. *JJ 46*, fol 131 r°, n. 234 (Archives nationales).

XL

Bulla[1] Clementis V qua Arnaldùm de Auxio, episcopum Pictaviensem, S. R. E. Camerarium, declarat sibi reddidisse rationem administrationis suae. — Abolène, 19 mai 1312.

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Arnaldo, episcopo Pictavensi, Camerario nostro, salutem et apostolicam benedictionem. Fidelis dispensator et prudens, quem Do[284]minus super familiam suam confidenter constituit, digne laudationis meretur premium reportare cum ipse dominus ejus adveniens eum sub fidelitatis et prudentie virtute repererit sibi dispensationis credite ministerium exercere. Cum itaque nos, qui tuam dum nos status habebat inferior familiaritatem et sollicitudinem familiari ac domestica conversatione probavimus, postquam celestis dignatio ad apostolatus apicem nos assumpsit, administrationem recipiendi dona *(a)*, fructus, debita, census et quecumque alia obvenientia nobis et camere nostre, et ex hiis *(b)* dispensandi, expendendi [et] administrandi nobis et hospitio, familie ac curie nostre, et Ecclesie romane, tibi usque ad beneplacitum nostrum commisissemus exercendam juxta discretionem a Domino tibi datam, tu, mandatum hujusmodi nostrum devote suscipiens, administrationem ipsam exercuisti fideliter, et nobis petentibus super administratione ipsa reddidisti bona fide plenam, sufficientem et legitimam rationem; qua solerter inspecta et diligenter examinata, de omnibus et singulis que hactenus, a tempore quo ad dictum apicem assumpti fuimus, tam in monetis minutis et grossis argenteis quam florenis auri de Florentia, et monetis aliis aureis, ac in massis et vasis ac anulis argenteis et aureis, lapidibus pretiosis, jocalibus, pannis aureis, sericis, et laneis, et quibusvis utensilibus et supellectilibus, cujuscumque materie fuerint, et aliis quibuscumque bonis mobilibus seu se moventibus aut nominibus *(c)* ex quavis causa, quandocumque et ubicumque et a quibuscumque nomine nostro seu romane Ecclesie, per te vel per alium, percepisti, profecto comperimus quod de

a) bona, *Bal.* — *b)* ipsis, *Bal.* — *c) un blanc dans Baluze.*

---

1. D'après le registre Vatican 59, fol. 232 v°, *de curia*, cap. 32. — *Ex archivo S. Petri de Romevo*, Bal.

omnibus et singulis predictis per te *(a)* receptis et expensis, per te vel de tuo mandato factis ac traditis pro nobis, hospitio, familia, ac nostra curia et Ecclesia romana, ac de nostro mandato facta dispunctione ac compensatione ac calculatione legitimis omnium et singulorum predictorum penes te de receptis ipsis [285] nulla reliqua seu residua remanere, sed ea nobis integre reddidisti, restituisti seu prestitisti, teque nobis ac nostre camere vel Ecclesie romane usque ad diem date presentium inclusive de predictis aliquid non debere; super quo tuam fidelitatem et solertiam merito commendantes, ac propter hoc volentes tuis indempnitatibus precavere, rationem ipsam per te nobis, ut premittitur, redditam, quam sufficientem, plenam et legitimam reputamus atque decernimus, ratam et gratam habentes, eam ex certa scientia approbamus, teque et successores ad ecclesiam et heredes tuos et tua ac ipsorum bona eorumque possessores de premissis omnibus, apostolica auctoritate, pro nobis et Ecclesia romana, et *(b)* ad plenum absolvimus et quitamus, et volumus quod de predictis vel aliquo predictorum nullam unquam de cetero tenearis reddere rationem, nec ad hoc possis ab aliquo coarctari, tibi super hiis ad tuam perpetuam defensionem presentes vera nostra bulla bullatas litteras concedentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum *(c)* decreti, approbationis, absolutionis, quitationis, voluntatis et concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Abolene, Tricastrinensis dyocesis, XIIII kal. junii, pontificatus nostri anno septimo.

XLI

PHILIPPI, FRANCORUM REGIS, LITTERAE[1] DE GRATIA FACTA ARNALDO NOVELLI CARDINALI QUOD QUINQUAGINTA LIBRAS TERRAE SUAE POSSIT TRANSFERRE IN PERSONAS ECCLESIASTICAS. — Paris, janvier 1314, n. st.

Philippus, etc. Notum facimus universis tam presentibus quam futuris nos dilecto et speciali amico nostro Arnaldo, tituli Sancte

a) ac *au lieu de* per te, *Bal.* — *b) omis par Bal.* — *c)* nostri, *ms.*

1. D'après *JJ 49*, fol. 80 v°, n. 186 (Archives nationales).

Prisce presbitero [286] cardinali, de speciali gratia concessisse quod ipse quinquaginta libras turonenses annui et perpetui redditus ubique in feodis et retrofeodis, censivis vel allodiis nostris quocumque justo titulo acquirere valeat easque in quascumque personas ecclesiasticas seculares vel religiosas, aut collegium vel universitatem transferre, quodque persone, collegium aut universitates, in quas seu quod cardinalis ipse dictas quinquaginta libras reddituales duxerit transferendas, eas tenere ac possidere perpetuo valeant absque coactione vendendi vel extra manum suam ponendi aut prestandi financiam pro eisdem, non obstante quod idem cardinalis ex alia consimili gratia nostra sibi a nobis facta certum redditum alias acquisivit; quam gratiam pretextu nostre concessionis presentis vel aliter non intendimus revocare. Quod ut ratum et stabile perpetuo perseveret, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum, salvo in justitia et in aliis jure nostro, et in omnibus alieno. Actum Parisius, anno Domini MCCC tertio decimo, mense januarii.

XLII

Epistola[1] encyclica cardinalium Italorum de incendio urbis Carpentoratensis post obitum Clementis V papae. — Valence, 8 septembre [1314].

Venerabilibus in Christo patribus, religiosis viris fratribus Cisterciensium de Firmitate, de Pontigniaco (a), de Claravalle (b) et de Morimundo monasteriorum abbatibus, necnon et generali capitulo ordinis Cisterciensis, amicis karissimis, miseratione divina frater

a) Ponturnaco, *ms.* — *b)* Clare Valle, *ms.*

---

1. Le ms. latin *4991 A* (ancien Colbert *2835*) de la Bibliothèque nationale de Paris, fol. 85 r°-86 r°, n'offre qu'un texte très corrompu des trois lettres suivantes. On a cru devoir reproduire le texte du recueil des *Historiens de France*, t. XXIII, p. 202-203, qui a été restitué d'après la teneur d'une lettre adressée au roi d'Angleterre, le 10 septembre, et reproduite dans Rymer, *Foedera*, t. II, pars 1, p. 254. W. Prynne, *The history of king John, Henry III and the most illustrations K. Edward I*, London, 1670, p. 1229, a publié cette dernière lettre d'après un original, aujourd'hui perdu, existant jadis dans la Tour de Londres sous la cote *An. I. E I.*

Nycholaus Hostiensis et Velletrensis (a) episcopus, Neapoleo Sancti Adriani, Guillermus Sancti Nicholay in carcere Tulliano, Franciscus Sancte Marie in Cosmedin, et Jacobus et Petrus de Collumpna, sancte romane Ecclesie diaconi cardinales, salutem et sinceram in Domino caritatem. Etsi ab uni[287]versis et singulis christiane fidei detestanda cultoribus pericula gravia et scelerata *(b)* flagitia presumpta nuper in curia et crudeliter perpetrata per Vascones in offensam Dei et Ecclesie romane contemptum, gravamen, et concussionem *(c)* status ejus, nisi superna Dei *(d)* dextera (que sanctum Petrum in fluctibus ne mergeretur erexit) etiam *(e)* nobis, quos de mortis eripuit faucibus, astitisset, credamus ad aures vestras per vulgaris fame preloquium pervenisse, nec geramus dubium audita facinora, velut acuta jacula, vehementer ob zelum divini nominis et honorem Ecclesie vestra pupugisse precordia ; quia, tamen interdum loci distantia facti variat veritatem, ipsam vobis puram et liquidam, nulla verborum fictione compositam, vestro conspectui presentamus. Et quidem dum nos et alii ejusdem Ecclesie cardinales, post obitum domini Clementis pape quinti, essemus in episcopali *(f)* palatio civitatis Carpentoratensis ad eligendum futurum summum pontificem *(g)*, sub uno conclavi, et nos cardinales Ytalici, non querentes que nostra sunt, sed que Dei, neglectis singularibus affectionibus reciprocis in nos ipsos petteremus hominem ad sustinendas *(h)* collumpnas Ecclesie, qui dictam Ecclesiam refformando dirigeret, essetque in hoc tantum nostra omnis cura, omnis intentio, hic affectus ; subito Vascones, seu quod libram examinis sub futuro summo pontifice, teste conscientia, formidarent, seu quod armorum violentia crederent hereditario jure Dei sanctuarium possidere, ex deliberato atque proposito, tamen sub palliato colore deferendi videlicet corpus ejusdem pape, in copiosa peditum et equitum armatorum multitudine convenerunt ; et scelus quod mente conceperant producentes in actum, die XXIIIJ *(i)* julii arma sumpserunt bellica, et sub ordinatione Bertrandi de Goto *(j)* et Raymundi Guillermi, dicti pape nepotum *(k)*, civitatem Carpentoratensem intrantes, multos curiales Ytalicos (cum soli Ytalici pete-

a) Bellaciensis, *ms.* — *b)* gravia scelera et *au lieu de* pericula gravia et scelerata, *Bal.* — *c)* gravemque concussionem, *Rymer.* — *d)* sibi, *Rymer.* — *e)* ac etiam, *ms. et Rymer.* — *f)* speciali, *ms.* ; *omis par Bal.* — *g)* ad providendum Ecclesie Dei de futuro summo pontifice, *Rymer.* — *h)* sustentandas, *Rymer.* — *i)* XXIII, *Rymer.* — *j)* Guto, *Bal.* — *k)* nepotis, *ms.*, *Rymer.*

rentur ad mortem) immaniter *(a)* trucidarunt, et se ad pre[288]dam convertentes et spolia, crescente rabie ac ad crudelia fervescente furore *(b)*, in diversis civitatis partibus incendia posuerunt. Nec hiis contenti, plurium *(c)* cardinalium ex nobis hospitia duris *(d)* insultibus et inje[c]tis ignibus invadentes, bella ibidem acerrima cum clangore tubarum hostiliter intulerunt. Invalescente tandem graviori periculo et horribili *(e)* (sicut in captis civitatibus assolet) increscente *(f)* rumore, multitudo Vasconum *(g)* armatorum ostium dicti conclavis obsedit acclamando : *Moriantur cardinales Ytalici. Volumus papam, volumus papam.* Et ipsis in hujusmodi acclamatione frementibus, alia multitudo Vasconum et equitum armatorum plateam dicti conclavis invasit, similibus circumdato palatio vocibus acclamando. Nos vero prefati cardinales Ytalicir*(h)* circumsepti tantis angustiis, et mori tam turpiter tam c udeliter metuentes, cum omnia circa conclave armatorum multitudo teneret, neque publicus pateret egressus, tandem posteriorem murum palatii, facto inibi *(i)* parvo foramine, pro nostra salute rupimus, et *(j)* de Carpentorate postmodum dispersi discedentes, non sine mortis periculo ad diversa loca discessimus *(k)* et per misericordiam Dei, que *(l)* nos salvos reddidit, ad terras pervenimus amicorum. Consideret igitur vestra prudentia quod ob ipsorum Vasconum feritatem non deffuit quin effuso sanguine principalium membrorum Ecclesie, que benignis ipsos lactavit uberibus, ditavit et complevit honoribus, statum ejus confusione perpetua cum impressione confunderent, et christianum nomen infidelibus darent in derisum et fabulam et opprobrium sempiternum. Ceterum premissis omnibus que cum tantis injuriis passi sumus nequaquam obstantibus, nos pacem et unitatem Ecclesie petimus, ipsamque *(m)* summo conamine procuramus. Sed si *(n)* ex aliena culpa procederet negotium (quod avertat Altissimus) ad rupturam de nostro erga Deum et Ecclesiam *(o)* zelo certos nos reddimus quod una nobiscum (qui [289] Dei honorem et quod rectum est agimus, et pro justitia et veritate certamus) fides vestra concurret ; et sic per vos et alios orthodoxe fidei

a) inhumaniter, *cod. et Bal.* — *b)* rabie firmoque fervescente furore, *ms.* — *c)* plurimorum, *Bal.* — *d)* diversis, *Rymer.* — *e)* gravissimo, *ms. et Bal.* — *f)* increbescente, *Bal.* — *g)* et equitum, *ajoutés par Bal.* — *h)* Volumus papam... cardinales Ytalici, *passage omis par le ms.* — *i)* ibidem, *Rymer.* — *j)* *omis par Bal.* — *k)* secessimus, *Bal.* — *l)* que est illa que, *cod. et Bal.* — *m)* ipsasque, *Rymer.* — *n)* videlicet quod si *au lieu de* Sed si, *ms. et Bal.* — *o)* justitiam, *Bal. et ms.*

professores ipsi Domino nostro Jhesu Christo et Ecclesie sancte sue in sua causa favebitur, sic promptis affectibus assistetur, quod et divino honori congruet, et eidem Ecclesie satisfiet. Presentes autem litteras per discretum virum Guntherum de Vilestenheim, capellanum Spirensem *(a)*, nostrum portitorem ipsarum, volumus vobis nostro nomine presentari. Datum Valentie, die octava septembris.

XLIII

NEAPOLEONIS DE URSINIS CARDINALIS EPISTOLA[1] AD PHILIPPUM REGEM FRANCORUM DE STATU ROMANAE ECCLESIAE POST OBITUM CLEMENTIS V. — Mai-24 juillet 1314[2].

Serenissimo principi et magnifico domino Philippo, Dei gratia regi Francorum illustri, Neapoleo, sancte romane Ecclesie cardinalis tituli Sancti Adriani, recommendationem et paratam ad beneplacita voluntatem. Experientia dolorosa *(b)* preteritorum eventuum michi et sociis reverendis patribus dominis cardinalibus, qui in alia clausura fuimus, magistra facta est futurorum. Nam meminimus nos *(c)* mensibus fuisse in carcere Perusii, in quo solus Deus novit cum quantis periculis corporis et sollicitudinibus cordis extitit laboratum, et reliqui demum meos socios *(d)* ut possem habere pontificem de regno, cupiens regi et regno esse provisum, et sperans quod quicumque regis sequeretur consilium, Urbem et orbem bene regeret et Ecclesiam reformaret. Et quoniam cum multis cautelis, quibus potuimus, hunc qui decessit elegimus, per quem credebamus regnum et regem magnifice exaltasse. Sed, proh dolor! versa est in luctum cithara nostra. Nam regi vel regno, si subtili merito pensentur defuncti opera et sub

a) Guntherum de Vilestentamen, capellanum Spirensem, *texte restitué par Bal.* ; Guntherum de Vilestenheim, capellanum et penitentiarium, *Recueil des Historiens de France* ; Gunchetum de Vilestentamen, capellanum Yspirentem, *ms.* — *b)* dolosa, *Bal.* — *c)* sex, *Bal.* — *d)* domum meam solito, *Bal.* ; dni *ou* dm, *ms.* ; *en note* meam solita.

---

1. D'après le ms. latin *4991 A*, fol. 86 r°-87 v°. On a reproduit le texte du *Recueil des Historiens de France*, t. XXIII, p. 203-205. — 2. Cette lettre ne semble pas postérieure au conclave de Carpentras, qui prit fin tragiquement le 24 juillet 1314. Cf. J. Asal, *Die Wahl Johanns XXII*, Berlin, 1910, p. 14-15.

eo gravia [290] suborta pericula, nec provisum nec est precautum, sed precipitia periculosa cautela subfossa, nisi divina manus per semetipsam misericorditer complanasset. Urbs tota sub eo per eum extreme ruine subjacuit, et Sedes beati Petri immo Domini nostri Jhesu Christi disrupta est, et patrimonialis Ecclesia *(a)* non per predones potius quam rectores spoliata est et confusa, et adhuc subjacet vastitati. Italia tota, ac si non esset de corpore, sic quoad omnia est neglecta, immo dolosis anfractibus et comminatis seditionibus dissipata quod posset fides Christi in threnis *(b)* Hieremie renovare lamenta. Nam quasi nulla remansit cathedralis ecclesia vel alicujus ponderis prebendula que non sit potius perditioni quam provisioni exposita. Nam omnes quasi per emptionem et venditionem vel carnem et sanguinem possidentibus, immo usurpantibus, advenerunt. Dimittamus *(c)* quod de XXIIIJ cardinalibus, quos in Ecclesia posuit, nullus in Italia *(d)* est repertus que *(e)* aliquando credita fuit sufficientes *(f)* habere personas, sed per eum fuit hoc. Quinimmo nos Italici, qui ipsum bonum credentes posuimus, sicut vasa testea rejecti fuimus, adeo quod ad omnia que ad statum cardinalatus respiciunt, sicut clerici habebamur. Precipiens de *(g)* periculosis negotiis mundi, cum quibus voluit ecclesiis venditis *(h)* quibus placuit. Sepe etiam cassatis concordiis electionis, absque juris ordine, de valentibus personis, quando publicare volebat, in nostrum crepicordium vocabamur. Plus tamen volo quod sine nostri commercio ista processerint *(i)* quam participes fuerimus fructus mortis. O quot dolores mortis sustinuimus ista videntes, et maxime ego, qui amicorum vivorum et defunctorum cordis punctiones quasi juges recepi quod eis fecerim istud malum. Hoc solum consolationis habui inter doloris aculeos, mortis mentis et corporis, quod ejus electione nonnisi Dei et regis et regni [honorem], quem unum credidi, intendebam. Propter quod credo quod Dei misericordia in ultimo compassionis modo fecit *(j)* cum [291] tentatione proventum ut non pereat omnis caro. Nam nunc volens Ecclesiam reducere ad angulum Vasconie, talia que scimus pro certo conceperat et jam ordinaverat quod vere se ipsum, si complesset, et Ecclesiam destruxisset.

a) omis par Bal. — *b)* terris *(sic), ms.* — *c)* dimittimus, *Bal.* — *d)* ecclesia, *Bal. et ms.* — *e)* cum, *mis ici par Bal. et ms.* — *f)* sufficiens, *Bal. et ms.* — *g)* precipico *au lieu de* habebamur. Precipiens de, *Bal. et ms.* — *h)* benedicis, *Bal. et ms.* — *i)* processerunt, *Bal.* — *j)* mundo faciet, *Bal. et ms.*

Non dubitet dominus noster rex quod mundus, quoad principes plures laicos et prelatos, clericos et capellanos, non secus [sentit], immo [propter] predicta mala et multa alia que omittimus, tam de infinitate pecunie Ecclesie, que inabissata *(a)* disparuit, quam de aliis que referre est longum, replevit *(b)* platas *(c)*, et habent oculos apertos et manus et corda prompta ad periculosam displicentiam ostendendam, si contingeret, quod Deus avertat, similium operum fieri successorem. Pro certo, domine mi rex, non fuit nec est intentionis mee sedem mutare de Roma nec apostolorum sanctuaria facere remanere deserta, quia in fundamentis fidei sedes universalis Ecclesie Roma *(d)* est stabilita. Propter predicta sublato ad tribunal Dei predicto domino, nos cardinales Italici, Deum habentes pre oculis, constantes fidei et animarum salutis potius quam pecunie zelatores [virum petimus Ecclesie regende aptum], et qui cum aliis sufficientiis debitis scilicet Christi ostendat vicarium sancta vita, et qui sit amicus regis et regni, et qui terre sancte negotium, quod rex assumpsit, prosequatur efficaci opere, non fallaci sermone, et qui difformata corrigat, simoniam excludat, que [tanquam] licita *(e)* mercatio videtur usque nunc cucurrisse, et qui parentes suos de spoliis Ecclesie non faciat in [exactione] *(f)* cleri et christiani populi ins[tr]uere *(g)*. Pro tali habendo jejunare non tedebit, quia predicta omnia in mortariolo cordis trita *(h)* nobis *(i)* adhuc prebent sapidum salsamentum. Licet aliqui inter nos Italicos sint boni, et bonos alios in diversis partibus cognoscamus, quia tamen volumus *(j)*, sicut fuimus sic corde opere nos *(k)* communes ad rem facibilem et communem nostros convertimus *(l)* cogitatus, et nominavimus a principio, et in eo stamus firmi, cardinalem bone fame, re[292]cte, ut credimus, conscientie, excellentis scientie, probatum in multiplici regimine, et in omnibus suis actibus a clero et populo commendatum, et qui est de regno et zelator honoris regis et regni, corde sincero, non vacuo verbo, et per defunctum pontificem ad archiepiscopatum Aquensem et postmodum ad cardinalatum assumptus est, et aliis cardinalibus est amicitia

a) satis cito *au lieu de* inabissata, *Bal.* — *b)* replent, *Bal. et ms.* — *c)* paleas, *Bal.* — *d)* Rome, *Bal.* — *e)* que circa licita, *ms.* ; que illicita, *Bal.* — *f)* exaltatione *au lieu de* exactione, *Bal. et ms.* — *g)* insevire, *ms.* ; inservire, *Bal.* — *h)* circa, *Bal. et ms.* — *i)* vobis, *Bal.* — *j)* non sumus *au lieu de* volumus, *Bal.* — *k)* vos, *ms.* — *l)* concurrimus, *Bal. et ms.*

multa conjunctus, ita quod quasi omnibus erat sicut unus ex eis. Nos in eo nichil habemus aut querimus nisi creditam bonitatem. Hic dominus Guillermus, Dei gratia episcopus Penestrinus, de quo nos populus et clerus credidimus quod statim Vascones acceptarent [sine aliqua questione] *(a)*. Propter quod tantam resistentiam reperientes stupuimus, nec apud nos hujusmodi resistentie reperire possumus causam, nisi forte, quod absit, crediderint *(b)* aliqui premissos *(c)* defuncti continuare defectus. Quod in veritate per illum Deum qui romanam redemit Ecclesiam, et fundavit in urbe Romana, viventibus domino nostro rege et nobis et populo christiano, qui multum aperuit oculos ad predicta, impossibile [est] omnino. Unde etiam miratus sum, ego et socii de partibus regiis, quod non aliter ad reformationem Ecclesie processerunt. Nec credimus de mente exi[i]sse regia que dicta sunt vel scripta. Nam vobis domino nostro et michi devoto vestro et ceteris dominis Italicis, qui solo intuitu regio defunctum elegimus, premissa ascribuntur mala et mundo mox *(d)* ventura. Propter quod oportet nos in oculis *(e)* Dei et mundi taliter agere quod de papa qui Christi vicarium per opera se ostendat mundus gaudeat ista vice. Alioquin fides et Ecclesia est submersa, et reputaremur rei sanguinis omnium animarum. Quapropter regiam celsitudinem deprecor et ejus fideliter christianitatem exoro et per aspersionem sanguinis Jhesu Christi [conjuro] quatinus nostro se jungat proposito et una nobiscum ad verum Christi vicarium, quantum humanitus est possibile, debeat laborare, nec gressus nostrarum sententiarum que non sua sed que Christi [293] sunt *(f)* querunt velit in aliquo facere declinare. Licet enim de reverendis patribus omnibus, nostris in cardinalatu collegis, velimus semper bene credere, forte tamen *(g)* de pluribus quod emendarentur preterita, quod omnino necesse est, nos preteritorum experientia non despondet *(h)*. Hec domino nostro speciali significo tanquam ille qui scio *(i)* et mentem meam et dominorum cardinalium consociorum meorum. Nec credo nunc *(j)* sapientiam regiam fore nocivam. Tamen quia concordiam et unionem queritis cardinalium, michi bene placet

a) sine aliqua questione, *omis par Bal.* — *b)* crederent, *Bal. et ms.* — *c)* proximos, *Bal.* — *d)* non, *Bal. et ms.* — *e)* ecclesiis, *Bal. et ms.* — *f)* scientiarum ad eos qui non que Christi sunt, *Bal.* — *g)* sorti tamen, *Bal.*; sortitam, *ms.* — *h)* descedet, *Bal. et ms.* — *i)* sentio, *ms.* — *j)* credimus *au lieu de* credo nunc, *Bal.*

circa ista ad honorem Ecclesie providere pro posse. Et ista sunt apud secretum conservanda, quod non possunt alicui cardinali defuncti committi. Scandalum formidemur *(a)*, quinimmo contra omnes demonum acies que predicto nostro sancto proposito videantur [se] opponere [imploramus] Dei adjutorium, cujus causa est.

XLIV

PHILIPPI IV REGIS FRANCORUM EPISTOLA[1] QUA CARDINALES HORTATUR AD MATURANDAM ELECTIONEM SUMMI PONTIFICIS. — [Septembre 1314.]

Philippus, Dei gratia Francorum rex, venerabilibus patribus Berengario, episcopo Tusculano, et Arnaldo Sancte Marie in Porticu diacono cardinali, salutem et dilectionem sinceram. Audito nuper fame divulgantis affatibus sinistro casu egressus vestri et aliorum cardinalium de conclavi, turbationem exinde concepimus vehementem, et tanto in nobis crevit acrior *(b)* vis *(c)* doloris quanto majora pericula et scandala ex egressu hujusmodi sequi possunt. Quanto *(d)* ad vos et alios cardinales predictos et sanctam romanam Ecclesiam, matrem nostram, progenitorum nostrorum more, dilectionis et affectionis affectum gerimus ampliorem, et ejusdem Ecclesie ac catholice fidei exaltationem et corroborationem de bono semper in melius votis plenioribus [294] affectamus, ac cupientes tantis periculis et scandalis salubriter obviare, vos ex tunc per speciales amicos *(e)* nuncios et litteras rogare et requirere et exhortari curavimus ut in alio loco ydoneo et apto in regno nostro vel alibi, ubi possetis omnimoda securitate et libertate gaudere, cum aliis predictis cardinalibus convenire velletis, et ut ipsi inibi convenirent opem dare et operam efficaces, et ad provisionem celerem et salubrem Ecclesie de pastore, prout ipsius Ecclesie et totius christianitatis necessitas exigit, ac miserabilis

a) formidemus, *Bal. et ms.* — *b)* acerba, *Bal.* — *c)* vix, *ms.* — *d)* quantum, *Bal. et ms.* — *e) omis par Bal.*

---

1. D'après le ms. latin *4991 A*, fol. 87 v°-89 r°. On a reproduit le texte du *Recueil des historiens de France*, t. XXIII, p. 205-206. La lettre même est postérieure aux troubles de Carpentras qui eurent lieu le 24 juillet 1314 et antérieure au 29 novembre 1314, date de la mort de Philippe le Bel.

Terre Sancte conditio deploranda requirit, intendere diligenter; cujusmodi securitatem et libertatem in quibuscumque locis et partibus regni nostri duximus offerendam. Postmodum autem vestros et cardinalium Italicorum nuncios ad nos missos et litteras ex parte vestra et ipsorum porrectas benigne recepimus, litterarum tenorem attente conspeximus, et que super *(a)* commissa circa locum hujusmodi electionis faciende et alia contingentia electionis ejusdem in eisdem contenta *(b)* nuncii retulerunt intelleximus, diligenterque *(c)* instrumenta per prefatos nuncios cardinalium predictorum [producta] super quibusdam responsionibus ad monitionem de redeundo juxta condictum ad civitatem Carpentoratensem pro electionis ejusdem negotio factam, datis protestationibus per eos, recusationibus et oblationibus locorum, et quibusdam aliis factis et habitis per cardinales eosdem, per nonnullos consiliarios nostros in utroque jure peritos et alios sapientes inspici et discuti cum diligentia fecimus et super premissis omnibus, Parisius et alibi, in presentia nostra collationem sollicitam et exactam deliberationem haberi. Quibus prima facie videbatur quod tam Avinio quam Carpentorate civitates prefatis cardinalibus Italicis erant et sunt, causis per eos propositis et objectis veris existentibus, justa et legitima ratione suspecte, et recusationes earum (*d*) in parte, causarum ipsarum veritate supposita, juste et legitime debeant et debent non immerito reputari. [295] Quodque civitas Lugdunensis, quam inter alia multa loca cardinales Italici offerunt, ubi *(e)* romanam curiam ab antiquo diversis successive temporibus resedisse, ac plura concilia generalia celebrata fuisse noscuntur, ubi siquidem nullius impressionis vel violentie haberet periculum formidari, sed in omni libertate et securitate predicta poterit electio celebrari, locus aptus ac commodus et communis pro eadem curia et presertim pro electione hujusmodi celebranda fore dinoscitur, nec recipit cujusquam apparentis juste vel legitime recusationis objectum. Quodque tam in acceptatione civitatis ejusdem quam in celebratione *(f)* alterius vie oblate per eosdem, videlicet quod unus ex parte vestra et alius ex parte Italicorum aliorum eligendus *(g)*, ac frater Nicolaus, tituli Sancti Eusebii presbiter cardinalis, qui nobiscum in eadem voluntate concurrit, locum eligeret *(h)* hujusmodi electionis habende, de multo condescensu se commendabiles exhibent et

a) sunt, *Bal.* — *b)* credentia, *Bal. et ms.* — *c)* diligenter quod, *Bal.* — *d)* eorum, *Bal.* — *e)* ibi, *Bal. et ms.* — *f)* electione, *Bal.* — *g)* eligenda, *Bal. et ms.* — *h)* elegerit, *Bal. et ms.*

colorant multipliciter causam suam, ut vos saltem in ore hominum ponant in contumacia manifesta, et ostendant *(a)* sequi potius in hac parte proprie voluntatis arbitrium quam judicium rationis, occasionemque parere [ac] causam ruine, quod Deus avertat, ex odio fidei et aliis infinitis periculis, malis *(b)* et scandalis atque ex prolixe vacationis dispendio *(c)*. Nam si in Avinione vel Carpentorate, exceptionibus et recusationibus aliorum contemptis, ad electionem ipsis absentibus vos procedere fortasse contingeret, inter eos, sicut pro certo didicimus, concordi deliberatione firmatum est quod ad electionem procedant aliam de persona generis et amicorum suffulti potentia. Et que et quanta, [et] quam gravia et formidanda pericula, mala et scandala ex talibus electionibus sequi possent discretionis vestre judicio et circumspecte considerationis examini discutienda *(d)* relinquimus; vos scire volentes quod multorum prudentium habet assertio, quod in casu diversarum electionum hujusmodi neutrum ex sic electis haberemus nec urgente conscientia [296] deberemus habere pro papa nec facere nec permittere sibi obedientiam exhiberi, sicut nec facerent, ut creditur, reges et principes christiani, donec ejus electio esset per concilium legitime *(e)* approbata. Et ut negotium hujusmodi in omni concordia, unanimitate et sinceritate procedat, pro honore Dei, fidei et Ecclesie, totius christianitatis bono, et promotione negotii Terre Sancte, nostri *(f)* etiam et regni consideratione honoris, qui una cum vestro in periculo versatur *(g)*, ne improperari possit in posterum quod cardinales de regno nostro oriundi, tanta nobis amicitia et dilectione conjuncti, fuerint lapis offensionis et petra scandali Ecclesie sancte Dei, inter mundalia negotia non mediocriter cordi gerimus, nolentes ab incepte caritatis prosecutione desistere, ne malignus ille angelus Satanas humani *(h)* generis antiquus hostis, qui non desistit ubique pretendere deceptionis laqueos, *(i)* ut quocumque modo fidem corrumpat, caritatem vulneret, flammam accendat, virus infundat, inferatque irremediabilia detrimenta *(j)*, amicitiam vestram quanta possumus affectione rogamus, hortamur attentius, et requirimus confidenter, et obsecramus per viscera misericordie Jhesu Christi quatinus *(k)* premissis et aliis que mente concipi, [que] nec lingua nec

a) ostendunt, *Bal. et ms.* — *b)* *omis par Bal.* — *c)* que ex prolixe vacationis dispendia, *Bal. et ms.* — *d)* discutiendum, *Bal.* — *e)* legitima, *Bal. et ms.* — *f)* vestri, *Bal.* — *g)* qui bona cum vestro una parte versatus, *Bal. et ms.* — *h)* humanique, *Bal. et ms.* — *i)* et, *mis ici par Bal. et ms.* — *j)* immittatque irremediabilia nocumenta, *Bal.*; immittatque irremediabilia documenta, *ms.* — *k)* in, *mis ici par Bal. et ms.*

litteris possunt plene proferri in debitam considerationem adductis, tantis periculis, malis et scandalis, quantum in vobis est, efficaciter occurrentes, ad provisionem celerem et salubrem Ecclesie cum ceteris cardinalibus unanimiter et concorditer faciendam vestros dirigatis gressus et amicos cohortetis ad prefatam Lugdunensem civitatem pro loco, si placeat, acceptantes, vel de alio loco *(a)* apto et accommodo in regno nostro vel alibi convenientes cum eis, aut saltem vestrum prestantes assensum quod tres predicti locum eligant, sicut superius est expressum. Mirarentur etenim non immerito et stuperent nationes et gentes, et inhonorabile censeretur nobis, vobis et regno, si prefatis alienigenis cardinalibus loca petentibus regni nostri et pro[297]tectioni nostre committentes se et sua, per vos naturales indigenas ejusdem regni loca ipsa absque notabilis suspicionis et diffidentie scrupulo contingeret recusari. Nos autem pro premissis dilectum et fidelem clericum nostrum magistrum Amisium de Aurelianis, archidiaconum Aurelianensem, presentium portitorem, ad vestram presentiam destinamus, cui mentis nostre desiderium aperuimus et voluntatem nostram commisimus in hac parte, et cui fidem indubiam adhibere voletis *(b)* in hiis que ex parte nostra super hiis duxerit exponenda, et exposita effectui mancipare.

XLV

Acta publica[1] secundum quae Brunissendis de Fuxo constituta est curatrix Archambaldi, comitis Petragoricensis, filii sui. — Périgueux, 15 décembre 1316.

Noverint universi quod, regnante domino Philippo, Dei gratia Francorum et Navarre rege, die mercurii post festum sancte Lucie virginis, anno Domini MCCCXVJ in domo fratrum Minorum de Petragorico, in presentia mei, notarii, et testium subscriptorum, coram venerabili et discreto viro magistro Raymundo Richardi, clerico jurisperito, tenente locum nobilis et potentis viri domini senescalli Petragoricensis et Caturcensis pro dicto domino rege, nobilis vir Archam-

a) si placeat, acceptantes, vel de alio loco, *omis par Bal.* — *b)* velitis, *Bal.*

---

1. Ex archivo regio Parisiensi, *Bal.;* pièce non retrouvée.

baldus, comes Petragoricensis, major quatuordecim annis et minor viginti quinque annis et nobilis domina Brunissendis de Fuxo, mater sua, dixerunt et asseruerunt quod dictus Archambaldus carebat omni curatore, cum cujus auctoritate causas et negotia gerere posset, et uno vel duobus indigebat, cum quorum auctoritate premissa facere posset et etiam exercere, supplicaveruntque dicto locumtenenti ut de dicta domina Brunissendi tanquam de idonea et fideli curatrice ad negotia et ad lites providere dignaretur. Qui locumte[298]nens audita supplicatione et requesta matris et filii predictorum, inquisitione summaria et solemni precedente, et servata et adhibita juris solemnitate que in talibus adhiberi et servari consuevit, eidem Archambaldo, comiti Petragoricensi, presenti et requirenti de curatrice de dicta domina Brunissendi, matre sua, tanquam de idonea et fideli ad negotia et ad lites providere curavit, et ipsam dominam Brunissendim, matrem suam, dicto Archambaldo, filio suo, petenti dedit curatricem ad negotia et ad lites. Que quidem curatrix curam dicti comitis, filii sui, in se suscipiens promisit et juravit ad sancta Dei evangelia quod in cura hujusmodi bene et fideliter se habebit, utilia dicti comitis filii sui promovendo et inutilia evitando pro posse et cetera faciendo que spectant ad officium curatricis, dato super hoc fidejussore magistro Arnaldo de Verzinis, qui se et sua super hoc obligavit. Et nichilominus dictus locumtenens in premissis auctoritatem suam interposuit et decretum. Acta fuerunt hec die, loco et anno predictis, et regnante ut supra, presentibus testibus domino Philippo de Grialone, legum doctore, et domino Bernardo de Chalanello, milite, et domino Helia de Petragorico, archidiacono in ecclesia Petragoricensi, vocatis ad premissa specialiter et rogatis.

XLVI

Bulla[1] Joannis XXII papae de confirmatione fundationis ecclesiarum collegiatarum de Usesta et de Vinhandrault factae per Clementem V. — Avignon, 16 janvier 1317.

Johannes, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis .. Sancte Marie de Usesta et Sancti Martini deu Got, Vasatensis et Burdegalensis dyo-

1. Registre Vatican *64*, cap. 1667.

cesum, ecclesiarum decanis et capitulis salutem et apostolicam benedictionem. Dudum felicis recordationis Clemens papa V, predecessor noster, volens terrena pro cele[299]stibus et *(a)* transitoria pro eternis felici commercio commutare, vestras Sancte Marie et Sancti Martini olim *(b)* parrochiales ecclesias, prius *(c)* eadem ecclesia Sancti Martini de ipso loco deu Got infra castrum de Vinhandraut, Burdegalensis dyocesis, apostolica auctoritate translata, eadem auctoritate in collegiatas erexit, et de bonis propriis convenientibus dotibus concessis eisdem, duodecim canonicorum et quatuordecim prebendarum numerum *(d)* ac dignitatem decanatus, ut in eisdem ecclesiis pro redemptione criminum frequentius immolaretur [h]ostia salutaris, amplioribus laudum preconiis glorificaretur omnipotens, ipseque divinam misericordiam consequeretur facilius, et constituit *(e)* in qualibet earumdem. Verum ut decani, qui essent pro tempore in ecclesiis supradictis, eo solertius divinis vacarent obsequiis quo uberioris commodi fructum ex hoc se noscerent percepturos, eisdem dignitatibus decanatuum omnes videlicet ipsius de Usesta ejusdem ac dicte *(f)* Sancti Martini ecclesiarum possessiones et bona ipsius Sancti Martini decanatibus annectenda duxit perpetuo unienda, statuens nichilominus auctoritate predicta ut quilibet decanorum ipsorum in ecclesia in qua decanus existeret preter hec duas, singuli vero ex dictis canonicis singulas prebendas ex quatuordecim prebendis perciperent antedictis, quodque predictorum canonicatuum, prebendarum, decanatuum, et aliarum dignitatum, personatuum, ac officiorum que in dictis ecclesiis et earum qualibet forsitan in posterum crearentur, cum illa vacare conti[n]geret, etiamsi apud Sedem apostolicam vacare[n]t vel alias ipsorum provisio ad dispositionem Sedis ipsius, si ejusdem predecessoris non exstaret ordinatio, pertineret, ad *(g)* dilectum filium nobilem virum Bertrandum deu Gout, Leomanie et Altivillaris vicecomitem, ejusque successores illos videlicet dum taxat qui in dicto castro de Vinhandrault, cujus ipse Bertrandus est dominus, eidem succederent, pertineret [300] omnimode *(h)* de pleno jure, ac illi quibus per dictos vicecomitem aut successores de canonicatibus, prebendis, dignitatibus, personatibus et officiis pro tempore provisum existeret, absque confirmatione qualibet et cujusvis superioris auctoritate in eisdem canonicatibus, prebendis, decanatibus, dignitatibus, personatibus et offi-

a) omis par Bal. — *b)* alias, *Bal.* — *c)* primo, *Bal.* — *d)* et dignitates, *ajoutés par Bal.* — *e)* instituit *au lieu de* et constituit, *Bal.* — *f)* dicti, *Bal.* — *g)* et, *ms.* — *h)* pertinerent omnino, *Bal.*

ciis possent in spiritualibus et temporalibus, prout esset congruum, plene ac libere ministrare, ac persone quibus provideretur de decanatibus memoratis cum litteris sue provisionis hujusmodi, videlicet quod ipse de Usesta coram episcopo Vasatensi et idem Sancti Martini ecclesiarum predictarum decani coram archiepiscopo Burdegalensi qui essent pro tempore, aut ipsis absentibus, coram vicariis eorumdem, seu Vasatensi et Burdegalensi ecclesiis pastorum regimine destitutis, coram ecclesiarum ipsarum capitulis, infra mensem se personaliter presentarent approbationem provisionum hujusmodi, si facte [de] ydoneis personis existerent, alioquin *(a)* cassationem ipsarum infra mensem alium recepturi *(b)*; quod si forte iidem *(c)* archiepiscopus et episcopus aut vicarii vel capitula supradicti easdem provisiones infra mensem a tempore presentationis ipsarum approbare vel cassare different, liceret eis ad quemcumque de vicinis episcopis, infra tres dietas, predictis Sancte Marie et Sancti Martini propinquis ecclesiis pro approbatione vel cassatione provisionum hujusmodi habere recursum, qui examinatis personis ad eosdem decanatus assumptis dictas provisiones, super quibus eis et ipsorum cuilibet plenam potestatem concessit et eorum conscientias oneravit, approbarent vel etiam infirmarent *(d)*. Voluit tamen predecessor ipse quod quandocumque et quotienscumque prefati Bertrandus seu successores etiam circa unam vacationem decanatuum predictorum et cujuslibet *(e)* eorumdem peccarent vel errarent, de personis minus ydoneis eisdem decanatibus vel eorum alteri providendo, possent iidem *(f)* Bertrandus et successores, peccato seu [301] errore hujusmodi non obstante, eisdem provisionibus reprobatis, de aliis personis ydoneis, quotiens provisiones ipsas reprobari contingeret, prefatis decanatibus et ipsorum cuilibet providere. Statuit insuper idem predecessor et etiam ordinavit quod decani et canonici supradicti in eisdem ecclesiis continuam facerent residentiam personalem et hii ex eis qui erunt in etate legitima constituti se facerent infra annum ad sacerdotium promoveri, illi vero nondum forsan ad hujusmodi pervenissent etatem, quamprimum ad illam eos pervenire contingeret ordinem sacerdotii tempore debito recipere tenerentur, et interim per sacerdotes ydoneos prebendis *(g)* quas in eisdem ecclesiis obtinebunt facerent deserviri. Voluit etiam memoratus predecessor quod in prefata ecclesia Sancte Marie tres misse per canonicos ejusdem ecclesie, prima videlicet pro defunctis,

a) alias, *Bal.* — *b)* recepture (*sic*), *ms.* — *c)* idem, *Bal.* — *d)* affirmarent *(sic)*, *ms.* — *e)* cujuscumque, *Bal.* — *f)* idem, *Bal.* — *g)* prebendas, *Bal.*

secunda de ipsa beata Virgine, et tertia de festo diei, singulis diebus, preterquam tertia et quinta feria, quibus missam de Sancto Spiritu voluit celebrari, ac diebus quadragesimalibus, aut vigiliis alicujus festi, seu alia solenni die qua non deceret proprium officium pretermitti, cum nota celebrarentur *(a)*, debita solennitate servata, alie vero septem misse sine nota in honorem ejusdem beate Virginis, et alie septem de Spiritu Sancto, et relique septem pro defunctis tam per canonicos ipsius ecclesie Sancte Marie quam per capellanos presbiteros, quos per *(b)* ipsius Sancte Marie necnon et predicte *(c)* Sancti Martini ecclesiarum canonicos *(d)*, videlicet singulos *(e)* canonicorum ipsorum singulos capellanos presbiteros continue secum habere voluit, celebrarentur, nisi ejusdem ecclesie Sancte Marie decanus vel ille qui haberet in eadem ecclesia missam celebrare majorem aliter in hac parte duceret ordinandum; cujus ordinationem super hoc faciendam per eum firmiter voluit observari. In predicta quidem ecclesia Sancti Martini tres missas solenniter modo simili, videlicet primam pro defunctis, se[302]cundam ad honorem ejusdem beate Virginis, et tertiam de beato Martino cum nota per canonicos ipsius ecclesie precepit die quolibet *(f)* celebrari, nisi forte duplex festum occurreret, quo missam pro defunctis in eisdem ecclesiis celebrandam cum nota omitti voluit et mandavit, aut quadragesimali tempore, seu vigilia qua non deceret *(g)* diei officium pretermitti, tertia namque ac sexta feria in dicta ecclesia Sancti Martini de Sancto Spiritu, et alie misse celebrarentur, sicut in dicta ecclesia Sancte Marie tertia et quinta feria ordinatum extiterat, ut premittitur, celebrari; volens quod omnes predicti canonici cum memoratis *(h)* capellanis presbiteris prefatis majoribus missis ac vigiliis et vesperis defunctorum, quas *(i)* precepit in eisdem ecclesiis diebus singulis celebrari, ac omnibus horis canonicis tenerentur personaliter interesse, et nichilominus majore missa pro defunctis in eadem ecclesia Sancte Marie, ut predicitur, solenniter celebrata, canonicus qui celebraret eamdem cum aliis *(j)* canonicis et presbiteris supradictis sacris, casula dumtaxat excepta, vestimentis indutus *(k)*, cujus loco pluviale deferret *(l)*, precedente cruce per unum de presbiteris antedictis et aqua benedicta per alium de ipsis presbiteris deferendis, ad tumulum vel sepulcrum parentum predecessoris ejusdem et deinde ad cimiterium eidem *(m)* ecclesie magis propinquum, dicendo

a) celebrentur, *Bal.* — *b)* pro, *Bal.* — *c)* necnon predicte, *ms.* — *d)* canonicis, *Bal.* — *e)* singulis, *Bal.* — *f)* qualibet, *Bal.* — *g)* decet, *Bal.* — *h)* commemoratis, *Bal.* — *i)* quos (*sic*), *ms.* — *j)* canonicus qui celebraret eamdem cum aliis, *omis par Bal.* — *k)* indutis, *Bal.* — *l)* deferrent, *Bal.* — *m)* ejusdem, *Bal.*

tam super tumulum quam cimiterium supradicta psalmos et responsoria, versiculos et aliarum orationum suffragia, que pro absolutionibus et defunctorum venia impetranda dici consueverunt, processionaliter accederent, sicut erat fieri consuetum; ille autem canonicorum ipsorum qui cum capellano suo presbitero presens in dicta processione non esset, legitimo impedimento cessante, illius diei eo ipso careret distributionibus et prebenda; quod si forsan per mensem continuum vel interpolatum ab hujusmodi processione, dicto impedimento cessante, illum abesse contingeret, prebenda et distributionibus suis ejusdem ecclesie per annum esset ipso facto privatus. [303] Illud idem quoad processionem hujusmodi in cimiterio magis propinquo ecclesie Sancti Martini predicte faciendam per ipsius ecclesie Sancti Martini canonicos et capellanos ipsorum, et quoad penas easdem circa canonicos ipsos, voluit inviolabiliter observari. Si qui vero ex canonicis sepedictis ultra mensem ab ecclesia, in qua sunt canonici, se forsan *(a)* absentarent, legitima causa cessante, vel qui se non facerent ad sacerdotium, ut premittitur *(b)*, promoveri, eo ipso canonicatibus et prebendis, quos in eisdem ecclesiis obtinebant, et omni eorum essent emolumento privati. Preterea, auctoritate predicta, memoratus statuit predecessor quod omnes et singuli ecclesiarum ipsarum canonici, in eorum nova receptione, sigillatim, hujusmodi et alia eorumdem ecclesiarum statuta, eis nominatim et diligenter exposita, jurarent, tactis sacrosanctis evangeliis, inviolabiliter observare. Ac decrevit Sancte Marie et Sancti Martini ecclesias supradictas cum eorum membris, bonis, juribus et pertinentiis universis, que tunc obtinebant et que favente Domino in posterum obtinerent, ad apostolicam Sedem *(c)* plene et immediate spectare, ipsasque ecclesias, membra, bona, jura et pertinentias plena libertate gaudere, easdem *(d)* ecclesias ipsarumque capitula, canonicos et clericos supradictos ex tunc *(e)* ab omni jurisdictione, lege, ac subjectione, et potestate ordinariorum quorumlibet eximens, dictisque capitulis, canonicis et clericis concedens de gratia speciali quod ordinariis supradictis aut legatis vel nuntiis dicte Sedis vel quibusvis aliis procurationes aut aliquid aliud, ipsorum nomine seu qualibet alia ratione, solvere aut exhibere, seu decimam per dictam Sedem alicui vel aliquibus concessam vel in posterum concedendam, etiamsi Sedes ipsa pro suis necessitatibus illam imponeret, solvere minime tenerentur, nec ad id per dicte Sedis litte-

a) forsitan, *Bal.* — *b)* predicitur, *Bal.* — *c)* Sedem apostolicam, *Bal.* — *d)* easque, *Bal.* — *e)* nunc, *Bal.*

ras cogi possent, etiamsi hujusmodi concessioni seu decreto posset quomodolibet derogari, ex *(a)* tunc eis per hujusmodi privilegium derogari [304] decernens ex certa scientia de apostolice plenitudine potestatis. Statuens et ordinans idem predecessor et archiepiscopo Burdegalensi ac [etiam] episcopo Vasatensi predictis, in virtute obedientie et sub pena suspensionis, expresse precipiens ut idem archiepiscopus Beate Marie et memoratus Vasatensis episcopus Sancti Martini ecclesias sepedictas, auctoritate apostolica, eorum expensis propriis, ita quod per decanos et capitula supradicta vel personas singulares ipsorum aliquid non possit archiepiscopo vel episcopo supradictis, cujus valor summam viginti solidorum monete Burdegalensis excederet, hujusmodi visitatione durante, quesito colore quolibet presentari, contrarium vero facientes, dantes scilicet et recipientes, etiam incurrerent *(b)* excommunicationis sententiam ipso facto, teneantur personaliter de biennio in biennium visitare ac in hiis que, durante prefate visitationis officio, inchoassent, que non potuissent tunc temporis explere, corrigere ac etiam reformare que reformanda fuissent in ecclesiis supradictis, summarie procedere possent de plano, sine strepitu judicii et figura. Voluit etiam dictus predecessor quod pene pecuniarie sive mulcte quas eosdem archiepiscopum et episcopum aut ipsorum aliquem dictis capitulis aut canonicis, presbiteris, clericis, et aliis ecclesiarum ipsarum seu alterius earum servitoribus et ministris infligere quovis modo contingeret, suis non applicarentur com[m]odis, sed in ornamenta aut alios pios usus infra dictas ecclesias vel illam cujus capitulum, seu canonici, aut presbiteri, vel clerici, aut servitores seu ministri existerent condempnati, ita quod in ipsorum punitorum seu mulctatorum utilitatibus nichil penitus cederet, converterentur omnino. Quod si forte Burdegalensem et Vasatensem ecclesias vel ipsarum alteram pastoris regimine vacare contingeret, sive alias archiepiscopum vel episcopum supradictos nolle dicte visitationi vel non posse vacare, venerabilis frater noster episcopus Agen[305]nensis et successores sui Agennenses episcopi qui essent pro tempore hujusmodi visitationis officium, et omnia et singula ipsum tangentia *(c)* exercere, auctoritate predicta, singulis eisdem bienniis tenerentur. Proviso tamen quod archiepiscopus et Vasatensis et Agennensis episcopi memorati vel aliquis eorumdem neminem de personis que decanatus, canonicatus, prebendas, dignitates, et beneficia vel officia obtinebant *(d)* vel in futurum obtinerent in ecclesiis

a) et, *Bal.* — *b)* incurrentes, *Bal.* — *c)* contingentia, *Bal.* — *d)* obtinebunt, *Bal.*

supradictis privarent, nisi vicecomite vel suis heredibus sive successoribus antedictis vocatis et presentibus, si vellent interesse, ipsisque processibus et causis ostensis, propter quas ad privationem intenderent *(a)* procedere supradictam. Verum quia dicto predecessore, sicut Domino placuit, morte prevento, super premissis nequivistis litteras apostolicas obtinere, nos, vestris supplicationibus inclinati, ne probationis inopia erectio, constitutio, statuta, concessiones, ordinationes, precepta et mandata, ac exemptio, aliaque superius expressata deperire valeant vel in dubium revocari, ipsa grata habentes et rata, presentes litteras ex certa scientia bulla nostra jussimus communiri. Datum Avenioni, XVIJ kal. febroarii, pontificatus nostri anno primo.

XLVII

EJUSDEM JOANNIS PAPAE PROCESSUS[1] CONTRA OCCUPANTES BONA QUONDAM DOMINI GENTILIS CARDINALIS IN CIVITATE LUCANA. — Avignon, 31 mars 1317.

Ad futuram rei memoriam. Infideles et stolidi perditionis alumpni, qui *(b)* se per culpe vitium indignos efficiunt ut matris Ecclesie filii nuncupentur, dum ad ipsius matris injuriam se convertunt, gravi nos commotione perturbant, matris ejusdem pietatem offendunt, et eis in perniciem miserabili cecitate dilapsis, respergunt infamie maculis loca proprie nationis. Dudum siquidem [306] cum bone memorie Gentilis, tituli Sancti Martini in montibus presbiter cardinalis, de Ungarie partibus, ubi functus fuerat legationis officio, rediens in civitate Lucana diem clausisset extremum, felicis recordationis Clemens papa V, predecessor noster, certis ex causis, que ipsum ad id rationabiliter induxerunt, venerabili fratri A[rnaldo], episcopo Sabinensi, tunc in illis partibus legationis officium exercenti, et dilecto filio nostro *(c)* Luce, Sancte Marie in via lata dyacono cardinali *(d)*, per apostolicas litteras mandavit expresse quod ipsi ambo per se simul vel per alios de bonis mobilibus dicti quondam cardinalis se plenius informantes, eadem bona in quibuscumque rebus consistentia sive apud edes sacras, sive in quibuslibet aliis locis, aut penes quascumque

a) ordinationem intendebant, *Bal.* — *b)* cum, *Bal.* — *c)* dilectis filiis nostris *(sic)*, *ms.* — *d)* cardinalibus, *ms.*

---

1. D'après le ms. latin *4114* (ancien Colbert *829*), fol. 92 v°-93 r° (Bibliothèque nationale de Paris).

personas ecclesiasticas vel seculares, capitula vel collegia seu conventus recondita forent sive deposita, auctoritate apostolica sequestrare et cum diligentia facere custodiri curarent quousque testamenti sive ultime voluntatis cardinalis ejusdem viso tenore, prout cum Deo expediret saluti anime cardinalis ipsius de bonis disponeretur eisdem. Cumque bona ipsa *(a)* fuissent nomine romane Ecclesie apud fratres Predicatores civitatis predicte in sacristia eorum deposita, prefati cardinales, juxta mandatum apostolicum, inde, ut premittitur, sibi factum bona predicta in sequestro teneri et cum diligentia custodiri mandarunt. Verum quondam Franciscus de Faggiola, tunc se gerens pro potestate Lucana, cupiditatis spiritu concitatus, ad bona hujusmodi oculos ambitionis impudenter iniciens, quemdam nomine Venturam, qui se pro vicario ejusdem Francisci gerebat, de nocte cum multis armatis complicibus, perditionis alumpnis et edoctis ad quecumque nepharia, ad domum fratrum ipsorum, ad rapiendum bona hujusmodi, destinavit. Qui mandatum ejus tam patenter illicitum exequi non verentes, contra voluntatem fratrum ipsorum violenter locum aperuere depositi, et depositum ipsum, [307] scilicet coffinos quindecim bona hujusmodi continentes, abinde fecerunt perversis ausibus extrahi et extractum in predam, quo libuit, dampnabiliter asportari. Nos igitur ad recuperationem bonorum ipsorum, ut ex illorum distributione debita anime ipsius cardinalis faciamus salubriter provideri, sollicitis studiis intendentes, prefatum Venturam, et omnes et singulos qui dictos coffinos et bona ipsa extraxerunt de sacristia predicta, diripuerunt et asportaverunt, ut prefertur, exinde, vel extrahi, diripi aut asportari fecerunt, et alios penes quos aliqua de bonis ipsis fuerunt vel adhuc existunt, auctoritate apostolica, coram hac fidelium multitudine copiosa, monemus ut ea nobis aut ei, quem ad id duxerimus deputandum, infra quatuor mensium spatium, a die date publicationis presentium numerandum, cum integritate restituant et assignent, ac omnes et singulos scientes ubi vel penes quos aliqua de dictis bonis extiterint vel existant, infra terminum supradictum, nobis aut ipsi deputato nostro studeant revelare. Alioquin, in Venturam eumdem, ac in omnes et singulos monitionis hujusmodi contemptores, cujuscumque dignitatis, status vel conditionis extiterint, etiamsi patriarchali vel superiori pontificali vel alia quacumque preemineant dignitate, ex nunc auctoritate predicta excommunicationis sententiam promulgamus, mandantes illos per locorum dyocesanos et rectores

a) ipsa bona, *Bal.*

ecclesiarum civitatum et dyocesum earumdem, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis, et candelis extinctis, excommunicatos publice nuntiari, processuri ad graviora nichilominus contra eos, necnon et contra civitates, communitates, universitates, et singulares personas quascumque que fuissent in premissis culpabiles, sicut protervia eorum exegerit et viderimus expedire. Non obstante si aliquibus vel alicui, specialiter aut generaliter, a Sede apostolica indultum existat quod excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam, [308] ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem, et quibuslibet litteris, indulgentiis generalibus vel specialibus quibuscumque personis et locis, sub quacumque forma vel conceptione verborum, a dicta Sede concessis, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum, mentionem in nostris litteris fieri oporteat specialem. Ut autem hujusmodi nostra monitio ad communem omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas monitionem continentes eamdem in ecclesie Avinionensis appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus ejusdem ecclesie faciemus, que monitionem ipsam suo quasi sonoro preconio et patulo indicio publicabunt, ita quod illi, quos monitio ipsa contingit, nullam postea excusationem valeant pretendere quod ad eos talis monitio non pervenerit vel quod ignorarint eamdem, cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Avenioni, IJ kal. aprilis anno primo.

XLVIII

EJUSDEM[1] JOANNIS PAPAE XXII DE ERECTIONE MONASTERII CASTRENSIS IN ECCLESIAM CATHEDRALEM, ET DE DEODATO, ABBATE LATINIACENSI, FACTO EPISCOPO EJUSDEM NOVAE ECCLESIAE. SEQUUNTUR DEINDE CAUSAE OPPOSITIONIS BERTRANDI, ABBATIS CASTRENSIS, ADVERSUS HANC ERECTIONEM EPISCOPATUS IN MONASTERIO SUO. — Avignon, 11 juillet 1317.

Johannes, episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus .. Mimatensi et .. Lodovensi episcopis, et dilecto filio .. abbati monasterii Bonevallis, Ruthenensis dyocesis, ac .. preposito ecclesie Magalonensis

1. D'après le registre Vatican *66*, fol. 97 v°, cap. 3373 *B*; Baluze s'est servi du texte très corrompu du ms. latin *6011* de la Bibliothèque nationale de Paris,

salutem et apostolicam benedictionem. Nuper, ex certis rationabilibus et manifestis causis, que ad hoc nostrum animum induxerunt, villam [309] de Castris, tunc infra Albiensis dyocesis limites constitutam, qui locus insignis et multiplici commoditate dotatus existit, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, per nostras sub certa forma litteras, in civitatem ereximus et civitatis vocabulo duximus decorandam, statuentes ac etiam decernentes ut ecclesia monasterii ipsius loci ordinis sancti Benedicti, tunc monasterio Sancti Victoris Massiliensis subjecti, suo exinde amoto abbate, ex hinc haberetur et existeret cathedralis. Ac deinde volentes eidem ecclesie de pastore ydoneo salubriter providere, in dilectum filium Deodatum, tunc abbatem monasterii Latigniacensis, ordinis sancti Benedicti, Parisiensis dyocesis, direximus oculos nostre mentis, eumdemque de fratrum eorumdem consilio ipsi ecclesie preficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie eidem in spiritualibus et temporalibus committendo. Verum quia predicta ecclesia, quam de bonis episcopatus Albiensis dotare intendimus, nondum dotata existit, nec eidem certi limites assignati [sunt], idemque electus de redditibus et proventibus quibus eadem *(a)* Castrensis ecclesia antea fruebatur juxta dignitatis sue decentiam nequeat sustentari, apostolica auctoritate decrevimus de bonis episcopatus Albiensis summam quinque milium bonorum turonensium parvorum, ex tunc dicto electo ab Albiensi episcopo, qui est vel pro tempore fuerit, annis singulis persolvendam, donec de redditibus ipsius episcopatus, qui valde dinoscitur habundare, eidem Castrensi ecclesie fuerit, auctoritate nostra, congrua et sufficiens portio assignata. Quocirca discretioni vestre, per apostolica scripta, mandamus quatinus vos, vel tres, aut duo seu unus vestrum, per vos, vel alium seu alios, hujusmodi summam quinque milium librarum de bonis dicti episcopatus Albiensis faciatis, annis singulis, dicto electo a prefato episcopo, pro rata temporis, exhiberi, donec hujusmodi portio dicte ecclesie Castrensi assignata fuerit, ut prefertur, contradictores per [310] censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo; non obstante si aliquibus a Sede apostolica sit indultum quod excommuni-

a) quos eidem, *ms.*

---

p. 85-88, qui contient l'*Historia chronologica parlamentorum patriae Occitanae* de Guillaume Bardin; autre exemplaire dans le ms. *691* de la bibliothèque de la ville de Toulouse, fol. 11 r°.

cari aut interdici vel suspendi non possint per litteras apostolicas, que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem. Datum Avenioni, quinto ydus julii *(a)*, pontificatus nostri anno primo.

CAUSAE [1] OPPOSITIONIS QUAS REVERENDUS IN CHRISTO PATER DOMINUS BERTRANDUS, ABBAS MONASTERII SANCTI BENEDICTI DE CASTRIS, TRADIDIT METUENDISSIMIS DOMINIS ET MAGISTRIS PRAESIDENTIBUS PARLAMENTI THOLOSAE ET PARISIORUM, SIMUL JUNCTIS ET AGGREGATIS, IN ANNULLATIONEM BULLAE ERECTIONIS ECCLESIAE ABBATIALIS SANCTI BENEDICTI DE CASTRIS IN EPISCOPALEM ET CATHEDRALEM.

Dicit et asserit dictus dominus Bertrandus, abbas Castrensis, quod, juxta mandata sanctissimi pape Johannis, apostolicam Sedem adivit, et stans coram dicto summo pontifice non ausus est ejus voluntati refragari, et obediendo precepto dicti domini assensum in scriptis prebuit quod posset erigere suam ecclesiam abbatialem in episcopalem, quem consensum dedit ex metu qui potest cadere in constantem virum. Plures enim servientes domini pape susurrabant predicto opponenti quod, si contradiceret, perpetuo carcere detineretur.

Dicit idem et asserit quod talis erectio fieri non potest secundum leges et usum regni Francie, sine assensu domini nostri regis, patentibus litteris roborato, et senioris in cujus feudalitate et affario edificata est ecclesia, de cujus erectione fit questio et controversia.

Dicit ultra dictus abbas quod talis erectio fieret maxime in contemptum regis, si sortiretur effectum, rege irrequisito. Nam jus pontificale et papale tale non est quod summus pontifex possit oppida et urbes regni Francie donare titulo et privilegio civitatum, hujusmodi facultate [311] soli regi in regno suo competente.

Dicit ultimo et asserit dictus dominus abbas quod dominus papa Johannes, inherens vestigiis suorum predecessorum, satagit adjungere superioritati imperii spiritualis, ad illum pertinentis in universum orbem, superioritatem omnis imperii temporalis. Et ut facilius tam magnam majestatem nancisci possit, multiplicare episcopos intendit,

a) junii, *Bal. et ms. latin 6011.*

1. Ms. latin *6011,* p. 87 (Bibliothèque nationale de Paris); autre copie dans le ms. *691,* fol. 11v°-12 r° (Bibliothèque de la ville de Toulouse).

quo plures habeat complices et adjutores tante invasionis. Et omnia ista dicit predictus abbas in defensionem oppositionis sue, non intelligens per supradicta ullum gravamen inferre dicto domino summo pontifici, quem colit et cui paratus est reddere in omnibus aliis debitam reverentiam et obedientiam spiritualem, tanquam vicario Christi.

Super hac controversia transactum fuit inter dictum abbatem et dominum Deodatum episcopum; et concordatum quod dictus Bertrandus retineret nomen abbatis, et de redditu annuo mille trecentas libras turonenses super bonis abbatiae de Castris perciperet.

XLIX

Compositio[1] facta inter regem Aragonum et Hospitale Sancti Johannis Jerosolymitani super quibusdam terris regni sui, et ordinatio monasterii de Montesia, Valentinensis diocesis, ordinis Calatravensis. — Avignon, 10 juin 1317.

Johannes, episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad fructus uberes quos sacer ordo Hospitalis Sancti Johannis Jherosolimitanensis et professores illius fidei orthodoxe cultores industrii et christiane religionis strenui defensores hactenus in Dei Ecclesia, sicut, fortes athlete illius, bella viriliter preliando dominica, ac quelibet pro recuperatione Terre Sancte precipue pericula *(a)* contempnendo, quin etiam non verendo subire dispendia, produxerunt, et ipsos in futurum speramus opitulante divina *(b)* gratia producturos, considerationis aciem [312] convertentes, eo libentius eis in hiis que salutare suum circa promissa propositum efficacius exequi valeant et com[m]odius adimplere provisionis dexteram aperimus quo majori desiderio cupimus ut ipsius miserabilis terre status, cujus compatienter deploramus angustias, a suis calamitatibus et pressuris, eorum et fidelium aliorum adjuta suffragiis, Deo propitio, relevetur. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens papa V, predecessor noster, quondam ordinem militie Templi Jherosolimitani propter nephandos errores ac scelera varia et diversa, quibus erant dicti ordinis persone

a) omis par Bal. — *b)* divina opitulante, *Bal.*

---

1. D'après le registre d'Avignon *2*, fol. 242 r°-245 r°. Baluze s'est servi du ms. latin *4114* (ancien Colbert *829*).

resperse, ipsiusque statum, habitum ac nomen in concilio Viennensi, eodem ap[p]robante concilio, irrefragabili et perpetuo valitura substulit sanctione, illum prohibitioni perpetue supponendo ac inhibendo districtius ne quis ex tunc dictum ordinem vel habitum ejus suscipere seu deferre vel pro Templario se gerere quomodolibet attemptaret, bonis omnibus dicti ordinis apostolice Sedis ordinationi, cum inhibitione et decreto, auctoritate apostolica, reservatis. Demum vero idem predecessor attente considerans quod fratres ordinis Hospitalis Sancti Johannis Jherosolimitani pro recuperatione maxime ipsius Terre Sancte ducebant, sicut et ducunt, pericula quelibet in contemptum, post deliberationem super hoc cum fratribus suis sancte romane Ecclesie cardinalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac prelatis aliis, et nonnullis principibus et illustribus viris, ac prelatorum absentium, capitulorum quoque atque conventuum *(a)* ecclesiarum et monasteriorum procuratoribus, tunc in dicto concilio constitutis, prehabitam diligentem, omnia bona predicti quondam ordinis Templariorum, que idem ordo, eo tempore quo.. magister et nonnulli ex fratribus dicti ordinis in regno Francie communiter capti fuerunt, videlicet anno Domini MCCCVIIJ *(b)* mense octobri, per se vel *(c)* quoscumque alios habebat, tenebat et posside[313]bat ubilibet, vel ad ipsum ordinem et predictos magistrum et fratres ipsius ordinis pertinere poterant et debebant, pretacto ordini Hospitalis et ipsi Hospitali donavit, concessit, univit, incorporavit, applicavit et annexuit in perpetuum de apostolice plenitudine potestatis, bonis illis que idem ordo Templariorum in regnis et terris carissimorum in Christo filiorum nostrorum .. Castelle, .. Aragonum, .. Portugalie, et .. Majoricarum regum illustrium extra regnum Francie habebat seu possidebat, et ad eum poterant debite quomodolibet pertinere, dumtaxat exceptis, que dictus predecessor nonnullis ex causis, que tunc pro parte regum ipsorum pretense fuerunt, a donatione, concessione, unione, incorporatione, applicatione et annexione predictis excepit specialiter et exclusit, ea nichilominus apostolice dispositioni et ordinationi reservans. Postmodum autem, ne propter pretensionem causarum hujusmodi ordinatio predictorum bonorum in predictis regnis et terris existentium teneretur diutius in suspenso, predecessor ipse certum peremptorium terminum dictis regibus, per apostolicas litteras, assignavit, in quo per procuratores seu nuntios ydoneos, plenum et speciale mandatum habentes, ab eis, cum omnibus rationibus et munimentis,

a) cathedralium, *ajouté par Bal.* — *b) lege* 1307. — *c)* per, *ajouté par Bal.*

ad causas pertinentibus memoratas, apostolico se conspectui presentarent, informaturi eum de causarum veritate et essentia predictarum, sueque super illis ordinationis beneplacitum audituri. Cumque dictus rex Aragonum propter hoc ad predecessoris ejusdem et subsequenter ad nostram, postquam fuimus, Domino permittente, ad statum apostolice dignitatis assumpti, presentiam nuntios suos diversis vicibus destinasset, qui causas et rationes varias allegarunt, propter quas bona ipsa in regno suo sistentia uniri et incorporari non posse memorato ordini Hospitalis absque ipsorum regis et regni evidenti prejudicio et dispendioso periculo asserebant, tandem post longam et diutinam alter[314]cationem super hoc habitam cum dilecto filio nobili viro Vitale de Villanova, nuntio et procuratore dicti regis Aragonum, ad hoc sufficiens, plenum et speciale mandatum habente, cujus equidem mandati copiam presentibus inseri jussimus ad cautelam, ipsiusque regis nomine consentiente, presentibus quoque atque consentientibus, in quantum tangi poterant, dilectis filiis fratribus Leonardo de Tibertis, priore Venetiarum, generali visitatore et generali procuratore, ac multis ex prioribus et fratribus dicti ordinis Hospitalis ejusdem ordinis nomine, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, in modum qui sequitur duximus ordinandum. Cum enim illa feda Sarracenorum natio et impia chistiani nominis inimica, in fronteria regni Valentie, quod est ipsius regis Aragonum, constituta, regnum ipsum ejusque fideles, in summi regis offensam per successus ab olim temporum diversorum angustiis multarum tribulationum afflixerit, discriminibus subjecerit variis, et crudeliter propriam impietatem armaverit, sicut et adhuc armare conatur, in exterminium eorumdem, nos eisdem *(a)* regi et regno atque fidelibus adversus hujusmodi hostiles incursus prospici cupientes, monasterium in castro de Montesia, Valentinensis dyocesis, infra dictum regnum Valentie constituto, ad honorem Dei et exaltationem catholice fidei ac depressionem infidelium predictorum ordinavimus de novo, ducti presertim devota dicti regis instantia, construendum, in quo fratres ordinis Calatravensis, ad quos rex ipse non parum affici dicitur, et de quorum strenuitate confidit, ut fertur, pro defensione dicti regni Valentie et fidelium incolarum ipsius ab hostium dicte fidei vicinorum eisdem periculosis insultibus collocentur, ut sic iidem regnum et fideles eo ferventius dictis hostibus resistere valeant quo plurium viribus conflatis

a) eidem, *Bal.*

in unum, majori potentia fulcientur. Cui quidem monasterio, plena super hoc cum eisdem fratri[315]bus nostris deliberatione prehabita, et de ipsorum consilio, ex causa premissa, dicti regis supplicationibus inclinati, bona immobilia omnia et singula quecumque et in quibuscumque sistentia, que dictus quondam ordo Templi tempore captionis predicte habebat et habere debebat, et quicquid idem ordo Hospitalis habet ad presens et ad eum pertinere potest et debet quacumque ratione vel causa in eodem regno Valentie, ac etiam parrochialem ecclesiam dicti castri de Montesia, donanda, concedenda, unienda, incorporanda, applicanda in perpetuum duximus ac etiam annectenda; domo cum ecclesia, censibus ac redditibus quos idem Hospitale Sancti Johannis in civitate Valentie et ejus territorio per mediam leucam circum circa, et castro etiam, loco seu villa de Torrent, dicte Valentinensis dyocesis, cum juribus et pertinentiis suis ab hujusmodi donatione, unione, incorporatione et applicatione dumtaxat exceptis, que Hospitali predicto volumus remanere, prout in nostris certi tenoris litteris super hoc *(a)* confectis, quas in suo volumus robore permanere, plenius continetur. Cetera vero loca et possessiones, domos, ecclesias, capellas, oratoria, monasteria, castra, villas, terras, fortellicia et quecumque alia bona immobilia tam ecclesiastica quam mundana, necnon nomina, actiones, jura, jurisdictiones, et honores, homines et vassallos quoslibet, que dictus quondam ordo militie Templi, tempore captionis predicte, in eodem regno Aragonum et terris aliis regi predicto subjectis habebat, possidebat, et habere poterat et debebat, et que ad illum poterant rationabiliter pertinere, queve per dictum regem Aragonum vel alium quemlibet detinentur in regno et terris eisdem, assentiente dicto Vitale, nomine dicti regis, ordini et Hospitali predictis, de predictorum fratrum consilio et ejusdem plenitudine potestatis, donamus, concedimus, unimus, incorporamus, annectimus et perpetuo applicamus, decernentes irritum et inane [316] si secus super hiis, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attemptari, ac volentes et expresse mandantes ea omnia et singula magistro, fratribus, Hospitali, et ordini sepedictis, seu alii vel aliis pro eisdem per dictum regem Aragonum et detentores alios quoslibet indilate restitui, assignari et reddi integraliter cum effectu. Volumus autem et auctoritate presentium ordinamus, pro plena securitate ipsorum regis et regni Aragonum, et ad propellenda imminentia sibi queque pericula, quod magister predicti Hos-

a) hac, *Bal.*

pitalis Sancti Johannis Jherosolymitani, aut preceptor seu castellanus loci Emposte in partibus Cathalonie constituti, vel commendator major, qui tam Hospitalis ejusdem quam hiis que fuerunt quondam dicti ordinis Templariorum bonis pro tempore in regnis et terris, eidem Aragonum regi subjectis, prefuerit, antequam administrationi hujusmodi bonorum se ingerat, coram dicto rege qui nunc est, vel qui pro tempore fuerit, si regem ipsum tunc in aliquo regnorum suorum, Aragonie videlicet seu Valentie, aut comitatu Barchinonensi fore contigerit, personaliter se presentet, eique prestet juramentum et homagium faciat in hunc modum, videlicet quod ipse magister aut castellanus vel commendator fidelis erit eidem regi, et per se vel alium nunquam aliquid faciet vel procurabit, vel fieri seu procurari consentiet, publice vel occulte, propter quod eidem regi, et suis, vel regnis aut terris ejus aliquod dampnum valeat evenire; quod si forte sciret aliquid procurari vel fieri quod in dampnum dicti regis aut regnorum seu terrarum ipsius esse vel cedere posset, id eidem regi, quam cito poterit, intimabit vel faciet intimari, et nichilominus impediet juxta posse, quodque de castris, villis, et locis aliis, ac hominibus que dictus ordo Hospitalis habet ad presens vel habebit in posterum in regnis et terris predictis, necnon castris, villis, et locis aliis, ac hominibus qui fuerunt quondam dicti ordinis Templa[317]riorum, nunquam dicto regi vel subditis, regnis et terris suis, eodem magistro seu preceptore aut castellano vel *(a)* commendatore sciente, volente, mandante *(b)* aut ratum habente, aliquod dampnum eveniet in futurum; quod si forte id sciverit vel senserit, totis impediet viribus, et in quantum in eo fuerit amovebit. Juramentum vero et homagium supradicta per dictum magistrum vel preceptorem aut castellanum seu commendatorem non ratione dictorum bonorum, sed ratione persone prestantis, regi prestari et fieri volumus supradicto, nullumque ipsi regi ex juramento vel homagio sepedictis in bonis eisdem quomodolibet jus acquiri. Que quidem juramentum et homagium idem rex infra decem dierum spatium recipere teneatur. Quod si rex ipse juramentum et homagium hujusmodi infra terminum ipsum forte recipere non curaret, liceat dicto magistro, aut preceptori, vel castellano seu commendatori, absque displicentia et indignatione dicti regis, ab ipso rege recedere et officium preceptorie, seu castellanie aut commendarie bonorum hujusmodi exercere libere et sicut pro utilitate dicti ordinis sibi videbitur expedire, administrare plenarie in eisdem. Si vero in primo

a) seu, *Bal.* — *b)* nolente emendare, *Bal.*

magistri seu preceptoris aut castellani seu commendatoris ejusdem adventu ad regna vel comitatum predicta dictum regem, qui nunc est vel qui pro tempore fuerit, ab ipsis regnis et comitatu abesse forte contingeret, idem magister vel preceptor aut castellanus seu commendator locum tenenti dicti regis teneatur prestare juramentum et homagium facere supradicta. Eodem vero magistro seu preceptore, castellano, aut commendatore absente, locum tenens ipsius teneatur dicto regi, si in aliquo dictorum regnorum aut memorato comitatu extiterit, alioquin ejusdem regis locum tenenti, juramentum prestare et homagium facere, sicut superius est expressum. Et si contingeret fortassis interdum quod predictis bonis magister aut preceptor seu castellanus vel commendator ali[318]quis non preesset, locum tenens ipsius *(a)* aut ille qui bonorum ipsorum administrationem habuerit prefato regi vel ejus locum tenenti, ipso rege a regnis et comitatu predictis absente, juramentum prestet et homagium faciat supradicta. Inferiores quoque preceptores Hospitalis ejusdem eorumque locum tenentes, cum preceptores ipsos a dictis terris ejusdem regis Aragonum absentes fore contingeret, antequam incipiant in bonis administrare predictis, offerre juramentum et homagium hujusmodi dicto regi, si ipse in aliquo dictorum regnorum aut comitatu in quo preceptoria fuerit presens extiterit, alioquin locum tenenti ejus infra predictum tempus prestare juramentum et homagium facere hujusmodi teneantur. Quo elapso, sive dicta juramentum et homagium sint recepta, vel etiam non recepta, liceat predictis inferioribus preceptoribus vel ipsorum loca tenentibus ad eorum loca redire et absque displicentia vel indignatione regis ejusdem seu locum tenentis ipsius in bonis administrare libere supradictis. Volumus tamen quod tam magister ipse seu castellanus aut preceptor major predicti Hospitalis, seu locum tenens ipsius, eo absente, quam alii qui fuerint sub eodem in regnis et terris ejusdem regis Aragonum, ad curias ipsius regis accedant, et ei et suis heredibus et successoribus omnia faciant que ipsi iidem ac quondam Templarii, predicte ipsorum captionis tempore, facere tenebantur, quodque dictus rex Aragonum omnia servitia et jura regalia que tam ipse quam sui ab Hospitalis et quondam Templi ordinum predictorum fratribus, dum ordo ipse Templariorum subsistebat, necnon et hominibus atque bonis ipsorum habere consueverant temporibus retroactis et habere noscuntur, a magistro sive castellano et fratribus ordinis Hospitalis habere

a) illius, *Bal.*

valeat supradicti, ac eisdem regi et suis in eisdem hominibus et bonis salva et illibata serventur et integra jura et servitia supradicta, nec super ipsis eidem regi vel suis aliquod preju[319]dicium generetur. Que omnia et singula idem Vitalis, nomine procuratorio dicti regis Aragonum, necnon visitator, procurator, priores et fratres dicti ordinis Hospitalis presentes inibi, ejusdem ordinis nomine, in quantum videlicet quelibet pars exinde tangebatur et tangi poterat et debebat, acceptaverunt et approbaverunt, expresse rata habuerunt et grata, nichilominus promittentes se bona fide effecturos et curaturos quod rex et ordo predicti ea omnia et singula, prout ad unumquemque pertinebit, pertinere poterit et debebit, acceptabunt et approbabunt, rata habebunt et grata, eaque servare ac adimplere curabunt, ullo umquam tempore in contrarium non venturi. Tenor autem procuratorii dicti Vitalis talis est. Nos Jacobus, Dei gratia rex Aragonum, Valentie, Sardinie et Corsice, ac comes Barchinone, confidentes de fide, legalitate et industria vestri dilecti consiliarii ac familiaris nostri Vitalis de Villanova, militis, cum testimonio presentis publici instrumenti constituimus et ordinamus vos dictum Vitalem, presentem et hanc procurationem sponte suscipientem, certum et specialem procuratorem nostrum ad tractandum, concordandum et conveniendum, pro parte nostra, cum sanctissimo in Christo patre ac domino domino Johanne, divina providentia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo pontifice, super ordinatione per ipsum dominum summum pontificem facienda de bonis, que ordo quondam Templi habebat infra limites regnorum et terrarum nostre ditioni subjectarum, et ad consentiendum nostro nomine ordinationi de dictis bonis per dictum dominum summum pontificem faciende, prout idem dominus summus pontifex voluerit ordinare, te super hujusmodi ordinatione cum ipso domino *(a)* summo pontifice poteritis concordare, et ad firmandum ex parte nostra quamcumque dispositionem seu ordinationem dictus dominus summus pontifex fecerit, ut premittitur, de bonis predictis, et [320] ad obligandum vos, nostro nomine, dicto domino summo pontifici quod ordinationem jam dictam faciendam per eum de bonis premissis tenebimus et sequemur per nos et successores nostros, nec contraveniemus eidem; dantes et concedentes vobis, dicto Vitali, potestatem plenariam et generalem administrationem cum libera tractandi, concordandi et conveniendi cum dicto domino summo pontifice in predictis, et consentiendi

a) omis par Bal.

cuicumque ordinationi de ipsis bonis per eum, ut predicitur, faciende, ac firmandi ordinationem predictam, et in personam nostram admittendi et recipiendi quecumque ad nos spectaverint ex ordinatione jam dicta ad nostri *(a)* et regni nostri satisfactionem, et omnia alia faciendi in et super predictis, prout vobis videbitur, quecumque nos in predictis et eorum quolibet possemus facere, si presentes essemus; ratum et firmum habere promittentes perpetuo, per nos et nostros, quicquid per vos, dictum Vitalem, nostro nomine, in predictis tractatum, concordatum, conventum et firmatum fuerit et nullo tempore revocare sub bonorum nostrorum omnium *(b)* hypotheca. In cujus rei testimonium presens scriptum nostrum *(c)* inde fieri jussimus sigilli majestatis nostre munimine roboratum. Quod actum est Barchinone, xv kal. martii, anno Domini MCCCXVJ. Signum Jacobi, Dei gratia regis Aragonum, Valentie, Sardinie, et Corsice, ac comitis Barchinone, qui hec concedimus et firmamus. Testes sunt, qui predictis presentes *(d)* interfuerunt, Gondisalbus Garsie, miles, consiliarius, Petrus Marci, thesaurarius, et Guillelmus Oulomarii *(e)*, judex curie domini regis predicti. Signum mei Bernardi de Aversone, dicti domini regis notarii, et publici etiam auctoritate sua per totam terram et dominationem ipsius domini regis, qui mandato suo hec scribi feci et clausi loco, die et anno prefatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre ordinationis, donationis, concessionis, unionis, incorporationis, applica[321]tionis, annexionis, voluntatis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Avenioni, IIIJ ydus junii, pontificatus nostri anno primo.

L

Compositio[1] inter regem Aragonum et Hospitale Sancti Joannis Jerosolymitanensis super facto magistri ordinis de Calatrava, et ordinatio monasterii de Montesia. — Avignon, 10 juin 1317.

Johannes, episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Pia matris Ecclesie cura de fidelium salute sollicita, sicut

a) nos, *Bal.* — *b)* omnium nostrorum, *Bal.* — *c)* nostrum, *omis par Bal.* — *d) omis par Bal.* — *e)* Onlomarii, *Bal.*

1. D'après le registre d'Avignon *2*, fol. 245 v°-248 v°. Baluze s'est servi du ms. latin *4114* (ancien Colbert *829*).

in palmitibus fidei catholice dilatandis accensa caritatis ardoribus delectatur, sollerter invigilat, et fructuosi operis prosecutione laborat, sic vias et modos diligenter exquirit quibus hostium ipsius fidei conatibus obviet, vires reprimat, et hii presertim fidei catholice cultores, quos loci vicinitas eisdem hostibus appropinquat, oportune tuitionis muniti presidiis, ab eorum impugnationum incursibus, juvante Domino, preserve[n]tur. Dudum siquidem felicis recordationis, Clemens papa V, predecessor noster, etc. *ut in alia usque* infra dictum regnum Valentie constituto de predictorum fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis ordinamus de novo, ad honorem Dei et exaltationem catholice fidei, ac depressionem ipsorum infidelium construi, in quo fratres, etc. *usque* eisdem vicinantium periculosis insultibus debeant collocari, ut sic idem regnum ac fideles eo ferventius, etc. *usque* prehabita, et de ipsorum consilio ac ejusdem plenitudine potestatis, ducti presertim dicti regis instantia, ex nunc ex causa premissa omnia et singula bona immobilia quecumque et in quibuscumque [322] sistentia, nomina, actiones, jura, jurisdictiones, et honores, homines et vassallos quoslibet, et alia quecumque *(a)* que dictus quondam ordo Templi tempore captionis, etc. *usque* regno Valentie, necnon parrochialem ecclesiam dicti castri de Montesia, auctoritate apostolica, donamus, incorporamus, applicamus, annectimus in perpetuum et unimus; domo tamen cum ecclesia, censibus ac *(b)* redditibus quos idem ordo Hospitalis Sancti Johannis, etc. *usque* volumus remanere, decernentes irritum et inane si secus super hiis, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attemptari. Et nichilominus concedentes magistro et fratribus ordinis supradicti, qui pro tempore fuerint, quod omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus et libertatibus gaudeant, que magistro et fratribus ejusdem ordinis, in dicto regno Castelle consistentibus, sunt ab apostolica Sede concessa, quodque ipsi *(c)* magister et fratres ejusdem ecclesie de Montesia curam gerere valeant per ydoneum presbiterum, ipsius ordinis professorem. Volumus autem quod magister et fratres ejusdem monasterii construendi, qui pro tempore fuerint, pro dictis bonis, ut predicitur, concessis eisdem, ea que dicti Hospitalis et quondam Templariorum fratres facere debebant cum bona tenebant predicta facere teneantur, quodque dictus rex Aragonum omnia servitia et jura regalia, que tam ipse quam sui ab Hospitalis et quondam ordinis Templi predictorum fratribus, dum ordo

a) et alia quecumque, *omis par Bal.* — *b)* et, *Bal.* — *c)* ipse, *Bal.*

ipse Templariorum subsistebat, necnon et hominibus atque bonis ipsorum habent et habere consueverant temporibus retroactis, habere valeat a magistro et fratribus predicti monasterii construendi, sibique et suis in eisdem hominibus et bonis salva et illibata serventur et integra jura et servitia supradicta, nec super ipsis eidem regi vel suis aliquod prejudicium generetur. Statuimus insuper et etiam ordinamus quod prefatum monasterium, taliter construendum, eidem ordini de Calatrava hoc sit modo subjectum, [323] videlicet quod magister ipsius ordinis de Calatrava, qui est et qui pro tempore fuerit, possit per se vel per alium seu alios dictum monasterium, semel in anno vel pluries, si necesse fuerit, visitare et in eodem corrigere que fuerint corrigenda, ita tamen quod ipse magister de Calatrava, cum voluerit in eodem novo monasterio hujusmodi visitationis officium exercere, diem adventus ejus dilecto filio.. abbati monasterii Sanctarum Crucum, ordinis Cisterciensis, Terrachonensis dyocesis, per tantum tempus ante ipsius magistri vel illius, quem ipse magister ad ipsius visitationis officium destinabit, debeat nuntiare quod idem abbas Sanctarum Crucum, ipso die adventus prefati magistri vel illius, quem ad hoc idem magister, ut predicitur, destinabit, pro visitatione predicta possit esse paratus, vel si forsan ipse vacare non posset, dilectus filius .. abbas monasterii Sancte Marie *(a)* de Valledigna, ejusdem Cisterciensis ordinis, Valentinensis dyocesis, valeat in dicta visitatione, cum dicto magistro vel alio pro visitatione hujusmodi destinando, suam presentiam exhibere, nec magister ipse in eodem monasterio noviter construendo, absque consilio et assensu alterius abbatum predictorum, correctionem vel ordinationem possit aliquam exercere. Quod si forte neuter abbatum ipsorum ad prefatum monasterium novum, die visitationis hujusmodi, posset accedere, dicto magistro visitationem exercere liceat supradictam. Volumus autem quod administratores novi monasterii supradicti abbati et magistro de Calatrava pro personis et equis eorum, dicta visitatione durante, teneantur in victualibus providere. Ceterum provisionem de primo magistro dicto novo monasterio faciendam dispositioni nostre et Sedis apostolice reservamus. Qui cum creatus extiterit, recipiendi fratres ibidem, quot voluerit et viderit expedire, plenam et liberam habeat potestatem; ad quorum informationem iidem magister et abbas ejusdem monasterii Sanctarum Crucum decem fratres ejusdem ordinis de Calatrava, in eo[324]dem ordine approbatos, de quibus eis visum fuerit, convo-

a) Sancte Marie, *omis par Bal.*

cabunt. Statuimus etiam, auctoritate predicta, quod magistro ipsius novi monasterii, qui pro tempore fuerit, cedente vel etiam decedente, conventus seu fratres ejusdem monasterii eligendi sibi et eidem monasterio magistrum aliquem de ipso ordine Calatravensi liberam, infra trium mensium spatium ad tardius, habeant facultatem; qui, eo ipso quod electus extiterit, pro confirmato, si in plena concordia electus fuerit, habeatur, et sine confirmatione alia libere administret. Quod si forte idem conventus et fratres, infra dictum tempus, magistrum non elegerint antedictum, prefatus magister de Calatrava, cum consilio et assensu alterius abbatum predictorum, possit de magistro dicto novo monasterio providere. Cetera vero bona omnia et singula, que dictus quondam ordo militie Templi, tempore captionis predicte, in eodem regno Aragonum et terris aliis regi predicto subjectis habebat, possidebat, et habere poterat et debebat, et que ad illum poterant rationabiliter pertinere, queve per dictum regem Aragonum vel alium quemlibet detinebantur et detinentur in regno et terris eisdem, assentiente predicto Vitale, nomine dicti regis, ordini et Hospitali predictis donanda, concedenda, unienda, incorporanda, annectenda duximus et perpetuo applicanda, certis modis adjectis quos pro plena securitate ipsorum regis et regni Aragonum, et *(a)* ad propellenda imminentia sibi queque pericula, vidimus expedire, prout in nostris certi tenoris litteris super hoc confectis, quas in suo volumus robore permanere, plenius continetur. Que omnia et singula idem Vitalis, nomine procuratorio dicti regis Aragonum, necnon visitator, etc. *usque* hanc paginam nostre ordinationis, donationis, incorporationis, applicationis, annexionis, unionis, voluntatum, constitutionum, concessionis et reservationis infringere, etc. *ut in alia.* Datum Avenioni, IIIJ ydus junii, pontificatus nostri anno primo.

LI

[325] Fundatio [1] ecclesiae collegiatae Sancti Petri de Romevo, vulgo « Larromieu », in dioecesi Condomiensi. — Avignon, 30 juillet 1318.

Universis et singulis presentibus pariter et futuris presentes litteras inspecturis seu audituris Arnaldus de Auxio, miseratione divina episcopus

a) omis par Bal.

1. Ex archivo S. Petri de Romevo, *Bal.*; pièce non retrouvée.

Albanensis, salutem in Domino sempiternam. Si regibus et principibus christianis temporalibus homines constituuntur obnoxii propter illa que ab eisdem recipiunt rerum temporalium caduca beneficia, quanto magis summo principi, regi regum et Domino dominantium debitores efficimur, a quo recipimus et tenemus id quod sumus, vitam, corpus videlicet et spiritum, et omne quod desursum est donum optimum et perfectum. Hinc est quod nos Arnaldus prefatus, quantum humana sinit conditio, reducentes ad memoriam recompensationis et recognitionis judicium in quantum ad Dei et beate Marie virginis, matris ejus, et omnium supernorum civium, et specialiter beati gloriosissimi Petri apostoli laudem, gloriam, honorem et divini cultus augmentationem, necnon ad nostrorum parentum et progenitorum nostrorum et omnium fidelium animarum salutem et peccatorum redemptionem afficiamur, in villa de Romevo, Condomiensis dyocesis, unam sub nomine beati Petri apostoli edificavimus et fundavimus ecclesiam. Cumque quilibet in re sua sit moderator et arbiter, et apponere valeat conditionem et modum quos voluerit, si eam in alium transferat quoquo modo, idcirco nos, Arnaldus de Auxio predictus, premissis infrascriptis conditione seu conditionibus et protestatione seu protestationibus universis super et ante translationem rerum et bonorum nostrorum de quibus ut sequitur collegiatam ecclesiam secularem fundare et dotare disposuimus et disponimus, talem conditionem apponi[326]mus, reservamus et etiam retinemus ut fundator sive patronus quod si omnia et singula que nobis, sicut vero patrono, fundatori et heredibus nostris in perpetuum, etiam laicis, retinuimus, reservavimus, et adhuc retinemus et etiam reservamus in ordinatione infrascripta et in dotis assignatione, constructione collegiate ecclesie supradicte, non retinerentur, reservarentur, auctorisarentur, confirmarentur sic retenta, reservata, bene disposita, ordinata per ordinarium dicti loci, tractatu habito prius cum suo capitulo, de eorum consilio et assensu non haberentur, quod nos seu nostri in perpetuum heredes seu laici ex tunc ut ex nunc libere, plene, quiete et absque contradictione seu impedimento, difficultate, dilatione quibuslibet juris, facti, consuetudinis, privilegii, vel statuti, sive quavis alia occasione vel causa ea omnia bona, res predictas capere, accipere, retinere, seu ad manum nostram reducere valeamus sive possint nostri in perpetuum heredes predicti absque alicujus judicis auctoritate seu juris, consuetudinis, privilegii, statuti solemnitate seu observantia alia qualicumque, etiamsi ad quemcumque vel quoscumque

dominium aut possessio predictorum in toto vel in parte vel alicujus ex eisdem translati fuissent fuerintve seu sint eo ipso reducta et ad hanc conditionem seu conditiones protestationem seu protestationes supra et infra scriptas etiam super ante, et post, quandocumque et quotiescumque repetemus, et in omnibus et singulis retentis per nos et reservatis et promissis pro repetitis haberi volumus, et in et pro quolibet repetimus quibus sic et meliori et saniori modo seu modis quo seu quibus pro intentione nostra et heredum nostrorum predictorum etiam laicorum intelligi ac poterint repetita et facta.

In nomine sancte Trinitatis et individue unitatis ordinamus quod ecclesia ipsa Beati Petri de Romevo perpetuo collegiata existat et regi habeat per decanum, qui per electionem collegii seu ca[327]pituli ipsius ecclesie assumetur in perpetuum secundum modum qui inferius describitur, qui eo ipso per idem capitulum seu collegium dicte ecclesie Sancti Petri de Romevo electus et per dominum episcopum Condomiensem seu successores suos qui pro tempore fuerint, et ad quos in futurum perpetuis temporibus ipsius decani confirmatio pertinebit, confirmatus, curam habebit parrochie ecclesie dicte ville de Romevo, quousque ad confirmationem novi decani ille vel illi qui decano mortuo de ipsius domini episcopi Condomiensis vel successorum suorum aut eorum vices gerentium licentia animarum curam exercebat vel exercebant idem cure exercitium retinebunt. Item quod in ipsa ecclesia sint subdecani, cantoris, sacriste et operarii officia.

Item quod in collegio seu capitulo supradicto ultra decanum, qui etiam canonicus existat, computatis subdecano, cantore, sacrista et operario, sint decem octo canonici seculares, qui vivere habeant in communi quousque, si ab alto processerit, ipsius ecclesie Sancti Petri de Romevo sic excreverint facultates quod laudabiliter et decenter possit fieri de bonis ipsius ecclesie distinctio prebendarum et quotidianarum distributionum vel alterum eorum quod sufficiat ad vivendum ad partem, et ad hoc concordent decanus et capitulum et nos seu nostri in hac parte heredes, etiam laici, qui patroni pro tempore erunt.

Item quod decanus habeat in omnibus in capitulo primam vocem, subdecanus secundam, cantor tertiam, sacrista quartam, operarius quintam, ceteri autem canonici, prout priores erunt tempore, habebunt voces suas.

Item quod infra clausuram seu septa ecclesie, claustri, edificiorum, seu domorum ipsius ecclesie contiguarum eidem ecclesie et claustro

interim et ex tunc habeant pernoctare, illi videlicet qui fuerint intra parochias dicte ville de Romevo et Beati Johannis de Roeda et [328] Mascalaco et Sancti Petri de Gobesio et de Bellomonte et Sancti Agnani propinquas parochias dicte ville, dum tamen sint in bono statu, et alia causa legitima non obsistat, vel decani assensus accedat ad ista, transgressores in hac parte juxta ordinationem nostram penas volentes incurrere ordinandas per decanum et capitulum vel taxandas. Quorum decem et octo canonicorum, computatis et inclusis subdecano, cantore, sacrista, operario, erunt quatuor dyaconi et quatuor subdyaconi.

Item quod si illi qui nunc vel alias quomodocumque, quandocumque, successive ponentur seu instituentur aut presentabuntur pro canonicatibus, vel ad dicta quatuor beneficia seu officia vel ipsorum aliquod assumentur, non sint in predictis ordinibus, prout ejusmodi beneficia et officia seu prebende exigent, constituti, quod teneantur se facere infra annum a tempore quo pacificam possessionem beneficiorum, officiorum, canonicatuum, seu prebendarum hujusmodi adepti fuerint, ad predictos ordines promoveri. Alioquin illi qui non fecerint se promoveri, ut dictum est, eo ipso omni jure et commodo canonicatus ipsius ecclesie, subdecanatus, cantorie, sacristie et operarie officiis, si ipsa tenentes in premissis, sint privati.

Item quod si aliquis vel aliqui predictorum canonicorum, dyaconorum, et subdyaconorum ex devotione vellet se facere ad quoscumque superiores ordines promoveri, in nullo prejudiciet illis nec etiam aliis qui subrogabuntur loco eorum.

Item quod in hac prima ordinatione nos Arnaldus de Auxio, patronus predictus, creemus, ponamus et instituamus in ipsa ecclesia quos voluerimus in decanum et canonicos instituendos ibidem, et nichilominus hoc idem quotiens in vita nostra, etiam completa hujusmodi ordinatione, casus vacationis decanatus, subdecanatus, seu canonicatus in ipsa ecclesia contigerit, nisi in vita nostra nos [329] volumus specialiter et expresse heredem vel heredes nostros, etiam laicos, in hac parte uti jure patronatus, per presentem ordinationem et institutionem heredis per nos irrevocabiliter factam vel faciendam pro suis acquisitis heredes seu heredibus eisdem in casibus vacationis seu vacationum ipsorum.

Item quod collegium seu capitulum ipsius ecclesie Sancti Petri, toties et quotiens habebunt decanum eligere, teneantur instanter petere a predicto herede seu heredibus, etiam laicis, licentiam eligendi decanum, et quod postquam petierint et obtinuerint, teneantur eligere

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

concorditer alterum de duobus vel tribus personis ydoneis quas heres seu heredes nostri, etiam laici, nominabunt eisdem. Et omnia data et singula supra et inferius scripta in fundatione predicta nos retinemus et retinuimus nobis et nostris heredibus, etiam laicis, in perpetuum, et voluimus et volumus retinere, et quod postquam alteram de duabus vel tribus personis canonici elegerint, teneantur eam presentare eisdem heredi seu heredibus, etiam laicis, ut suum pium impertiantur assensum.

Item quod subsequenter episcopo Condomiensi et successoribus suis, qui fuerint pro tempore, idem capitulum teneatur presentare personam eamdem.

Item quod in casu ubi omnes canonici essent privati jure canonicatus, vel alio tali impedimento detenti quod de jure eligere non possent decanum, et ecclesia careret decano, predicti nostri heredes, etiam laici, nominabunt episcopo Condomiensi memorato vel successoribus suis in perpetuum duas vel tres personas ydoneas pro decano, et idem episcopus vel successores sui in decanum unam de eis quam voluerint admittere et de ea illa vice providere predicte ecclesie Sancti Petri teneantur. Si tamen in hiis casibus ante nominationem hujusmodi heredes nostri, etiam laici, voluerint in eadem ecclesia personas ydoneas eidem episcopo et successoribus suis pro canonicis presentare, idem episcopus et successores sui [330] eas in hoc casu dumtaxat admittere et instituere possint. Ubi vero quandocumque aliquis vel aliqui morientur de canonicis institutis vel alias quandocumque desinent esse canonici, nostri in perpetuum heredes, etiam laici, decano et collegio seu capitulo predicte ecclesie presentabunt perpetuis temporibus, quotiescumque casus hujusmodi vacationis contigerint, intra numerum supradictum jure sibi in hac parte competenti personam seu personas ydoneas, et ipsi presentatum seu presentatos habebunt in canonicos recipere et instituere in eadem usque ad decem et octo canonicorum numerum prelibatum.

Item si contigerit quod facultates ipsius ecclesie Sancti Petri de Romevo quomodolibet et quandocumque et quotiescumque adeo excrescerent quod essent ultra convenientes servitores dictorum decem et octo canonicorum numerus excrescendus in ea, provisio seu creatio sit nostra quamdiu vixerimus, et presentatio sit semper, ut de predictorum decem octo, heredum nostrorum, etiam laicorum, de quibus in perpetuum excresceret numerus in futurum, decanus et capitulum ejusdem ecclesie Sancti Petri heredis ac heredum nostrorum predictorum, etiam laicorum, presentationem recipere et instituere teneantur.

Item quod si, ubi deerit aliquis canonicus seu aliqui seu omnes, quod absit, insimul vel casu aliquo successive de numero decem octo supradicto deessent, vel essent jure canonicatus ipsius ecclesie privati, nostri heredes, etiam laici in perpetuum habeant alium vel alios decano et capitulo ipsius ecclesie Sancti Petri, si aliquis de canonicis supersit qui faciat capitulum cum decano, vel etiam subdecano, si ecclesia Sancti Petri de Romevo careret decano, vel soli decano, si nullus canonicus superesset, quotiescumque perpetuo usque ad perfectionem hujusmodi numeri et etiam plurium, si contingat excrescere numerum, secundum excrescentium facultates presentare, et [331] ipse vel ipsi qui capitulum facient in ea sic presentatum seu presentatos recipere, et instituere ac installare teneantur.

Item quod quandocumque servitorum clericorum etiam non canonicorum, qui erunt pro tempore in ipsa ecclesia Sancti Petri ad serviendum in divinis, sive sint presbiteri, dyaconi, subdyaconi, aut clerici simplices, vel ad tempus ponendi in ea, spectet provisio seu creatio ad nos, et post nos presentatio ad nostros heredes etiam laicos facienda decano et capitulo memorato, et ipsi decanus vel capitulum presentatos seu presentandos hujusmodi, si ydonei fuerint, recipere teneantur.

Item quod si aliquem vel aliquos canonicos, etiam in officio constitutos, a dicta ecclesia Sancti Petri ex quacumque causa preterquam pro negotiis ecclesie, et tunc etiam de consensu decani et capituli, ultra mensem absentes esse contingat, capitulum loco illius seu illorum absentium, si sit presbiter, presbiterum, si diaconus, dyaconum vel presbiterum, si subdyaconus, subdyaconum vel presbiterum ydoneos ad serviendum in dictis ordinibus et divinorum officiorum munia facienda juxta gradum ordinis sui ad ordinationem nostram vel presentationem heredum nostrorum, etiam laicorum, usque ad reditum illius seu illorum absentium valeat subrogare; et quod hujusmodi absentes canonici cum redierint, sic subrogatos pro labore suo ultra esculentum et poculentum que receperint de communi, teneantur remunerare de suo ad arbitrium nostrum vel heredum nostrorum, etiam laicorum. Intra vero dictum mensem presentes canonici insimul cum absente in gradu seu ordine constituti alternis vicibus in ordine suo teneantur facere officium quod absens canonicus, si esset presens, facere teneretur.

Item si non esset decanus presens in dyocesi, vel esset excommunicatus, suspensus, vel interdictus, aut mortuus, aut aliquo modo ecclesia careret decano, quod [332] capitulo per predictos ad quos, ut pre-

mittitur, spectat et spectabit posset fieri presentatio canonicorum et clericorum et institutio per eosdem. Et in casu si ecclesiam ipsam, postquam, ut premittitur, erit de decano et decem octo canonicis ordinata, careret, quod absit, decano et capitulo, quod ad nos, quoad vixerimus, sicut ad primam vicem spectet creatio decani, et canonicorum ac clericorum ecclesie memorate, et nobis mortuo, ad nostros heredes, etiam laicos, nominatio decani prefato domino Condomiensi episcopo et suis successoribus, ut supra premittitur, quando est capitulo faciendi. Quotiescumque contigerit casus similis in eadem, uno decano electo fiet ei presentatio per heredes predictos in casu hujusmodi de personis ydoneis canonicandis ibidem. Et tunc ad presentationem hujusmodi, videlicet si omnes presententur vel quasi..... per solum decanum instituerentur hujusmodi presentati. Si vero aliquos primo, deinde alios presentari contingat per diversa temporis intervalla, tunc presentabuntur per heredes predictos decano et canonicis institutis. In aliis vero casibus fiet, ut premittitur, presentatio canonicorum et clericorum per heredes nostros predictos, etiam laicos, decano et capitulo ecclesie memorate, et institutio erit facienda per heredes, ut superius est expressum.

Item quod decanus et capitulum, cum auctore Deo quandocumque et undecumque excreverint facultates ipsius ecclesie, libere distinctiones prebendarum et quotidianas distributiones vel aliorum eorum requisito et obtento consilio et voluntate in omnibus quoad ea ordinanda in modo et forma, quibus fuerit melius ordinanda, juxta voluntatem, ordinationem, et assensum nostrum vel heredum nostrorum, etiam laicorum, valeant ordinare, in quibus remaneant et sint sicut in aliis supra et infra scriptis.

Item quod decani qui fuerint pro tempore in eadem ecclesia Sancti Petri suo et collegii seu capituli dicte ecclesie [333] nomine et ipsius ecclesie ac prioratus dicte ville nunc juncti dicte ecclesie Sancti Petri et pro cura parochie ejusdem ville de suo proprio prefato episcopo Condomiensi et successoribus suis semel in anno, cum eam visitaverint, procurationem facere seu solvere teneantur.

Item quod collatio seu provisio officiorum subdiaconatus, cantorie, sacristie et operarie predictorum ad nos Arnaldum de Auxio, patronum prefatum, quamdiu vixerimus, spectet et pertineat pleno jure. Nobis autem mortuo, nostri in hac parte heredes etiam laici, qui pro tempore fuerint, ad ipsa beneficia seu officia et ad ipsorum quodlibet, quotiescumque et quandocumque ipsa vel ipsorum aliquod vacare contigerit, personam seu personas ydoneas decano et capitulo presen-

tabunt, et iidem decanus et capitulum sic presentatum seu presentatos admittere ad ipsa beneficia seu officia et ad ipsorum quodlibet et in ipsis instituere et installare tenebuntur. Et idem fiet et observabitur in perpetuum in omnibus et singulis aliis beneficiis seu officiis que in futurum per nos vel nostros in hac parte heredes, etiam laicos, creabuntur, ordinabuntur, dotabuntur, et constituentur, super quorum creatione, ordinatione, dotatione, seu constitutione, quandocumque in futurum expediens videbitur faciendis nobis et nostris in hac parte heredibus, etiam laicis, ante ipsam fundationem et in ipsa fundatione expresse et ex certa scientia plenam et liberam retinuimus et retinemus potestatem.

Item quod decanus et canonici supradicti et eorum pro tempore successores omnes et singuli insimul vel divisim predictam ordinationem, reservationem et retentionem factam seu factas per nos et per dictum dominum episcopum Condomiensem auctorisatam et confirmatam seu auctorisatas et confirmatas de ipsius capituli consilio et assensu, in quantum tangit et tangere potest seu poterit in fu-[334]turum jus nostrum seu heredum nostrorum etiam laicorum, jurent ad sancta evangelia corporaliter manu tacta patrono presente manutenere et inviolabiliter observare, nec contra facere vel venire per se vel alium seu alios, quoquo modo, nec prestare in aliquo in contrarium consilium, auxilium vel favorem. Decanus vero infra tres dies in manu capituli, postquam confirmatus, et canonici in manu decani, postquam fuerint recepti, instituti seu installati, et insuper beneficiati seu beneficiales quicumque jurent sub forma simili infra tres dies postquam dimissi ad beneficia seu ad officia fuerint in manibus decani, etiamsi antea canonici juravissent.

Item quod quicumque contradixerit super hiis vel aliquo predictorum jus nostrum seu nostrorum in hac parte heredum, etiam laicorum, in aliquo quovis modo tangentium, seu alias prestiterit consilium, auxilium vel favorem, palam, publice, vel occulte, vel sub forma predicta premissum juramentum non prestiterit, si decanus, jure canonicatus et prebende aut decanatu, si in beneficio vel beneficiis et aut officio vel officiis constituti, jure canonicatus et prebende ac beneficio vel officio, et si canonicus, jure canonicatus et prebende ipsius ecclesie ultra reatum perjurii sint perpetuo ipso facto omnino privati, nisi ponerentur vel presentarentur persone minus ydonee. Quo casu nos et nostri in hac parte heredes, etiam laici, possimus variare et iterum presentare quotiens licet alii laico patrono in casibus, in quibus laico competit beneficiorum presentatio, etiam laicorum.

Item repetita seu repetitis et innovata seu innovatis omnibus et singulis conditione seu conditionibus, protestatione seu protestationibus premissis, quas in omnibus et singulis scriptis, verbis, dictionibus, orationibus, titulis et actibus infrascriptis esse volumus innovatas, repetitas et factas de novo, in tali quidem tenore quod per aliqua que inferius [335] scribentur, dicentur vel fient quoquo modo non intendimus nec volumus ipsas conditionem seu conditiones, protestationem seu protestationes, nec earum aliquam aliam facto, dicto vel scripto contrario esse cassatas, nec renuntiasse eisdem vel alicui eorumdem, sed retinere plene roboris firmitatem, adeo quod omnia per que viderentur esse casse, irrite vel nulle renunciationes eedem pro non factis, scriptis et dictis habeantur. Quibus conditione seu conditionibus, protestatione seu protestationibus, et earum qualibet in suo robore permanentibus, et additis in eis conditionibus hujusmodi damus, concedimus et assignamus eidem ecclesie Sancti Petri de Romevo pro dote et in dotem et dotis nomine de presenti tam in bonis nostris quam proximorum nostrorum laicorum de sanguine nostro nobis per eos ad hoc concessorum, et quorum consilio, auxilio, et adjutorio magno et sudoribus eorumdem dictum opus perfectum et operatum, sicut est, extitit, omnes et singulas decimas nostras bladi et vini, et quascumque alias per nos titulo emptionis vel alias nostri vel dicte ecclesie nomine acquisitas, seu ad nos ex quacumque causa seu titulo quomodolibet pertinentes, in quibuscumque dyocesibus, territoriis et parochiis existant. Item omnia et singula servitia, oblias, census seu deveria, quecumque sint et in quibuscumque feudis seu rebus consistant. Item et omnia agreria, territoria et deveria bladi et vini, et quecumque alia per nos emptionis titulo modo quolibet acquisita, quecumque sint, et quocumque nomine nuncupentur, et nobis debeantur ex quibuscumque rebus. Item et prioratum dicti loci de Romevo cum suis juribus et pertinentiis tam spiritualibus quam temporalibus universis, quem magnis laboribus et expensis uniri per Sedem apostolicam procuravimus ecclesie memorate. Item et singula bona nostra immobilia per nos titulo emptionis, donationis, permutationis, seu alias qualiter[336]cumque acquisita nobis et ecclesie memorate que habemus et habere debemus in dicta villa de Romevo et in pertinentiis et territoriis dicte ville et alibi et ubicumque sint, sive sint terre culte vel inculte, vineas, prata, nemora, domos, edificia, molendina, possessiones, piscaria, stagna, pascua, jura jurisdictionis, vel quecumque alia mobilia, sive quocumque nomine nuncupentur, ubicumque sint et inter quoscumque

confines seu confrontationes vel adjacentias consistant, exceptis infrascriptis dispositioni nostre retentis. Item et omnia bona nostra immobilia patrimonialia que habemus vel habere debemus in predicta villa et de pertinentiis ac territoriis dicte ville et parochiis Sancti Johannis de Roeda, et de Mascalaco, et Sancti Petri de Gobesio, et de Bellomonte, ac Sancti Agnani propinquorum parochie dicte ville vel alibi, ubicumque et quecumque sint, et quocumque nomine nuncupentur; exceptis tamen et retentis domibus, vineis, pratis, terris, viridariis, aquis, que habemus juxta dictam villam in parochiis de Roeda et de Gobesio, in loco vocato Monspessulanus, et casale de Agulacho inter vineam heredum Bernardi Lovizaco et vias publicas, quarum per unam itur de dicta villa de Romevo apud Condomium, et per aliam apud ecclesiam de Gobesio, que et quas habemus in dicta parochia de Gobesio in loco vocato au Biner inter rivum dictum de Veriens et viam per quam itur de dicta villa de Romevo apud Paratgens et inter terram, vineam et piscariam domini episcopi Pictaviensis et heredum Petri de Auxio, quondam fratris ipsius domini episcopi; que nobis et dispositioni nostre reservamus.

Item retinemus nobis et dispositioni nostre domum, aulam seu palatium quod habemus juxta cellarium Petri de Tunica alba, et licet non in..... de prope juxta dictam ecclesiam, cum omnibus plateis eisdem domui, palatio sive aule adjacentibus usque ad sex rasas juxta parietes [337] propinque dicte ecclesie; quas sex rasas dumtaxat ex illa parte volumus esse ecclesie memorate.

Item retinemus nobis omnes alias domos quas habemus inter murum claustri prioratus olim dicte ville, et cellarium et plateas dicti Petri de Tunica alba media vel non media carreria seu intratus per quem intratur de carreria vocata putei ad dictam domum, aulam sive palatium, cum omnibus aliis hospitiis suis eidem adjacentibus incingentibus et intraviantibus eamdem ecclesiam.

Et in dotem eidem damus reliquias, bona, jocalia et lapides pretiosos, et alia ecclesiastica ornamenta, prout inferius continentur. Et primo unam crucem argenteam inauratam altitudinis unius cubiti et quatuor digitorum, ponderis trium marcarum argenti, cum pretioso ligno salutifere sancte crucis in cruce eadem infixo, et cum quinque lapidibus pretiosis. Item unum brachium argenti cum pede suo altitudinis unius cubiti, ponderis quatuordecim marcarum et dimidie; in quo brachio sunt reliquie, videlicet brachium sancti Timothei in duobus digitis rectis, videlicet in indice une uncie digiti dextere manus beati Georgii, et in medio altero digito totus digitus integer

sancte Lucie. Item duas capsas argenti existentes subtus dictum brachium, que capiuntur sub dicto pondere, in quibus sunt he reliquie, videlicet in majori capsa de pede sancti Andree, sancti Damiani, sancti Hippolyti, sancti Petri apostoli, sancti Hilarii, sancti Blasii episcopi, de maxilla sancti Stephani martyris, sancti Jacobi Alphei, sancti Hieronymi. Item in majori capsa sanctorum Innocentium, et de cruce boni latronis, et de brachio sancte Cecilie, de sancto Eligio, de sancto Simeone, digitus sancti Laurentii, sancte Soline, sancte Barbare, de sancto Johanne Baptista. Item unam capsam sive caput argenti deaurati ponderis duodecim marcarum argenti et trium unciarum et medie; in qua capsa est caput unius virginis undecim millium virginum. Item tres cali[338]ces argenti cum patenis suis, qui sunt in eadem ecclesia. Item vestimenta sacerdotalia et ecclesiastica que nunc sunt in ipsa ecclesia. Item libros necessarios pro divino officio celebrando qui sunt ibidem. Item cymbala et campanas que sunt modo in ecclesia antedicta.

Et insuper intendimus quod nos, prout nostra possibilitas fuerit et oportunitas sese obtulerit, augmentabimus seu augmentari procurabimus et faciemus dotem predictam taliter quod ibidem decanus et canonici existentes cum servitoribus eorum poterunt melius et plenius sustentari et Deo inibi laudabiliter deservire, repetitis et factis ut supra omnibus conditione seu conditionibus, protestatione seu protestationibus supradictis, deque pluribus aliis pretiosis reliquiis cum repositoriis earum de argento deaurato et crucibus argenteis aliis deauratis, necnon etiam de paramentis, ornamentis, et vestimentis ecclesiasticis aliis quampluribus pretiosis, ac etiam de libris ecclesiasticis et aliis in multitudine magna et magno valore intendimus insignire dictam ecclesiam et dotare.

In quorum omnium et singulorum premissorum testimonium nos Arnaldus de Auxio, patronus prefatus, presentes litteras ordinationem, conditionem seu conditiones, protestationem seu protestationes nostras continentes scribi fecimus et sigilli nostri quo utimur munimine roborari.

Datum Avenioni in hospitio habitationis nostre, anno Domini a nativitate ejusdem MCCCXVIIJ, indictione prima, die penultima mensis julii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Johannis divina providentia pape XXIJ anno secundo.

LII

[339] Bulla[1] Joannis XXII de unione decanatus Issigiacensis cum mensa episcopali Sarlatensi. — Avignon, 7 août 1319.

Johannes, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis.. Avinionensi et.. de Montepesato Caturcensis archidiaconis, ac Petro de Savinhiaco, canonico Agennensis ecclesiarum, salutem et apostolicam benedictionem. Ad Sarlatensem ecclesiam, quam olim monasterium, ordinis sancti Benedicti, pro divini cultus augmento, de fratrum nostrorum consilio in cathedralem ereximus, tanquam ad opus manuum nostrarum specialis gerentes dilectionis affectum, quanto eam ampliori dilectione prosequimur et portamus sincerius in visceribus caritatis, tanto sua libentius commoda promovemus, illaque *(a)* sibi benevolentia paterna concedimus que suis fore necessitatibus conspicimus opportuna. Cum itaque mensa episcopalis Sarlatensis, secundum sui status honorem, redditus sufficientes non habeat ex quibus supportari valeant onera que sibi incumbunt, sicut exhibita nobis petitio *(b)* patefecit, nos intendentes ut ejusdem mense status in facultatibus augeatur, ut commodius onera predicta valeant supportari, decanatum de Ichigiaco *(c)*, ejusdem ordinis, Sarlatensis dyocesis, quem dilectus filius noster Bertrandus, tituli Sancti Marcelli presbiter cardinalis, ad vitam suam, ex concessione apostolica, tenere dinoscitur, ad prefatam Sarlatensem ecclesiam pleno jure spectantem, cujus redditus et proventus octingentarum librarum turonensium parvorum summam annuam ascendere possunt extimatione communi, cum omnibus juribus et pertinentiis suis eidem mense Sarlatensi, pro relevatione onerum predictorum, salvo jure cardinalis ejusdem, unimus, incorporamus et applicamus *(d)* perpetuo de gratia speciali, eidem episcopo et suc-[340]cessoribus suis Sarlatensibus episcopis, qui pro tempore fuerint, concedentes ut, cedente vel decedente cardinali prefato, vel decanatu ipso alias quocumque modo vacante, possessionem ipsius ingredi et tenere libere valeant, cujusquam alterius super hoc assensu minime

a) et illa, *Bal.* — *b)* petitio nobis exhibita, *Bal.* — *c)* Issigiaco, *Bal.* — *d)* univimus, incorporavimus et applicavimus, *Bal.*

---

1. D'après le registre d'Avignon *12*, fol. 352 r° et v°. Baluze s'est servi d'un original appartenant à l'église de Sarlat, *ex authentico ecclesiæ Sarlatensis.*

requisito, fructus, redditus et proventus, ad decanatum ipsum spectantes, in utilitatem dicte mense libere convertentes, reservata tamen monachis in decanatu ipso degentibus, pro necessariis eorum, congrua et solita portione *(a)*, ex qua juxta solitum morem valeant sustentari et alia ipsis incumbentia onera supportare; non obstante si aliqui super provisionibus sibi faciendis de dignitatibus, personatibus, decanatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis, tam regularibus quam secularibus, in illis partibus speciales vel generales a Sede apostolica litteras impetrarint vel eas medio tempore contigerit impetrari, seu quibuslibet litteris et indulgentiis apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quas effectus litterarum nostrarum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in eisdem nostris litteris mentio specialis. Nos enim ex tunc irritum decrevimus et inane, si quid contra hujusmodi unionem, incorporationem et applicationem nostras contigerit attemptari. Quocirca discretioni vestre, per apostolica scripta, mandamus quatinus vos, vel duo aut unus vestrum, per vos, vel per alium seu alios, prefatum episcopum, vel successores suos aut procuratores eorum, ipsorum nomine, cedente vel decedente cardinali prefato, aut decanatu predicto alias quocumque modo vacante, in corporalem possessionem decanatus predicti ac jurium et pertinentiarum ipsius inducatis auctoritate nostra et defendatis inductos, facientes eos pacifica illorum possessione gaudere, sibique de ipsius decanatus fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis integre responderi; [341] non obstantibus omnibus supradictis, seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Avenioni, VII ydus augusti, pontificatus nostri anno tertio.

a) pensione, *Bal.*

LIII

Bulla[1] Joannis XXII, qua delegat archiepiscopo Tolosano et collegis ejus cognitionem criminum de quibus accusabatur frater Bernardus Delitiosi, ordinis Minorum. — Avignon, 16 juillet 1319.

Johannes, episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Tholosano et .. Appamiarum (a) ac .. Sancti Papuli episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Etsi cunctorum nequitia redundans in proximi lesionem merito cunctis bonis mentibus esse debeat odiosa, illorum tamen actus nepharios acrius prosequi debet presidentis *(b)* censura judicii, qui voto regularis professionis astricti, sub agni specie, gestant lupum, et sanctimonie habitum et pietatis opera exterius pretendentes, per machinationes detestabiles proximorum exterminia moliuntur. Sane ad audientiam nostram fama, imo verius infamia publica deferente, pervenit quod frater Bernardus Delitiosi, ordinis Minorum, in profunda malorum opera obstinans, vota sua in illum prorupit horribilis factionis excessum ut conspirans in mortem felicis recordationis Benedicti XJ pape *(c)*, predecessoris nostri, operam dederit ut idem predecessor veneni poculo necaretur, et quod ad nephanda alia applicans actus pravos, molitus est cum quibusdam hominibus Carcassonensibus *(d)* necnon sindicis Albiensibus et castri de Cordua, Albiensis dyocesis, [342] ut a fidelitate clare memorie regis Francie recederent et quemdam potentem in dominum sibi assumerent ac Carcassonensem cum burgo ac Albiensem sibi traderent civitates et castrum predictum, litterasque hujusmodi proditionis habite et tractate scripsit et sigillatas sigillo consulatus Carcassonensis *(e)* detulit et assignavit dicto potenti, ipsumque rogavit et sibi consuluit, quantum potuit et induxit, ut civitatum, burgi et castri predictorum dominationem reciperet, cum ex hoc posset toti patrie dominari. Cujus quidem proditionis Petrus Probi, de Castris, et Arnaldus Garsie, de Albia, clerici, conscii et participes

a) Appamiensi, *Bal.* — *b) omis par Bal.* — *c) omis par Bal.* — *d)* burgi Carcassone *au lieu de* Carcassonensibus, *Bal.* — *e)* Carcassone, *Bal.*

1. D'après le registre d'Avignon *12*, fol. 10 v°-11 r°. Baluze s'est servi d'un ms. de Carcassonne, — *ex veteri codice Carcassonensi ms.*

fuisse dicuntur. Dictusque Bernardus populum Carcassonensem *(a)*, subdolis predicationibus ac suasionibus decipiens, adversus inquisitores heretice pravitatis et ordinem fratrum Predicatorum sic studuit concitare quod prefatus populus ad domum et ecclesiam dictorum Predicatorum in multitudine gravi et *(b)* armorum impetu concurrentes ipsorum domum et ecclesiam expugnarunt. Idemque Bernardus carceres dictorum inquisitorum fecit seu procuravit frangi et aperiri, et inde plures dampnatos de heresi abstrahi ac liberari, et quamplures domos hominum Carcassonensium *(c)* amicorum dictorum Predicatorum penitus demoliri, prede ipsorum bonis ac viridariis et prediis expositis vastitati. Et alias plures sermones, tam in ecclesiis quam extra, publice fecisse dicitur adversus inquisitores et Predicatores predictos, ex quibus eos graviter infamavit et in fidelium cordibus reddidit odiosos, eorumque processus corruptus pecunia coram quibusdam predecessoribus nostris romanis pontificibus et dicto rege Francie studuit impugnare, hereticis seu credentibus et receptatoribus eorumdem prebendo auxilium, consilium et favorem; prefatis clericis eidem in proditione et predicationibus et aliis commissis contra officium inquisitorum predictorum consentientibus, participantibus *(d)* et alias sibi prestantibus auxilium, consilium et favorem. Preter hec [343] idem Bernardus nonnulla alia detestabilia presumpsisse et commisisse dicitur que non possent presentibus absque diffusa recitationis serie enarrari. Licet igitur super premissorum aliquibus ex aliis detestabilibus commissis per eum contra dictum Bernardum, de mandato Sedis apostolice, fuerit hactenus inquisitum, quam inquisitionem vobis duximus remittendam, volentes tamen ut super premissis et nonnullis aliis articulis, quos vobis sub bulla nostra mittimus interclusos, super quibus etiam dictus Bernardus publica infamia noscitur laborare, per vos diligentius inquiratur, fraternitati vestre, presentium tenore, committimus et mandamus quatinus vos vel duo vestrum in civitate Tholose vel alibi, ubi expedire videritis, de predictis omnibus et aliis singulis in articulis predictis contentis contra Bernardum et clericos supradictos, quos jam captos et sub custodia fida detentos ad vos mitti volumus et mandamus, et quoscumque alios clericos, de quibus vobis videbitur, summarie, et de plano, et sine strepitu et figura judicii inquiratis diligentius veritatem, et si per inquisitionem jam factam vel per

a) Carcassone, *Bal.* — *b) omis par Bal.* — *c)* Carcassone, *Bal.* — *d) omis par Bal.*

vos faciendam, seu per confessionem eorum, aut alias *(a)* vobis legitime constiterit de premissis vel eorum aliquibus, contra eos ad penas debitas, etiam degradationem, quam per vos aut duos ex vobis fieri volumus, nullis episcopis seu prelatis aliis, si haberi non possint commode, convocatis, et penas alias graviores, si enormitatum ipsorum exegerit qualitas, auctoritate nostra juxta sanctiones canonicas, appellatione seu provocatione remota, procedatis, constitutione aliqua non obstante seu indulgentiis apostolicis ordini predicto concessis quod fratres dicti ordinis per litteras apostolicas nequeant conveniri vel contra ipsos quoquo modo procedi non possit, nisi in dictis litteris de indultis hujusmodi eorumque toto tenore, de verbo ad verbum, plena et expressa mentio habeatur, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposi[344]ta compescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel amore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere. Datum Avenioni, XVIJ kal. augusti, pontificatus nostri anno tertio.

Sententia lata[1] contra fratrem Bernardum Delitiosi, ordinis Minorum. — Carcassonne, 8 décembre 1319.

In nomine Domini. Amen. Dudum ad sanctissimi patris et domini nostri domini Johannis, Dei providentia pape XXIJ, fama vel infamia verius publica deduxit auditum quod frater Bernardus Delitiosi, ordinis Minorum, in profunda malorum opera obstinans vota sua, in mortem domini Benedicti XJ conspirando operam dederat, ut idem dominus Benedictus veneni poculo necaretur, quodque molitus fuerat cum hominibus burgi Carcassone et sindicis Albie et castri de Cordua Albiensis dyocesis, quod a fidelitate clare memorie domini Philippi, regis Francie, recedentes, burgum Carcassone ac civitatem etiam Albiensem et castrum predictum cuidam potenti traderent, ipsum sibi in dominum assumendo, et quod idem frater Bernardus contra inquisitores et officium inquisitionis heretice pravitatis ac ordinem fratrum Predicatorum per suas subdolas predicationes et alia multa mala in prescriptis *(b)* contenta litteris fecerat, hereticis etiam seu

a) aliter, *Bal.* — *b)* infrascriptis *(sic)*, *ms.*

1. D'après le ms. latin *4270*, fol. 174 r°-191 v° (Bibliothèque nationale de Paris), écriture du XVIIe siècle.

credentibus et receptatoribus eorumdem prebendo auxilium, consilium et favorem, pluraque alia detestabilia commiserat que non possent absque diffusa narrationis serie recitari. Propter quod idem dominus papa super predictis omnibus et multis aliis articulis, tam sub bulla sua quam etiam sub sigillis diversorum judicum, super eisdem articulis jam dudum in romana curia deputatorum, per eum transmissis venerabili patri domino Johanni, archiepiscopo Tholosano, et nobis Jacobo, Appamiensi, et Raymundo, Sancti Papuli miseratione divina episcopis, per [345] suas litteras cum illa clausula *quatinus vos aut duo vestrum*, etc., inquisitionem contra eumdem fratrem Bernardum Tholose vel alibi, ubi nobis magis videretur expediens, summarie ac de plano, sine strepitu ac figura judicii faciendam commisit, volens ac mandans expresse quod si, per inquisitionem jam tunc factam in curia aut per nos etiam faciendam, nobis constaret legitime de predictis aut eorum aliquibus, ad penam debitam, etiam degradationem, et aliam etiam graviorem, si hoc exigeret enormitas delictorum, nullis etiam aliis episcopis vel prelatis, si commode haberi non possint, vocatis, contra eumdem fratrem Bernardum procedere curaremus secundum canonicas sanctiones. Nos igitur cum prefato domino archiepiscopo, primo super hoc ad castrum novum de Arrio, dyocesis Sancti Papuli, convenientes *(a)*, et dictis apostolicis litteris, articulis etiam, et processibus factis in dicta curia super eis reverenter, ut decuit, ibidem receptis, ac sibi et nobis ex parte domini pape, ut per eum mandatum fuerat, dicto fratre Bernardo personaliter tradito, et per eum in judicio coram eodem domino archiepiscopo et nobis recognitis litteris, sigillis et processibus supradictis, ipso domino archiepiscopo, ut nobis, se super hoc excusando, asseruit, hujusmodi inquisitionis negotio ulterius intendere non valente, qui plura et graviora etiam de premissis Carcassone dicebantur fuisse commissa, propter quod credebatur verisimiliter quod eorumdem veritas posset ibi celerius ac commodius inveniri, nos igitur personaliter propter hoc venientes ad dictam inquisitionem processimus, et dicto fratre Bernardo coram nobis ibidem in judicio constituto, de plena et mera in toto hujusmodi negotio veritate dicenda et de calumpnia etiam juramentis ab ipso prestitis et a nobis receptis, multis quoque interrogationibus sibi per nos ac responsionibus et confessionibus plurimis factis ab ipso, testibusque contra eum receptis et etiam publicatis, ac defensionibus suis co[346]ram nobis propositis et exhibitis sive datis in scriptis, ipse

a) convenientibus *(sic)*, *ms.*

demum in toto hujusmodi inquisitionis negotio conclusit nobiscum, nosque habuimus pro concluso, prout hec omnia in processibus nostris super hiis habitis et actis inde confectis plenius ac seriosius continentur. Ceterum venerabilibus patribus dominis Deodato, Castrensi, et Bartholomeo, Electensi episcopis, multisque aliis magnis viris et in jure peritis ad nostram propter hec presentiam evocatis, toto ejusdem inquisitionis processu per nos eis seriose proposito et integraliter explicato, ac ipso et specialiter confessionibus et defensionibus dicti fratris Bernardi plena, frequenti et longa cum eis deliberatione discussis, ac finaliter etiam qualis pro eo et contra eumdem fratrem Bernardum deberet per nos ferri sententia, per maturum ac *(a)* concordem omnium consilium preordinatum cum ipsis nos diem et locum presentes ad audiendum nostram diffinitivam sententiam super eodem negotio, dicto fratri Bernardo presenti et consentienti, precise et peremptorie duximus assignandum. Verum ex supradictis omnibus, cum diligentia recensitis, invenimus manifeste predictum fratrem Bernardum de infrascriptis criminibus et sceleratis operibus nedum propria voce confessum, sed et de plurimis et gravioribus etiam eorumdem argumentis convictum et testibus superatum, videlicet quod cum magnis pecuniarum quantitatibus per eum super hoc a dictis locis habitis, et ultra illas etiam propter hoc libris suis venditis, mutuisque diversis receptis et factis, tanquam principalis director Carcassonensium, Albiensium et Corduensium communitatum et consulum, querelas eorum, licet non pertinentes ad ipsos, multis annis personaliter extiterit prosecutus, illos etiam super hoc ad invicem uniendo, et alias etiam communitates et consules illis uniri *(b)* pro viribus procurando contra inquisitores prefatos et bone memorie dominum Bernardum, episcopum Albiensem, ipsos, eorum processus [347] atque sententias, contra quosdam dictarum communitatum singulares personas super heresi promulgatas, in sermonibus multis ac publicis, in locis diversis, ac in tractatibus, consiliis, propositionibus, supplicationibus et articulis, in curiis etiam secularibus propositis et redditis, multipliciter exaggerate et nimis diffamatorie impugnando, et libris ac processibus inquisitorum ipsorum fictiones, suspiciones ac falsitates etiam imponendo *(c)*, captos pro heresi et etiam de heresi condempnatos et immuratos et aliis penis addictos justificando, et ipsos, licet veros catholicos, per tormentorum violentiam de se et de

a) et, *Bal.* — *b)* uniti *(sic)*, *ms.* — *c)* et libris... imponendo, *passage omis par Bal.*

aliis confessos super heresi et injuste condempnatos fuisse dicendo, exempla et similitudines concitativas populorum contra episcopum et inquisitores eosdem et pro condempnatis et captis predictis in sermonibus et alias proponendo, ac per modos hujusmodi et alios exquisitos prefatos consules, communitates et singulares personas contra episcopum et inquisitores predictos graviter concitando et animando, etiam ut dictas viriliter prosequerentur querelas, nedum res suas propter hoc sed et uxores et liberos exponendo. Coram rege quoque predicto et multis aliis magnis viris secularibus et ecclesiasticis constanter ac publice asseruit semel Tholose quod beati Petrus et Paulus ab heresi defendere se non possent, si viverent, dum tamen inquireretur cum eis per modum ab inquisitoribus observatum, et alias etiam in Francia regem ipsum contra inquisitores taliter, ut asserit, informavit quod idem rex nedum eum, ut dicit, reputavit veracem, sed dixit etiam quod inquisitores in ejus capite suas proditiones ponere nitebantur, propter quod etiam de quatuor vel quinque diebus sequentibus illos ad se ingredi non permisit. Imposuit quoque falso idem frater Bernardus tam predicando quam alias Carcassonensibus *(a)* et alibi uni de dictis inquisitoribus quod contra communitatem Carcassone super negotio heresis quoddam falsum et nimis perniciosum confici fecerat instrumentum, multa gravia contra communitatem eamdem in illo con[348]tineri dicendo de quibus in ipso mentio non fiebat, et sic etiam, licet non in sermonibus, coram Carcassonensibus et aliis concludendo quoque : *Videte quid possunt isti Predicatores facere contra singulares personas quod contra tantam communitatem sic falsum et perniciosum confecerint instrumentum.* Et cum usque ad tempus verborum suorum hujusmodi inquisitor Carcassonensis suo, libere ac pacifice, officio uteretur, ex tunc occasione instrumenti hujusmodi sic expositi concitata nimium et scandalisata communitate predicta, non processit inquisitionis officium sicut prius, sed fuit ex hoc multipliciter impeditum, et inquisitores et fratres Predicatores facti fuerunt burgo Carcassone plurimum odiosi; ac nichilominus per homines Carcassonenses diruta fuerunt hospitia multorum, et alia plurima mala, rebelliones et lites inde subsecuta fuerunt. Propter illa etiam que idem frater Bernardus dictas prosequendo querelas fecit, dictavit, consuluit, et quandoque per se proposuit, et interdum per alios consuluit et ordinavit proponi, mandata litteratoria et ordinationes etiam a secularibus potestatibus processe-

a) Carcassone, *Bal.*

runt per que inquisitoris potestas ac officium et ejusdem officii exercitium restricta fuerunt et notabiliter impedita. Et tam propter hec quam propter alia per ipsum facta, procurata et dicta memorato officio diutius impedito manente, heretici, qui antea de patria fugerant, redierunt, et alii etiam extranei supervenerunt ad illam *(a)*, et novi multiplicati fuerunt in ea, memoratis *(b)* episcopo et inquisitoribus nedum in suo sic impeditis officio, sed, ut etiam ipse frater fatetur, tam ipsis quam ipsorum processibus remanentibus *(c)* injustificatis, notatis, et etiam diffamatis, et e contra tam captis quam etiam condempnatis de heresi, apud multos et precipue apud communitates et consules predictorum locorum, justificatis et plurimum excusatis : qui etiam condempnati et capti de muro, ipso fratre Bernardo consulente ac persuadente, per secularem potestatem extracti fue[349]runt et extra manum inquisitorum in seculari carcere positi et diu retenti. Ex quo etiam plura mala et magna scandala sunt secuta. Denique idem frater Bernardus circa effrenatam prosecutionem negotiorum hujusmodi crimen falsi commisit. Nam cum consules et communitas Albiensis certos constituissent sindicos super eisdem negotiis prosequendis, sine dictorum consulum et communitatum scientia, ad dictamen et ordinationem ipsius additum fuit in nota super hujusmodi sindicatu recepta, et ex qua instrumentum postea factum fuit, quod prefati sindici dicta prosequendo negotia possent, prout eis et eorum cuilibet videretur, recipere mutua et pro illis solvendis communitatem Albiensem et ipsius singulares personas etiam ad tenenda hostagia obligare, quodque iidem sindici aut eorum potestas non deberent per dictam communitatem et consules revocari donec cause, quas habebant cum episcopo et inquisitoribus supradictis, fuissent totaliter apud Sedem apostolicam terminate. Et hoc se fecisse confessus est propter dicta negotia fortius et virilius prosequenda, et ne propter defectum pecunie vel alias posset illorum prosecutio ante diffinitionem eorum cessari, licet confessus sit quod inquisitores illius temporis, quo hec et alia supradicta fiebant, nullum malum processum fecerant, sed, ut dicit, propter malos predecessorum processus agebatur, ad obviandum malis processibus successorum. Sane, quia per vias hujusmodi seu devia verius ad suum contra inquisitores non poterat pervenire optatum, sicut clare confessus est, et ut tam testes quam negotiorum textura confirmant, propter inquisitorum processus, et ut obviaretur et obstaretur inquisitorum ipsorum processibus tam factis tunc quam

a) eam, *Bal.* — *b)* memorato, *Bal.* — *c)* manentibus, *Bal.*

in antea faciendis, proditionem infrascriptam tractavit, et ipsius quodam modo inchoando processum, quibusdam ex Carcassonensibus et Albiensibus qui dictas prosequebantur querelas, et qui super eisdem per dominum regem predictum [350] optatum consequi non sperabant, predixit quod nunquam illa eorum negotia bonum finem haberent nisi aliquo magno scandalo mediante, et quod nunquam per regem eumdem haberent justitiam de inquisitionis negotio, sed si credere sibi vellent, ipse talem dominum eis procuraret qui eos bene contra inquisitores defenderet et justitiam illis faceret de eisdem. Post que cum duobus ex eisdem prosecutoribus, ordinato prius per eum de modo et ingressu hujusmodi proditionem tractandi, consequenter cum aliis nunc istis nunc illis pluries et in diversis locis, sed precipue in camera quam in domo Minorum burgi Carcassone tenebat, proditionem tractavit eamdem, et frater *(a)* eam consuluit ac etiam persuasit, affirmans quod ex quo ipse rex Carcassonensibus et Albiensibus super factis inquisitorum deficiebat in justitia, ipsi poterant licite alium dominum sibi assumere, et ex quo rex ipse unam eis fecerat trescambatam seu voltam, quia scilicet non providerat eis circa dicta negotia ut volebant, aliam sibi fieri per eos justum erat. Fuit autem tractatus hujusmodi multis vicibus, diebus, septimanis et mensibus continuatus, et in camera precipue ac presentia et suggestione ac consilio ipsius fratris Bernardi in deliberationem et deliberatum consensum deductus, videlicet de burgo Carcassone domino quondam Ferrando de Majoricis per consules burgi ejusdem tradendo et ipso domino Ferrando in loci ipsius dominum assumendo, quodque quidam, qui se pro sindico Albiensi gerebat et in premissum tractatum consenserat, consensum consulum Albiensium, ut idem Albie et de Albia fieret, procuraret, sed per illum consensu hujusmodi, quod appareat, non obtento, dictus frater Bernardus, cum consulibus burgi Carcassone tractatum continuans, dictavit et per quemdam secum morantem clericum scribi fecit portandas per eum ad dictum dominum Ferrandum, ex parte ipsorum consulum, litteras continentes quod iidem consules ipsum dominum [351] Ferrandum rogabant ut defensionem eorum assumeret, cum ipsi erant parati eum cum gaudio recipere ac pro eo et ejus honore exponere se et sua, quodque dicto fratri Bernardo crederet super hiis que ex parte ipsorum sibi duceret exponenda. Ipse vero frater Bernardus, cum hujusmodi litteris sub sigillo consulatus dicti burgi

a) omis par Bal.

Carcassone inclusis, versus dictum dominum Ferrandum accessit, et credentiam sibi commissam eidem, ut dixit, proposuit sub hiis verbis: *Sciatis, domine, quod consules burgi Carcassone propter turbationem inquisitorum, quia dominus rex Francie non vult providere eis super factis inquisitorum secundum voluntatem eorum, vellent vos recipere in dominum et defensorem eorum, et recipient vos si et quando venire volueritis, et tradent vobis burgum Carcassone, et super hoc fecerunt litteras sigillo eorum sigillatas credentie michi commisse, quas portarem vobis; sed quia periculum est in litteris ostendendis, nolui eas portare vobis, donec viderem et scirem super hoc vestram voluntatem.* Dominus autem Ferrandus respondit quod plus credebat sibi quam litteris et plus verbum suum valebat quam littere supradicte, quodque ipse libenter reciperet quod sibi offerebatur per ipsum fratrem Bernardum, et institit apud eum quod hoc fieri procuraret. Predictas autem litteras fregerat antea ipse frater Bernardus, ut dicit, et sub terra etiam sepeliverat prope locum in quo tunc dominum Ferrandum invenit. Et quia gentes domini regis predicti dicebant quod dicte littere presentate extiterant et venerant etiam ad manus regis ejusdem, et hoc etiam proponebant in probationem proditionis predicte, ipse frater Bernardus, quia fundamentum hoc falsum esse sciebat, nedum usque ad ista tempora proditionem celavit eamdem, sed etiam ipsam, ut dicit, multum constanter negavit, patenter *(a)* et publice super illa tam se quam alios excusando. Ex tractatu autem proditionis hujusmodi, in notitiam dicti regis et officialium suorum de[352]ducto, multorum suspendia hominum multeque alie condempnationes ac incarcerationes ac fuge et mala alia et scandala processerunt et procedere nondum cessant. Ad hec idem frater Bernardus, contra generale ordinis sui statutum, quod ejus transgressoribus nedum excommunicationis, sed et perpetui carceris penam imponit, sciens statutum hujusmodi, libellum quemdam nigromanticum habuit, tenuit, ac per omnes sui partes perlegit, ejus scivit continentiam, et ad distinctionem materiarum ipsius aliquas dictiones et litteras in marginibus ejus scripsit. Libellus autem hujusmodi continet multos caracteres, plurima demonum nomina, modum eos invocandi et eis sacrificia offerendi, per eos et eis mediantibus domos et fortalitia diruendi, naves submergendi in mari, magnatum et etiam aliorum amorem ac credulitatis et exauditionis gratiam apud istos vel illos necnon mulieres in conjugium et aliter ad venereos actus habendi,

a) potenter, *Bal.*

cecitatem, cassationem membrorum, infirmitates alias ac mortem etiam presentibus vel absentibus, mediantibus ymaginibus vel aliis superstitiosis actibus, inferendi, et multa mala alia faciendi. Rursus in dicto inquisitionis processu calumpniosus nimium extitit, et, prout ex actis predictis apparet, plus quam septuagesies in ejusdem inquisitionis negotio in dicta romana curia, ut premittitur, inchoato inexcusabiliter dejeravit. Postremo idem frater Bernardus, se ex multis premissis constituens manifestum hereticorum fautorem, sententiam excommunicationis a jure antiquo, et ex illis que cum consulibus et potestatibus secularibus contra episcopum et inquisitores prefatos et inquisitionis officium, ut prefertur, commisit et committi consuluit et consensit sententiam aliam excommunicationis *(a)* jure novo in tales generaliter promulgatam pluries et indubitanter incurrit, et divina etiam celebrando ut prius, sententias hujusmodi nedum uno, sed quindecim annis et ultra animo sustinens pertinaci, [353] fuit inde velut hereticus condempnatus; presertim cum, juxta ea que coram nobis confessus est, bene sciret illis temporibus quod talia facientes scienter dictam novi juris sententiam incurrebant. Quia vero ex verbis ejus et confessionibus diminutis et nimium palliatis manifeste nobis apparuit impenitens super illis ex quibus sententias incurrerat supradictas, ipsum semel, secundo, et tertio, et per diversa temporum intervalla, ac dicto jure novo sibi exposito, instanter monuimus ut per confessionem plenam et debitam absolutionis petitionem pure super premissis recognosceret culpam suam. Qui, ad monitiones nostras hujusmodi nunc sic, nunc aliter et multipliciter variando respondens, affirmavit interdum se nedum non peccasse super premissis inquisitores tangentibus, sed potius meruisse. Finaliter tamen a palliationibus circa confessiones suas per eum appositis omnino recedens, et factorum suorum pleniorem aperiens veritatem, humiliter petiit a dictis sententiis se absolvi. Nosque, juramento et abjuratione consuetis et debitis prius ab eo receptis, absolvimus eum in forma debita a sententiis memoratis. Verum quamvis enormitate criminum predictorum *(b)* et immanitate malorum secutorum ex illis diligenti consideratione libratis ipsum fratrem Bernardum de ipsis juxta condignum punire nullatenus valeamus, ne tamen, sicut nec decet nec expedit, crimina eadem omnino remaneant impunita, nos, Christi nomine invocato, et habentes pre oculis solum Deum, auctoritate nobis in hac parte commissa, die

a) ex, *Bal.* — *b) omis par Bal.*

ac loco presentibus, ad hanc nostram sententiam peremptoriam ferendam, ut premittitur, assignatis, assistentibus nobis venerabilibus patribus dominis Petro, Carcassonensi, Raymundo, Mirapiscensi, et Bartholomeo, Electensi episcopis, cum plures ad hoc habere episcopos commode nequiverimus, in eumdem fratrem Bernardum, juxta memoratum consilium, perpetue depositionis et degradationis a sacerdotali et omni [354] alio ordine sententiam ferimus in hiis scriptis, pronuntiantes nichilominus ipsum statim actualiter et in forma a jure tradita degradandum a nobis et omni eum clericali honore, habitu et privilegio exuendum, ac postquam etiam sic degradatus fuerit, perpetuo carceri, quem sibi assignandum duxerimus, effectualiter deputandum, in quo quidem sub vinculis ferreis in pane doloris et aqua angustie perpetuam agat penitentiam de commissis. Mitigationem autem predicte penitentie in carcere faciende per ipsum, secundum quod expedierit et ipse per patientiam et humilitatem ac cordis contriti sacrificium hujusmodi mitigationem meruerit, nobis ex causa certa et legitima reservamus. Ceterum, quia super machinatione in mortem prefati domini Benedicti cum eodem fratre Bernardo et contra eum, cum diligentia et nichil omisso de contingentibus inquisito, ipsum fore de ea culpabilem nequivimus invenire, eum super illa sententialiter absolvimus, justitia mediante. Porro ipsum fratrem Bernardum semel, secundo, tertio, ac peremptorie et precise monemus et sub virtute etiam juramenti a nobis per eum prestiti sibi precipimus et mandamus quod, postquam dictum carcerem sibi assignaverimus, ad illum sine dilatione accedat, et se etiam includat in illo, predictam in ipso penitentiam completurus. Quod si ad carcerem hujusmodi non accesserit, aut se non incluserit in eodem, vel etiam aliter impenitentem se exhibuerit, seu contra illa que abjuravit vel aliquod illorum scienter venire presumpserit, nos ipsum ultra penas alias a jure vel secundum jura eidem inflictas seu etiam infligendas, premissa monitione premissa, ex nunc excommunicationis vinculo innodamus, penas predictas infligendi eidem et alias contra eum, ut justum fuerit, procedendi reservantes nobis expresse plenariam potestatem. Per modum quoque premissum monemus omnes et singulos, cujuscumque dignitatis, gradus, aut conditionis existant, ne ipsum fratrem Ber[355]nardum ad hujusmodi nostri mandati transgressionem inducere, aut ipsum transgredientem idem mandatum scienter recipere, seu ei auxilium, consilium vel favorem impendere quoquo modo presumant. In illos autem qui contrarium fecerint, ultra penas alias contra tales a jure statutas,

ex nunc, predicta monitione premissa, excommunicationis sententias promulgamus. Demum lata per nos hujusmodi sententia, ut prefertur, nos in continenti ad degradationem fratris ejusdem, coram nobis in vestibus sacerdotalibus existentis, actualiter procedentes, ornamentis, que in ordinatione sua receperat, exuendo eum atque privando, degradationem ipsius conclusimus sub hiis verbis : *Auctoritate Dei omnipotentis, Patris, ac Filii et Spiritus Sancti, ac ex potestate nobis in hac parte commissa, auferimus tibi habitum clericalem, et te ab omni sacerdotali et alio quolibet ordine deponimus et etiam degradamus, teque spoliamus et exuimus omni honore et privilegio clericali.* Lata fuit hec sententia, factaque fuit actualiter degradatio predicta, in foro sive mercato burgi Carcassone, anno dominice incarnationis millesimo decimo nono, indictione tertia, die sabbati, scilicet octavo die mensis decembris, pontificatus ejusdem domini nostri Johannis pape XXIJ supradicti anno quarto, presentibus venerabilibus in Christo patribus dominis Petro, Carcassonensi, Raymundo, Mirapiscensi, et Bartholomeo, Electensi Dei gratia episcopis suprascriptis, ac religiosis et venerabilibus patribus fratribus Guillelmo, Crassensi, Bartholomeo, Montisolivi, ordinis sancti Benedicti, Carcassonensis dyocesis, permissione divina monasteriorum abbatibus, magnifico viro domino Johanne, comite Forensi, nobilibus viris dominis dominis Aymerico de Croso, senescallo Carcassone, Francisco de Levis, Guillelmo de Vicinis, Dalmatio de Martiacho, Raymundo Accurati comitis, militibus, ac discretis viris dominis Raymundo Costa, judice Verduni domini regis, Frisco [356] Ricomanni, legum professore, patrono causarum domini regis, Raymundo Curti, judice Riparie, magistris Petro Vitalis, Petro Guilha, jurisperitis Carcassone, Guidone Sicredi, Petro Fontisgrive, Petro Salas, Guillelmo Montisregalis, Petro Stephani de Cauchis, Arnaldo Savalli, consulibus burgi Carcassone, magistris Raymundo Folcaudi, Arnaldo Assaliti, super incursibus heresum in senescallia Carcassone et Biterris procuratoribus dicti domini regis, Petro de Paratico, Guillelmo Jordani, Christiano de Rupeforti, Petro Boerii, Bartholomeo Adalberti, Johanne Alpharici, et Petro Berengarii, notariis, testibus ad premissa, et multis aliis nobilibus, religiosis, clericis et laicis in multitudine numerosa testibus et presentibus ad predicta, et magistris Guillelmo de Roseriis, Magalonensis dyocesis, apostolica et regia, et Guillelmo Barta, Mirapiscensis dyocesis, regia auctoritate notariis, qui predictam sententiam seu instrumentum de ea et de degradatione hujusmodi recipere et conficere fuerunt per prefatos dominos Appamiensem et Sancti

Papuli episcopos requisiti, et me Menueto de Roberticuro, clerico Tullensis dyocesis, publico imperiali et regia auctoritate notario ac officii inquisitionis predicte pravitatis heretice, qui premissis interfui, et predictam sententiam sive ejus notam, in papiro scriptam, de mandato expresso dicti domini episcopi Sancti Papuli, per prefatum magistrum Guillelmum, ejus notarium, michi traditam, de verbo ad verbum, vice et nomine ipsorum amborum, in hanc publicam formam redegi scripsique propria manu et signavi signo meo, quo utor in publicis instrumentis, facta prius collatione et examine diligenti cum ipsa nota seu originali.

Post que autem eadem die, in domo episcopali, nos prefati episcopi, dicto fratre Bernardo coram nobis presentialiter constituto, pro carcere, cui eum in suprascripta sententia pronuntiavimus post degradationem suam effectualiter deputandum, [357] carcerem stricti muri, qui situs est inter civitatem Carcassone et flumen Atacis, eidem assignavimus, et ad illum in continenti eum transmisimus suam ibidem penitentiam completurum. Actum fuit hoc anno, die, mense, indictione et pontificatu predictis, presentibus religioso viro domino Girberto de Cantobrio, camerario Sancti Papuli, et discretis viris dominis Petro de Viridario, archidiacono Mirapiscensi, Bertrando Jurqueti, jurisperito dyocesis Sancti Flori, testibus ad premissa, et magistris Guillelmo de Roseriis et Guillelmo Barta, notariis suprascriptis, qui receperunt requisiti facere publica instrumenta; vice quorum et mandato ego, Menuetus de Roberticuro, notarius suprascriptus, hec scripsi.

Noverint universi presentes litteras inspecturi quod cum nos, Jacobus, Appamiensis, et Raymundus, Sancti Papuli miseratione divina episcopi, judices super infrascriptis a Sede apostolica delegati, fratrem Bernardum Delitiosi, ordinis fratrum Minorum, hodie solemniter degradaverimus et condempnaverimus etiam ad perpetuum carcerem, per nos eidem postmodum assignandum, ex nunc sibi in nostra super hoc constituto presentia deputamus et pro hujusmodi carcere assignamus carcerem stricti muri, qui situs est inter civitatem Carcassone et flumen Atacis, ac volumus [ut] idem frater Bernardus ad hujusmodi murum accedat et se includat et perpetuo remaneat in eodem, sicut in nostra super hoc lata sententia continetur. Actum et datum sub sigillis nostris in civitate Carcassone, in aula episcopali, octavo die mensis decembris, anno Domini MCCCXIX, pontificatus sanctissimi patris et domini domini Johannis pape XXIJ anno quarto.

Venerabili et religioso viro fratri Johanni de Belna, inquisitori heretice pravitatis in regno Francie et specialiter in senescallia Car-

cassone auctoritate apostolica deputato, Jacobus, Appamiensis, et Raymundus, Sancti Papuli miseratione divina episcopi, in Deo salutari nostro sa[358]lutem. Cum nos auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa fratrem Bernardum Delitiosi, ordinis Minorum, die date presentium solemniter degradaverimus et condempnaverimus etiam ad perpetuum carcerem, per nos eidem postmodum assignandum, demumque sibi pro hujusmodi carcere assignaverimus strictum murum, qui situs est inter civitatem Carcassone et flumen Atacis, ut in eo sub vinculis ferreis, et in pane et aqua perpetuam agat penitentiam de commissis, nos, attendentes quod propter senectutem et debilitatem ipsius, et specialiter de presenti propter debilitatem, quam in manibus pati dignoscitur, dispensandum esse videtur cum eo super penitentia in dicto carcere, ut premittitur, facienda per eum, de quo quidem in nostra super premissis lata sententia nobis expressam retinuimus potestatem, presentium vobis tenore committimus ut cum dicto fratre Bernardo super rigore predicte penitentie, quantum ad vincula et dietam dispensare possitis, prout discretioni vestre videbitur faciendum. In cujus rei testimonium sigilla nostra presentibus duximus appendenda. Datum in civitate Carcassone, octavo die mensis decembris, anno Domini MCCCXIX.

Procuratoris regii appellatio ad Sedem apostolicam a sententia lata in causa Bernardi Delitiosi. — Carcassonne, 9 et 10 décembre 1319.

In nomine Domini. Amen. Anno nativitatis ejusdem MCCCXIX, die nona mensis decembris, indictione secunda, pontificatus sanctissimi patris et domini nostri domini Johannis, divina providente clementia pape XXIJ, anno quarto, providi et discreti viri magistri Raymundus Curti, clericus, et Raymundus Folcaudi, procurator domini regis in senescallia Carcassone, et Biterris existentes ante presentiam reverendorum patrum in Christo et dominorum dominorum Jacobi, Appamiensis, et Raymundi, Sancti Papuli Dei gratia episcoporum, presentibus testibus et me, tabellione publico [359] infrascriptis, in camera nova domus que dicitur domini archiepiscopi Narbone in civitate Carcassone, in qua tunc dictus dominus Appamiensis episcopus morabatur, que camera est ante pratellum dicte domus in solario, fecerunt legi in presentia dictorum dominorum episcoporum *(a)*

a) omis par Bal.

per magistrum Petrum Rubei, notarium Tholose domini regis, quemdam papiri rotulum scriptum, appellationem infrascriptam continentem, appellantes, provocantes, postulantes et protestantes *(a)* ut in ipsa appellatione continetur; cujus rotuli tenor talis est.

Presidente rationis imperio in animo judicantis, sedet in solio justitia reddens unicuique quod suum est, ponderatisque equo libramine culpis cujuslibet delinquentis; que tunc opprimitur cum severitati detrahitur, ubi est merito exercenda, et propter immanitatem criminum deberet potius augmentari. Sane nos Raymundus Curti, clericus, ut instructor negotii infrascripti, et Raymundus Folcaudi, procurator regius in senescallia Carcassone et Biterris, advertentes quod sententia lata per reverendos in Christo patres dominos Jacobum, Appamiensem, et Raymundum, Sancti Papuli episcopos, inquisitores seu judices ad infrascripta per Sedem apostolicam deputatos, super enormibus criminibus et flagitiis dampnabilibus et dampnosis per Bernardum Delitiosi, olim ordinis Minorum, in regno Francie multipliciter et perniciose commissis, punitionem debitam ipsorum criminum, secundum justitiam et formam eisdem dominis episcopis a summo pontifice datam, in apostolico rescripto contentam, salva ipsorum dominorum reverentia et honore, minime comprehendit, ex quo justitia leditur, honor regius non servatur, scandalum generatur in mentibus fidelium populorum ac perire dinoscitur debite cohertionis exemplum, ex eo videlicet quia, cum tam per inquisitionem per commissarios alios, a Sede apostolica deputatos, in romana curia dudum factam prefatis dominis episcopis de mandato apostolico transmissam quam [360] per ipsius Bernardi confessiones legitimas coram eisdem dominis episcopis in judicio sponte factas, quam etiam per alias probationes legitimas factas et habitas coram ipsis, evidentissime et plene constaret prefatum Bernardum dudum in favorem hereticorum et hereticalium personarum, ac pro condempnato crimine pravitatis heretice dampnatorum per longa retro tempora officium inquisitorum heretice pravitatis et inquisitores ipsos ac processus et sententias eorumdem multipliciter impedivisse et impugnasse, contra ipsos inquisitores, reges, principes, barones, et nobiles, ac diversarum et plurium civitatum et locorum populos, et, quod detestabilius est, etiam prelatos ecclesiarum, ad quos sancte catholice fidei defensio principaliter pertinebat, unisse, et diversis viis et modis dampnabiliter concitasse, pro crimine prefato dampnatos in muro car-

a) et protestantes, *omis par Bal.*

ceris constitutos exinde et de dictorum inquisitorum potestate extrahi, ecclesiam et domum fratrum Predicatorum burgi Carcassone invadi et expugnari, domos etiam plurium fidelium burgensium Carcassone, pro eo quia tanquam catholice fidei zelatores prefatis inquisitoribus et fratribus Predicatoribus adherebant, dirui, et eorum vineas et brolia depopulari et devastari fecisse et procurasse, ex quibus impedimentis prefatis officio et inquisitoribus prestitis, heretici, qui ad partes extraneas fugerant, redierunt et gregem dominicum multipliciter infecerunt, pro quibus fuit ipso facto sententie excommunicationis late mucrone percussus, quam per quindecim annos et amplius sustinuit animo pertinaci, pro quo solo deberet et debuisset, velut hereticus, condempnari, et, quod detestabilius est, contra dominum nostrum regem, et regnum Francie, et quietem ac pacem publicam subditorum, proditionem publicam et notoriam, longis temporibus et pluries iteratis vicibus, tractasse et pro viribus procurasse, et ad villas et populos colligasse, instrumenta publica falsificasse seu falsificari fecissse, [361] libros nigromanticos conjurationes, et sacrificia demonum ac sortilegia continentes ad occidendum homines etiam absentes et alia enormia et innumerabilia maleficia committenda factos seu ordinatos, et longis temporibus tenuisse et in eis studuisse, et aliqua ibi manu sua scripsisse, et, quod solum cogitare vel dicere nefas est, in mortem felicis recordationis domini Benedicti, quondam pape XJ, veneno et magicis artibus conspirasse et operam dedisse, etiam coram ipsis episcopis sexaginta vicibus et amplius inexcusabiliter dejerasse, bone memorie dominum Bernardum, tunc Albiensem, postea vero Portuensem episcopum, falso et mendaciter detulisse, contra ipsum ficta, falsa et calumpniosa crimina deferendo, diffamando eumdem, et civibus Albie tam clericis quam laycis, prefatum tunc episcopum suum et dominum temporalem persequentibus et calumpniose accusantibus, assistendo et prestando auxilium, consilium et favorem, necnon et pluries dixisse quod si ipse esset papa, caput *Dampnamus* extra de fide catholica, in quo sententia abbatis Joachimi tanquam heretica condempnatur, faceret de libro decretalium abradi et totaliter aboleri, asserendo prefatam dicti abbatis sententiam veritatem catholicam continere, et rursus se credere fratres illos Minores, qui de mandato summi pontificis per inquisitores heretice pravitatis tanquam heretici condempnati atque combusti in Massilia fuerunt [1], erant et esse credebat sanctos et martyres paradysi,

1. Cf. notas, col. 693 (ancienne édition).

plura etiam alia enormia crimina et flagitiosa, flagitia dampnabilia pariter et dampnosa multifarie commisisse et committi per alios procurasse, que sine longi effusione sermonis narrari *(a)* non possent, ex quibus etiam deberent elementa turbari, pro quibus non solum semel, sed pluries, si nature conditio pateretur, mortem pati et degradatus curie seculari tradi deberet et debuisset, nichilominus prefati domini episcopi commissarii supradicti non attendentes [362] eis pluralitate et frequentia ac cumulo criminum predictorum, que penam augere debent, ipsum Bernardum degradandum fore pronuntiarunt et ad perpetuum carcerem condempnarunt, omni gradu, ordine, honore, habitu et privilegio clericali exuentes et privantes eumdem, prout in eorum sententia plenius continetur, ipsum degradatum tradere seculari curie omittentes, salva ipsorum reverentia, minus juste, et, quod magis est juri contrarium, de prefata conspiratione per ipsum facta in prefati domini Benedicti, quondam summi pontificis, mortem, de qua plene constabat, quanquam absolvendi potestatem in rescripto non haberent, absolverunt eumdem, cum pro hoc solo ipsum degradatum seculari curie tradere debuissent, vel saltim posito quod absolvendi potestatem haberent, si de conspiratione hujusmodi sibi non plene constat *(b)*, et quanquam *(c)* forsitan visum fuisset eisdem, cum super hoc nondum essent omnes testes eisdem dominis commissariis nominati, qui de hoc sciunt veritatem, auditi, nec recepti, pronuntiationem super predicto articulo donec essent testes predicti inquisiti differre, vel saltim propter immanitatem et enormitatem delicti casum seu articulum supradictum domino nostro summo pontifici reservare seu referre in statu, in quo erat, debuissent; quibus etiam non contenti, cum potius penas exasperare debuissent juxta multiplicitatem et enormitatem criminum predictorum, eas tamen mitigandi sibi retinuerunt potestatem, cum delegati, etsi suo officio functi essent lata sententia, hoc de jure non possent, salvis tamen ipsorum dominorum episcoporum reverentia et honore. Quare nos superius nominati, videlicet ego, Raymundus Curti, qui prefatam inquisitionem et inquisitionis causam instruxi, ut instructor cause ejusdem, et ego, Raymundus Folcaudi, procurator predictus domini regis, sentientes ex predicta sententia per dictos dominos commissarios lata, quatinus absolutionem predictam continet, [363] et quatinus omissum est dictum Bernardum degradatum tradere curie seculari, salva dictorum dominorum episcoporum reverentia et honore, mino-

a) enarrari, *Bal.* — *b)* constabat, *Bal.* — *c)* et quanquam, *omis par Bal.*

ratam justitiam, domini nostri regis honorem et jura dampnificata et lesa fuisse, ac rei publice turbari quietem, nec auferri quantum deberet materiam delinquendi, maxime propter minus plene vindicatam proditionem, a prefata sententia et contentis in ea, quatinus defective, insufficienter et minus legitime lata fuit, et debitum justitie rigorem non continet, in et cum hiis scriptis, eo jure quo melius possumus, ad Sedem apostolicam appellamus et provocamus, protestantes instructor et procurator predicti, ante omnia, quod per predicta seu aliqua predictorum non intendunt dictorum dominorum episcoporum processus et sententiam aliquatinus impugnare, vel contra facere seu venire, nisi si et quatinus de jure licitum est et per appellationis beneficium conceditur eis, aut dictus dominus noster summus pontifex presentem appellationem duxerit admittendam, et dictam eorum sententiam duxerit reformandam.

Quo rotulo seu appellatione lectis, prefati appellantes rogaverunt et requisiverunt me Petrum Boerii, tabellionem publicum infrascriptum, quod de lectione appellationis hujusmodi ac ipsa appellatione et omnibus in ea contentis sibi facerem publicum instrumentum. Quibus sic peractis, prefati domini episcopi, audita appellatione predicta, dixerunt quod, quia ipsa appellatio non continebat certas causas et principales in ipsa sententia expressas, ipsi volebant de respondendo super causis illis deliberationem habere. Et ideo petierunt a dictis appellantibus sibi copiam fieri de dicta appellatione, et copia habita deliberarent, ut dixerunt, et post deliberationem responderent super ipsa appellatione. Et dicti appellantes ibidem dixerunt, voluerunt, consenserunt et mandaverunt per me, tabellionem predictum, eisdem dominis episcopis de appellatione premissa in ip[364]so rotulo contenta per dictos dominos episcopos, ut premittitur, petitam copiam fieri supradictam.

Acta fuerunt premissa omnia et singula, ut premittitur, anno, die, indictione, loco et anno pontificatus predicti domini pape predictis, presentibus et audientibus venerabilibus et discretis viris dominis Petro de Viridario, archidiacono Majoricarum, Gilberto de Cantobrio, camerario ecclesie Sancti Papuli, Bertrando Jurquet, rectore Sancti Stephani de Securo, dyocesis Ruthenensis, discretis viris magistro Arnaldo Assaliti, procuratore domini regis super incursibus heresum in senescallia supradicta, magistro Petro Rubei, notario Tholose predicto, testibus ad premissa, et me Petro Boerii, clerico, Carcassone tabellione supra et infrascripto.

Post que in crastino, scilicet decima die dicti mensis decembris,

prefati domini episcopi in predicta camera existentes, presentibus et audientibus magistris Raymundo Curti et Raymundo Folcaudi predictis et testibus, et me, tabellione, infrascriptis, appellationi et provocationi in dicto rotulo contentis et die hesterna factis responderunt ut sequitur. Videlicet quod multe ex causis in appellatione predicta expressis carebant omnimoda veritate in facto, et nulle etiam ex illis veritatem habebant, prout erant in appellatione ipsa expresse, nec alique ex eisdem fundabantur in jure. Et quia ipsorum appellantium non interfuerat in hujusmodi negotio appellare, non admittebant appellationem eorum, nisi si et in quantum possent ad hoc ex aliqua causa teneri et nisi in quantum dictus dominus papa illam vellet aut duceret quomodolibet admittendam. Et responsionem suam hujusmodi ipsis appellantibus cum actis cause, si illa voluerint, pro apostolis concesserunt. Et ibidem in continenti, facta per dictos dominos episcopos responsione premissa, prefati magistri Raymundus Curti et Raymundus Folcaudi dixerunt quod non obstante respon-[365]sione predicta stabant et stare volebant in appellatione sua predicta. Acta fuerunt hec die et loco predictis, presentibus venerabilibus et discretis viris dominis Petro de Viridario, archidiacono Majoricarum, Gilberto de Cantobrio, camerario ecclesie Sancti Pa[p]uli, magistro Petro Rubei, notario Tholose, testibus supradictis, magistris Guillelmo Petri Barthe et Guillelmo de Roseriis, notariis dominorum episcoporum predictorum, testibus ad premissa, et me Petro Boerii, tabellione predicto, qui recepi.

Bulla[1] Joannis XXII qua aggravat sententiam latam adversus Bernardum Delitiosi. — Avignon, 26 février 1320.

Johannes, episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus .. Appamiensi et .. Sancti Papuli episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Cum nimis indecens videatur quod frater Bernardus Delitiosi, ordinis Minorum, pro tam enormibus criminibus condempnatus religionis adeo venerabilis habitum extra dictum ordinem in carcere deferat, presertim cum, si pro levioribus culpis esset ad ipsius ordinis carcerem deputatus, hujusmodi habitum in eodem ordine non deferret, fraternitati vestre, de fratrum nostrorum consilio, per apostolica scripta precipiendo, mandamus quatinus eidem fratri Bernardo, sublato

1. D'après le même ms., fol. 192 r°.

cujusvis tarditatis obstaculo, dictum habitum auferatis, ab omni mitigatione penitentie per vos eidem imposite, quam nobis et apostolice Sedi reservamus, specialiter abstinendo, nisi a nobis super hoc aliud receperitis in mandatis. Datum Avinioni, v kal. martii, pontificatus nostri anno quarto.

LIV

[366] Excerptum[1] ex processu canonizationis sancti Thomae episcopi Herefordensis. — 1320.

In negotio canonizationis pie memorie domini Thome, quondam Herefordensis episcopi, Sedes apostolica de quinque principaliter mandavit inquiri, videlicet de fide, moribus, vita, fama et miraculis. De quatuor primis articulis multa laude digna videntur probari, ut patet in sexterno, continente quedam excerpta de processu inquisitionis originalis, ad Sedem predictam transmisse. Deponunt namque testes quod ipse a catholicis parentibus et multum nobilibus procreatus, de patre videlicet quondam domino Guillelmo de Cantilupo, milite et barone, qui fuit senescallus quondam domini Henrici, illustris regis Anglie, de matre quondam domina Milecenta, comitissa Ebroycensi in Normannia, uxore dicti domini Guillelmi, que fuit filia quondam Godefridi de Gurnay, nupta prius comiti Ebroycensi, et eo mortuo, predicto domino Guillelmo, natus fuit, et baptizatus in villa de Hainelden, Lincolniensis dyocesis; in quo loco nativitatis ejus, in honorem et reverentiam ipsius, dicitur constructa esse capella per comitem Cornubiensem, Edmundum, filium Ricardi, quondam regis Alemanie, in qua Deus pro ipso domino Thoma dicitur miracula operari. Fratres carnales habuit quatuor, magistrum Hugonem magnum clericum, dominos Johannem, Guillelmum et Nicholaum, milites; quorum patruus fuit dominus Galterus, quondam episcopus Wygorniensis. Reputatus sancte vite in minori et majori etate multum studuit, et fuit magister in artibus, doctor in decretis, magister in theologia, et rexit actu in artibus Parisius, Oxonie in decretis, et post in theologia, et ejusdem univer[367]sitatis Oxoniensis cancellarius fuit, et ipsum studium tempore sui officii bene rexit. Apocalipsim in studio Parisius legit. Habebat ipse dominus Thomas in studio Parisiensi et aliis locis in familia sua continue de robis suis unum capellanum sibi missam valde mane, antequam exiret ad scolas vel

1. D'après le ms. latin *5373 A* (ancien Colbert *2546*), fol. 66 r°.

alia loca, celebrantem. Beneficiatus fuit in diversis ecclesiis, et bene se habuit in eis. Habuit enim ante episcopatum magnum et honorabilem statum et circa mille marcas annui redditus in beneficiis et dignitatibus ecclesiasticis. Dispensationes habuit a felicis recordationis Innocentio papa IIIJ, ut in jure civili per quadriennium studere posset et super pluralitate beneficiorum et dignitatum. Capellanus domini pape factus fuit ab eodem Innocentio in concilio Lugdunensi. Cancellarius fuit et consiliarius clare memorie Henrici, illustris regis Anglie, patris domini Edwardi, et postea ejusdem domini Edwardi consiliarius. In statu episcopali episcopatum et ecclesiam Herefordensem bene rexit. Bone vite fuit, verax, et fidelis, bene morigeratus, mitis, mansuetus, humilis et patiens, misericors et benignus, elemosinarius magnus, pacificus, justus, et timens Deum, devotus in oratione, et in contemplatione assiduus, pervigil et intentus. Lacrimas in missa a canone usque ad finem multas effundebat. Psalmos penitentiales cum letaniis et officium defunctorum cotidie recitabat. Stolam ad collum subtus capam vel rodundellum, quando equitabat, ad modum crucis quasi semper portabat, ut paratus esset ad crismandum pueros occurrentes. Predicator bonus, reprehensor maliloquiorum. In comedendo et bibendo sobrius, jejunator magnus, et raro comedens nisi semel in die. Carnes quarta feria et vinum utplurimum sexta feria non sumebat. Camisam cilicinam ad carnem vestiebat. Zona etiam cilicina nodosa et aspera latitudinis duarum palmarum et quandoque ferrea carnem cingebat occulte. Ante episcopatum et in episcopatu pudicus fuit et [368] castus, adeo quod de virginitate et puritate commendatus fuit a confessore suo, fratre Roberto de Kylewardeby, magistro in theologia, archiepiscopo Cantuariensi et postea cardinale, quando sub ipso archiepiscopo Oxonie incepit ipse Thomas in theologia. Discretus fuit et prudens, fortis et constans in recuperandis, tuendis et defendendis juribus sui episcopatus, et multa propter hoc adversa sustinuit. Tempore felicis recordationis pape Martini IIIJ accessit ad curiam romanam, apud Urbem veterem, in vigilia beati Barnabe apostoli, anno Domini millesimo CCLXXXIJ, causa prosebuendarum appellationum, que pro parte sua a bone memorie fratre J[ohanne], archiepiscopo Cantuariensi, et ejus officiali propter diversa gravamina fuerant interjecte. Et ibi a domino papa M[artino] et a cardinalibus cum osculo pacis benigne receptus. Et tandem in ipsa curia in infirmitate correptus, perceptis ecclesiasticis sacramentis, ad Dominum feliciter transmigravit.

LV

Bulla[1] Joannis XXII continens processum contra illos qui asportaverunt thesaurum domini Clementis de Montilio. — Avignon, 8 mai 1320.

Johannes, episcopus, servus servorum Dei (a). Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum. Cum venerabiles fratres et coepiscopos nostros circa procurandas indempnitates ecclesiarum commissarum eisdem diligentes et sol[l]icitos existere cupiamus, decet et nos circa perquirenda et recuperanda deperdita vel subtracta, que ad Sedem apostolicam pertinent, negligentia non torpere, ne exigere videamur ab aliis quod non servamus in nobis. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens papa V, predecessor noster, in egritudinis lecto decumbens, certam partem thesauri, rerum et bonorum camere sue tunc existentium apud Castrumnovum Calsanerii, Avinionensis ecclesie ac dyocesis, ut notoria facti evidentia [369] notum reddit, ad castrum Montilii in comitatu Venaysini sub jurisdictione romane Ecclesie constitutum, Carpentoratensis dyocesis, per dilectum filium nostrum Arnaldum, Sancte Marie in Porticu dyaconum cardinalem, deponendam et conservandam transmisit, apud se partem aliam retinendo; quo postmodum ex eadem egritudine post dies paucos, sicut Domino placuit, nature debitum persolvente, nonnulli et specialiter dilectus filius nobilis vir Bertrandus, vicecomes Leomanie et Altivillaris, dominus dicti castri Montilii, in cujus potestate dicta pars thesauri, bonorum et rerum predictorum illuc transmissa existere noscebatur, sicut nota evidentia facti notoriat et adeo nota reddit ut nulla possint *(b)* tergiversatione celari, ad predictam partem thesauri, rerum et bonorum predictorum ad dictum castrum Montilii, ut predicitur, destinatam, necnon et ad res alias ac bona que apud dictum predecessorem et *(c)* in camera sua remanserant, et etiam in diversis locis fuerant collocata, in pecuniarum summis, vasis aureis et argenteis, libris, pannis et lapidibus pretiosis, ac

a) Johannes... Dei, *omis par Bal.* — *b)* possunt, *Bal.* — *c) omis par Bal.*

---

1. D'après le registre d'Avignon *44*, fol. 185 r°. Baluze s'est servi du ms. latin *4114* (ancien Colbert *829*), de la Bibliothèque nationale de Paris, fol. 94 r°.

variis ornamentis, privilegiis, instrumentis, processibus, litteris et munimentis, et rebus aliis consistentia, manus avidas non expaverunt extendere, et specialiter vicecomes predictus, qui, velut si heres esset universalis predecessoris ejusdem, illa que placuerunt sicut propria, tam de dicto castro Montilii quam de camera dicti predecessoris et locis aliis, ut habet fama publica *(a)*, recipere, occupare, et quo eis libuit asportare et contractare per se et alios, non absque contemptu Sedis apostolice tunc vacantis et collegii cardinalium sancte romane Ecclesie, in execrabilis exempli perniciem multorumque fidelium scandalum, temeritate propria presumpserunt. Nec hiis contenti, specialiter vicecomes predictus, a nonnullis debitoribus predecessoris, ejusdem plura de predictis debitis, necnon quamplures pecuniarum summas eidem predecessori et apostolice camere a multis [370] et diversis personis ex causis diversis promissas seu debitas recepisse dicuntur, nonnulla quoque alia in pecunia et rebus aliis consistentia, per predecessorem ipsum eis et nonnullis aliis in depositum et alias sub certis modis et formis tradita, plena sibi et libera, quamdiu viveret, dispositione ac ordinatione retenta, tanquam propria sibi minus debite retinere presumunt. Licet igitur expectans diutius expectaverit Sedes predicta si forsan illi, ad conscientiam redeuntes, curarent animarum suarum saluti per satisfactionis debitum providere, quia tamen ceca cupiditate seducti, quasi in lecto *(b)* quietis dormire videntur in perseverantia premissorum, nos, sicut ex debito apostolice sol[l]icitudinis perurgemur, volentes, prout monet Dominus per prophetam, annuntiare impiis impietatem suam, ne, si in iniquitate, quam operati sunt, moriantur, sanguis eorum de nostris manibus requiratur, ac insuper ejusdem Sedis indempnitatibus providere, predictum vicecomitem specialiter, ac universos et singulos tam occupatores et contractatores et receptores *(c)* predictos, necnon appropriantes sibi seu retinentes, quam eos penes quos existunt, ad quos scienter pervenerunt, ut predicitur, aliqua de thesauro, bonis et rebus aliis supradictis, quocumque nomine censeantur, necnon omnes *(d)* qui super premissis occupandis, recipiendis, appropriandis et retinendis per predictos dederunt opem vel consilium prebuerunt, eos quoque qui habent notitiam premissorum seu alicujus eorum, auctoritate apostolica, de fratrum nostrorum consilio, sub excommunicationis et penis aliis infrascriptis, presentium tenore hor-

a) publica fama, *Bal.* — *b)* secreto, *Bal.* — *c)* et receptores, *omis par Bal.* — *d)* eos, *Bal.*

tamur, requirimus et monemus ut, suis fame, saluti et statui providentes, dictus vicecomes et alii ultra duas dietas a curia romana distantes, qui occupaverunt, contractaverunt seu acceperunt, seu retinuerunt aliqua, ut premittitur *(a)*, de thesauro, bonis et rebus aliis ac debitis prelibatis, infra regnum Francie et aliis partibus citra montes consistentes, infra duorum men[371]sium; illi vero ex predictis qui in romana curia sunt vel infra duas dietas, infra viginti dierum, et, si extra dictum regnum vel ultra montes existant, infra trium mensium spatium a die date presentium numerandum, quos singulos terminos singulis eis, juxta modum et distinctionem predictos, pro singulis peremptoriis assignamus, thesaurum, bona et res predicta *(b)* nobis, seu camerario et thesaurariis nostris restituere cum integritate procurent, nisi forsan justam causam habeant quare ad hoc minime teneantur, ad quam proponendam et probandam, prout fuerit rationis, ac *(c)* videndum et audiendum, si sua putaverint interesse, informationem quam super premissis et singulis premissorum recipere intendimus, necnon et ordinationem super illa per nos faciendam, sicut dictaverit ratio et justitia suadebit, terminos supradictos, juxta modum et distinctionem eosdem, cum continuatione dierum sequentium necessaria ad premissa pro singulis peremptorie assignamus; alioquin super hiis, prout expedire viderimus, procedemus, eorum absentia non obstante. Illi vero qui in premissis consilium prebuerunt, infra predictos terminos, juxta modum et distinctionem premissos, revelare que sciunt super hiis nobis seu dictis camerario et thesaurariis, et alias facere quod rationis fuerit teneantur. Alii vero premissorum omnium vel aliquorum ex eis notitiam obtinentes infra dictos terminos, juxta modum et distinctionem eosdem, nobis seu dictis camerario et thesaurariis per se insinuare studeant seu etiam revelare; vel saltem, si qui ex eis in dicta curia minime sint *(d)* presentes, per eorum litteras propriis vel autenticis sigillis munitas aut per instrumenta publica per certum nuncium infra dictos terminos, ut premittitur, nobis seu dictis camerario et thesaurariis plene, clare notificent et distincte quicquid super hiis sciunt, cum universis circumstantiis temporis et locorum, rerum, bonorum ac etiam personarum, non omittendo scienter aliquid [372] veritatis, nec quicquam falsitatis quomodolibet immiscendo, ut plenius informati providere possimus circa hoc *(e)*, prout saluti animarum ipso-

a) ut premittitur, *omis par Bal.* — *b)* predictas, *Bal.* — *c)* et, *Bal.*— *d)* sunt, *Bal.* — *e)* hec, *Bal.*

rum occupantium seu contractantium, retinentium vel recipientium aliqua de predictis, prout superius est expressum, ac ipsius Sedis indempnitati expediet et fuerit oportunum. Et ne premissorum notitiam obtinentes se a manifestatione et revelatione retrahant veritatis, ipsos auctoritate apostolica ab omni vinculo juramenti, si quod de premissis vel eis penes quos sunt vel fuerunt seu ad quos pervenerunt, ut predicitur, aliqua de thesauro, bonis et rebus predictis minime revelandis forsitan prestiterunt, cum juramentum iniquitatis vinculum esse non debeat, ad cautelam absolvimus, decernentes eosdem ad ejusdem juramenti observantiam non teneri, pacta etiam, federa, conventiones, promissiones et obligationes quascumque, etiam si ea fuerint penarum adjectione, juramentorum prestatione et quolibet alio vinculo roborata, per quoscumque super premissis non revelandis presumpta, inita, vel quomodolibet facta vel etiam attemptata, velut illicita et in periculum vergentia animarum, auctoritate predicta revocamus, cassamus et irritamus, et omnino viribus vacuamus, ipsaque declaramus atque decernimus cassa, irrita et vacua, et nullius existere firmitatis, et non teneri aliquem ad observantiam eorumdem. Alioquin eosdem omnes et singulos hortationi, requisitioni et monitioni nostre hujusmodi, ut premittitur, infra dictos terminos, prout singulos juxta modum et distinctionem predictos singulariter comprehendent, efficaciter non parentes, cujuscumque conditionis, dignitatis, ordinis vel status extiterint, etiam si pontificali vel quavis superiori prefulgeant dignitate, excommunicationis sententie, quam ex nunc in ipsos ferimus, decernimus subjacere, a qua non possint ab alio quam a romano pontifice, preterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium obtinere; dictique vi[373]cecomitis ac aliorum occupantium, contractantium, appropriantium sibi seu retinentium *(a)* scienter, ut premittitur, aliqua de thesauro, bonis et rebus aliis supradictis, quocumque nomine censeantur, terras supponimus ecclesiastico interdicto; feuda quoque, honores et *(b)* castra, jura et jurisdictiones, ac officia et alia quecumque bona immobilia, que ubicumque a romana Ecclesia obtinent, eidem romane Ecclesie et Sedi apostolice confiscamus. Aliis vero feudis, juribus et jurisdictionibus, honoribus et officiis, castris et bonis immobilibus quibuscumque, que a quibusvis aliis ecclesiis obtinent, privamus eosdem, ut sic ad easdem ecclesias libere revertantur quod de ipsis earumdem ecclesiarum rectores pro sua voluntate

a) seu retinentium, *omis par Bal.* — *b) omis par Bal.*

disponant; ad privationes dignitatum, personarum, beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum, quecumque sint et quocumque nomine censeantur, privilegiorum quoque et indulgentiarum quorumlibet que a romana Ecclesia obtinent, et penas alias processuri nichilominus contra eos, si protervia ipsorum exegerit, nobisque videbitur expedire. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis eisdem vel aliis quibusvis *(a)* personis, ordinibus sive locis, cujuscumque preeminentie, dignitatis, conditionis et status extiterint, sub quovis modo vel expressione seu conceptione verborum ab eadem Sede concessis, quibus posset quis contra premissa quomodolibet se tueri, et de quibus plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, etiam de personarum, dignitatum, ordinum et statuum nominibus, oporteat fieri in presentibus *(b)* mentionem; seu si vacationes vel ferias per nos ad certum tempus indici contingat, et predicti termini vel aliqui ipsorum, juxta modum et distinctionem eosdem, in tempus dictarum vacationum vel feriarum vel alias in dies inciderint feriatos; quibus nequaquam obstantibus, ad premissa eos teneri volumus et astringi. Hujusmodi autem processuum, ut talis malitia non inveniat successores, de ipsorum [374] fratrum consilio volumus et apostolica auctoritate decernimus constitutionis obtinere vigorem. Ut autem processus hujusmodi ad ipsorum et communem omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eumdem in majoris ecclesie Avinionensis appendi vel affigi ostiis faciemus, que processum ipsum suo quasi sonoro preconio et patulo indicio publicabunt; ita quod predicti penes quos sunt vel fuerunt seu provenerunt aliqua de thesauro, bonis et rebus ac debitis supradictis, et alii habentes notitiam eorumdem, eorumque complices et fautores, et ceteri quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem pretendere quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignoraverint eumdem; cum non sit verisimile quod ipsos remanere incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Avinione, VIIJ idus maii, pontificatus nostri anno quarto.

a) quibuscumque, *Bal.* — *b)* in presentibus fieri, *Bal.*

LVI

BULLA[1] EJUSDEM PAPAE CONTINENS CITATIONEM VICECOMITIS LEOMANIAE ET ALTIVILLARIS. — Avignon, 8 mai 1320.

Johannes, episcopus, servus servorum Dei (a). Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum. Ex injuncto nobis apostolatus officio circa ea que promotionem negotii Terre Sancte, indempnitatem Sedis apostolice ac alia opera pietatis *(b)* respiciunt, tenemur vigilanter intendere, et, ne qua ad premissa pertinentia depereant, sol[l]icitis studiis providere. Sane dudum multorum relatione, qui infrascriptorum notitiam probabiliter habere poterant, ad audientiam apostolatus nostri deducto, quod felicis recordationis Clemens papa V, predecessor noster, dilecto filio nobili viro Bertrando vicecomiti Leomanie et Altivillaris realiter in pecunia numerata assignaverat, dum vivebat, florenorum quantitates subscriptas, videlicet : trecenta milia florenorum auri, expendenda per eum et certas personas alias in sub[375]sidium Terre Sancte, necnon trecenta quatuordecim milia florenorum et octingentos florenos auri, ac insuper ducenta milia florenorum *(c)* auri per ipsum et certas personas alias in pios usus alios eroganda, quodque idem predecessor ordinaverat quod medietas tam debiti, in quo clare memorie Philippus, rex Francorum, quod ad centum milia florenorum, quam debiti in quo carissimus in Christo filius noster Edwardus, Anglie rex illustris, quod ad centum et sexaginta milia florenorum dicuntur ascendere, predecessori tenebantur eidem, deberet converti in dictum Terre Sancte negotium *(d)*, et in pios usus alios reliqua dimidia erogari, que quidem quantitates ad summam mille milium et septuaginta quatuor milium et octingentorum florenorum ascendere dinoscuntur. Nos, qui pro tuitione fidelium morantium in partibus transmarinis, qui frequenter ab Agarenis fidei catholice hostibus impugnantur, et

a) Johannes... Dei, *omis par Bal.* — *b) lege* caritatis *cum Bal.* — *c)* et octingentos florenos auri, ac insuper ducenta milia florenorum, *omis par Bal.* — *d)* in Terre Sancte negotium, *Bal.*

1. D'après le registre Vatican *110*, parte IIa, fol. 79 r°, ep. 371 et 1015. Baluze s'est servi du ms. latin *4114*, de la Bibliothèque nationale de Paris, fol. 95v°, cap. 6.

pro dicte Terre Sancte subsidio disposueramus quoddam particulare passagium preparatorium generalis de fratrum nostrorum consilio ordinare, predictum vicecomitem per nonnullos ex fratribus nostris sancte romane Ecclesie cardinalibus requiri fecimus ut dicta trecenta milia florenorum et partem dictorum debitorum vellet nobis tradere, in hujusmodi particulare passagium et dictum subsidium convertenda. Idem vero vicecomes, requisitione hujusmodi sibi facta, Iterium de Virsaco, militem, familiarem et nuncium suum, cum litteris suis de credentia sibi *(a)* super hujusmodi responsione commissa, ad nostram presentiam destinavit. Qui quidem miles, in nostra et fratrum nostrorum presentia constitutus, credentiam sibi commissam aperiens, ex parte ejusdem vicecomitis nobis exposuit verbotenus et in scriptis quod idem predecessor dicto vicecomiti quamdam donaverat pecunie summam per eum in dicte Terre Sancte subsidium in primo generali passagio convertendam, certam non exprimens dicte pecunie quantitatem, licet super hoc per nos extiterit requisitus, se id nescire asserens, nec habuisse manda[376]tum ad expressionem hujusmodi faciendam. Attendentes igitur quod prefatus vicecomes in sua responsione certam quantitatem suppressit, et premissam incertam a predecessore prefato asseruit sibi datam et in generali per eum passagio expendendam; necnon et in consideratione deducto quod tam immensa subsidia tam dicto Terre Sancte negotio quam aliis piis usibus aut Sedi apostolice poterant in divinam offensam et premissorum grave dispendium ac multarum animarum periculum, tam propter defectum probationum quam alias multipliciter deperire, premissis volentes occurrere, quod non aliter fieri posse cognoscimus, nisi de premissis plenius fuerimus informati, vicecomitem antedictum, qui premissorum novit plenariam veritatem, ad inquirendum cum eo veritatem de premissis prestito juramento, et audiendum quicquid circa premissa dicere seu exhibere voluerit, ad nostram presentiam de fratrum eorumdem consilio decrevimus evocandum. Et quia, ut verisimiliter presumimus, citatio non posset sibi tute nec faciliter presentari, de ipsorum fratrum consilio et in eorum presentia, presente quoque hac multitudine fidelium copiosa, eumdem vicecomitem presentis publice citationis edicto citamus, sibi auctoritate presentium, sub excommunicationis, quam in personam, et interdicti, quam in terras suas ex nunc ferimus, easque ipso facto incurrere volumus, si hujusmodi mandato nostro efficaciter non paruerit,

a) omis par Bal.

penis et sententiis districtius injungentes, ut infra quadraginta dierum spatium a die date presentium computandum, quos sibi cum continuatione dierum subsequentium ad premissa et alia usque ad finem dicti negotii oportuna pro peremptorio termino assignamus, personaliter apostolico se conspectui representet, super premissis omnibus et singulis eaque tangentibus et dependentibus ex eisdem dicturus plenarie, juramento prestito, veritatem, ac propositurus et exhibiturus quicquid proponere et exhibere voluerit in premissis, et [377] auditurus quod circa premissa, exigente justitia et equitate suadente, de ipsorum fratrum consilio, duxerimus ordinandum. Alioquin super premissis et *(a)* contra ipsum, prout expedire viderimus, procedemus, ejus absentia seu contumacia non obstante. Ceterum ad hujusmodi personalem comparitionem et premissa alia facienda, etiam si vacationes vel ferias per nos ad certum tempus indici contingat, et predictus terminus in tempus dictarum vacationum vel feriarum, vel alias in dies inciderit feriatos, eum teneri volumus et astringi. Ut autem processus citationis hujusmodi ad ipsius vicecomitis et communem omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eumdem in majoris ecclesie Avinionensis appendi vel affigi ostiis faciemus, que processum ipsum suo quasi sonoro preconio et patulo indicio publicabunt, ita quod idem vicecomes nullam possit excusationem pretendere quod ad eum processus citationis hujusmodi non pervenerit, vel quod ignorarit eumdem, cum non sit verisimile quoad eum remanere incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Volumus autem quod eumdem vicecomitem hujusmodi citatio comprehendat, ac si in loco ubi ipse moratur repertus et citatus personaliter extitisset, constitutione quacumque per predecessores nostros romanos pontifices in contrarium edita non obstante, seu si dicto vicecomiti ab eadem sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici, vel terra sua ecclesiastico interdicto supponi non possit per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem, quod, quantum ad hoc, in nullo sibi volumus suffragari. Datum Avinione, VIIJ idus maii, pontificatus nostri anno quarto.

a) omis par Bal.

LVII

[378] Prorogatio [1] citationis dicti vicecomitis Leomaniae.
Avignon, 16 juin 1320.

Universis ad quos presentes littere (a) pervenerint. Pridem dilectum filium nobilem virum Bertrandum vicecomitem Leomanie et Altivillaris, ex certis rationabilibus causis nostrum et Sedis apostolice contingentibus interesse, de fratrum nostrorum consilio, per publice citationis edictum in festo Ascensionis dominice proximo *(b)* preterito [*cf. supra, doc. LVI*], astante multitudine copiosa fidelium, peremptorie citavimus ut infra quadraginta dies post citationem predictam apostolico se conspectui personaliter presentaret, proferentes in ipsum excommunicationis sententiam, terramque ejus interdicto ecclesiastico supponentes, nisi in dicto termino, ut premittitur, compareret, prout hec in litteris apostolicis inde confectis plenius et seriosius continentur. Cum autem, sicut accepimus, idem vicecomes mandatis apostolicis obtemperare desiderans in hac parte, cum intentione prosequendi et comparendi, arripuerit iter suum veniendi ad Sedem predictam, sed ad diem predictam, ex certis causis probabilibus prepeditus, se nequeat in premisso termino nostro conspectui presentare, fuit nobis ex parte predicti vicecomitis per nonnullos ex fratribus nostris sancte romane Ecclesie cardinalibus humiliter supplicatum ut sibi predictum terminum prorogare aliquantulum dignaremur. Nos autem eorum precibus annuentes, de fratrum nostrorum consilio, usque ad octo dies a data presentium computandos, predictum terminum eidem vicecomiti auctoritate presentium ita duximus prorogandum quod sententias excommunicationis et interdicti ac penas quascumque alias contentas in processibus antedictis non incurrat interim nec effectum aliquem sortiantur; [379] sed si ipsum non comparere contingeret dicta die, pene predicte et sententie committantur et suum effectum habeant ac si prorogatio facta prefati termini non fuisset, sibi premissas *(c)* litteras in horum testimonium concedendo. Datum Avinione, xvj kalendas julii, anno quarto.

a) littere presentes, *Bal.* — *b)* proxime, *Bal.* — *c)* presentes, *Bal.*

---

1. D'après le registre Vatican *110*, parte IIa, fol. 81 ro, ep. 373 et 1017. Baluze s'est servi du ms. latin *1114*, de la Bibliothèque nationale de Paris, fol. 96vo, cap. 7.

LVIII

TESTAMENTUM [1] ARNALDI DE AUXIO CARDINALIS. — Avignon, 23 août 1320.

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Quia status sortis humane ad hujus vite peregrinationem a miseria sumit ingressum, et in laboribus et erumnis habet sine intermissione progressum, ac incertum, quamvis inevitabilem, omnis vivens continuo persequitur egressum, sapientis consilium esse constat quod propriis rebus ac bonis prudentie statera pensatis, quisque sic eas discretionis lance dispenset quod ad proventum sibi proficiant felicitatis eterne acquisita cum sollicitudine multa et non sine magna curiositate servata, eminusque assidue diem illum imminere perspiciat quem prefinivit Dominus omni carni. Quibus omnibus et singulis reverendus in Christo pater et dominus Arnaldus de Auxio, episcopus Albanensis, sacrosancte romane Ecclesie cardinalis, dum viveret et plena mentis integritate vigeret, ac perfecto et libero rationis arbitrio frueretur, in examen debite deliberationis deducens, in mei, notarii, et testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum et requisitorum presentia constitutus, de rebus et bonis suis in modum, qui sequitur, disposuit et etiam ordinavit, suumque testamentum nuncupativum fecit et condidit, et ultimam voluntatem expressit super dispositione et distributione rerum et bonorum suorum, ac intentionem immutabilem patefecit et declaravit.

In primis corpus suum et animam suam [380] salvatori et redemptori nostro Domino Jhesu Christo et beatissime Marie virgini matri ejusdem devotissime commendavit totique collegio beatorum. Et deinde ante omnia revocavit, quassavit et annullavit omnia testamenta et ultimas voluntates que seu quas alias fecit et apparere posset ipsum fecisse quoquo modo et ubique locorum, sub quibuscumque tenore et conceptione verborum facta et condita apparerent, etiamsi quelibet verba derogativa in ipsis essent inserta, et pro cassis, nullis et irritis ipsa et ipsas haberi voluit et teneri, nullumque penitus habere vigorem nec roboris firmitatem; sed presens tantummodo testamentum valere voluit et effectum plenum sortiri, omniaque fieri et adimpleri que continentur in ipso.

1. Ex archivo S. Petri de Romevo, *Bal.*; pièce non retrouvée.

Voluit etiam idem dominus cardinalis testator, statuit et etiam ordinavit quod de omnibus vesselamentis et jocalibus, preterquam reliquiarum, suis tam aureis quam argenteis et omni pecunia tam aurea quam argentea et quacumque alia, et libris et paramentis ecclesiasticis, et vestibus, et quibuscumque aliis rebus suis, et bonis mobilibus et etiam immobilibus, nominibus seu debitis, solvantur omnia debita sua de quibus constabit vel fieri poterit certa fides, et fiant emende plene et integre omnibus et singulis de ipso querelantibus, quibus ipse tempore mortis sue facere teneretur, et quod hec fiant per manus infrascriptorum executorum suorum vel illorum tantum quibus onus faciende executionis incumbet.

Sciensque dictus testator se cinerem esse et in cinerem debere reverti, locum incinerationis et sepulture sue elegit, ubicumque locorum et quocumque tempore contigerit eum mori, in ecclesia collegiata Beati Petri de Romevo, Condomiensis dyocesis, cujus ipse fundator erat et obtinebat jus patronatus, et in ea se tradi voluit et mandavit ecclesiastice sepulture juxta et secundum ordinationem et dispositionem reverendi in Christo [381] patris domini Fortii, episcopi Pictavensis, ita quod ipse dominus episcopus tam de loco sepulture, infra tamen dictam ecclesiam, quam de modo plene disponere possit. Ordinavit, jussit et voluit prelibatus testator quod si contingeret quod in Avinione exsolveret debitum carnis omnis, quod exequie sui funeris fierent in ecclesia fratrum Predicatorum ejusdem loci; electione supradicte sepulture propter hoc in aliquo non mutata.

Post hec dictus testator volens ordinare de jure patronatus spectante ad ipsum ut ad privatam personam ecclesie supradicte Beati Petri de Romevo fecit heredes suos in dicto jure patronatus totali Geraldum de Auxio, dicte Condomiensis dyocesis, filium Guillermi de Auxio, quondam fratris testatoris predicti, et Arnaldum de Auxio, ejusdem dyocesis, filium Petri de Auxio, quondam nepotis testatoris ejusdem, ita videlicet quod post mortem testatoris ipsius vel ante, si idem testator transtulerit in perpetuum qualitercumque jus patronatus hujusmodi in eosdem heredes, dictus Geraldus vel heres ipsius possit jure suo solus et in solidum prima vice cum ea ecclesia carebit decano, eritque locus presentandi seu nominandi, nominare capitulo ejusdem ecclesie vel episcopo Condomiensi in casu in quo ad eum spectet electio duas vel tres personas ydoneas, quas voluerit, quarum una juxta modum qui sequitur in decanum promoveatur, et quod idem capitulum Beati Petri et episcopus in

casu suo unam de predictis duabus vel tribus personis sibi per dictum Geraldum nominatis in decanum eligere teneantur secundum ordinationem factam super hoc per testatorem predictum et confirmatam per reverendum patrem in Christo Raymundum, episcopum Condomiensem, et capitulum suum. Item quod dictus Arnaldus, heres predictus, secunda vice solus et in solidum, cum similis casus eligendi decanum in dicta ecclesia Sancti Petri contigerit, possit, ut supra dicitur de Geraldo, coherede suo, eidem [382] capitulo vel dyocesano in casu suo, in quo ad eum electio pertinet secundum contenta in ordinatione predicta, duas vel tres personas ydoneas nominare, quarum unam capitulum eligere teneatur, et dyocesanus casu suo. Et tertia vice predictus Geraldus vel heres ejus ut supra, et quarta vice dictus Arnaldus vel ejus heres, et sic deinceps in perpetuum alternis vicibus successive possint et habeant nominare personas capitulo Sancti Petri predicti et dyocesano in casu suo, et capitulum teneatur unam eligere de predictis, et ordinarius in casu suo.

Item, eodem modo, etiam voluit idem testator et etiam ordinavit quod successive, secundum ordinem supradictum, quilibet heredum predictorum vel heredes eorum presentet personas ydoneas decano et capitulo ad canonicatus et prebendas, dum vacabunt in ipsa ecclesia, primo dictus Geraldus, secundo dictus Arnaldus heredes, et sic perpetuo successive ipsi et eorum heredes jure successionis et institutionis hujusmodi nominent seu presentent. Quorum quidem heredum suorum heredes intellexit et voluit esse in casibus supradictis filios masculos tantum descendentes ab eis vel descendentes ex descendentibus eorum filiis masculis. Ubi vero masculi non extarent qui secundum premissa succedere possent in jure patronatus predicti, si superesset filius filie descendens ex genere eorumdem, qui teneret domum vel hereditatem patris et nomen generis matris sue, voluit quod succedat loco illius cui filia succedit. Si vero alter heredum patronorum predictorum decederet vel heredes ejus absque eo quod non haberent fratres vel nepotes masculos de genere suo, quod patroni descendentes quia de talibus fratribus et descendentibus de genere suo, voluit et intellexit et ordinavit quod ad coheredem et ejus successorem jus patronatus spectans ad eum devolvatur ad plenum. Verum si non extarent tales qui juxta conditiones et modos predictos possent et deberent succedere, voluit quod ad [383] filium de genere testatoris descendentem possit et debeat pertinere; quibus non extantibus, ad proximiorem. Et si, quod absit, nullus esset proximus, quod capitulum possit sibi eligere decanum et

capitulum conferre canonicatus et prebendas; quia noluit quod ad aliquos alios laicos, cujuscumque dignitatis existant, possit jus aliquod in hujusmodi ac alias in ipsa ecclesia acquiri vel etiam pertinere quoquo modo.

Item, voluit quod nunquam possint esse alterius predictorum coheredum duo alii coheredes, sed unus solus ex parte alterius predictorum tantum sit heres, sic quod unus tantum succedat cuilibet heredum, et nullatenus duo uni. Et voluit etiam quod non possit vendi hujusmodi jus patronatus in totum nec in parte, nec per se solum cum universitate bonorum aliquorum, seu impignorari, vel aliquo modo alienari, aut etiam transferri nisi per modum successionis, ut predictum est, in aliam quamcumque personam.

Item, voluit quod si contingeret quod jus alterius coheredum vel ejus heredis deveniret ad jus alterius coheredis vel heredis ipsius pro tempore, quod nunquam possit dividi nec tunc esse duo heredes seu domini seu patroni, sed unus solus integre habeat hujusmodi jus patronatus. Et si, quod absit, contingeret quod alter heredum vel ejus heres indebite contradiceret alteri coheredi ipsius contra voluntatem ipsius testatoris et ordinationem presentem, quod contradicens cadat a jure suo omnino, et sit coheredis vel heredis ipsius, sibique accrescat pars contradicentis et applicetur obtemperanti, ac etiam devolvatur integraliter ad eumdem. Voluit tamen et ordinavit dictus testator quod dicti heredes sui et eorum quilibet ac successores eorum habeant facere dictas nominationem et presentationem tam ad dictum decanatum quam ad dictos canonicatus et prebendas, quoties casus nominationis aut presentationis hujusmodi contigerit, de consilio, voluntate et assensu reverendi patris in [384] Christo domini Fortii, episcopi Pictavensis,quamdiu idem dominus episcopus vixerit, et post ejus obitum, de voluntate, consilio et assensu venerabilis viri domini Petri Raymundi de Auxio, abbatis Beate Marie majoris Pictavis, germani ejusdem domini episcopi, si supervivat, quamdiu vixerit idem dominus Petrus Raymundi. Et voluit quod si nominatio vel presentatio per ipsos heredes aut ipsorum successores ad predicta aliter fieret, non valeret, sed pro nulla penitus haberetur.

Item, idem testator legavit et dedit dicto Geraldo jure legati vel institutionis heredis pro se et heredibus suis qui successerint in jure patronatu suo predicto totas omnes illas domos lapideas et ligneas et plateas quas habet juxta ecclesiam Sancti Petri de Romevo predicti et claustrum novum ejusdem ecclesie et trolium et plateam eidem

contiguam usque ad inferiorem partem ipsius claustri, ad claustrum antiquum prioratus ejusdem loci, et prout sunt assignate et situate inter ea ex una parte et murum ville de Romevo ex alia et carreriam vocatam de Puteo ex alia, excepto quantum ex illa parte erit necessarium vel utile pro aliquo seu aliquibus edificiis faciendis ad usum decani et capituli ecclesie Sancti Petri predicti, et protenditur a claustro antiquo usque ad murum dicte ville circa latus carrerie predicte, et ab ipsa carreria usque ad XVIIJ rasas vel XX si tot indigeant edificia illa de largitate ab ipsa carreria versus domos et plateas predictas, ita tamen quod dicte domus et platee legate dicto Geraldo habeant introitum et exitum liberum subtus solare edificiorum eorumdem, et a solari hujusmodi altiori usque ad terram, et ab inde usque ad abissum, et quod introitus et exitus ipse habeat de latitudine per totum decem vel viginti rasas.

Item, legavit et dedit eodem modo dicto Geraldo totum illud bordile cum vinea et terra que habet in parochia de Roueda, loco vocato Monspessulanus, [385] inter vineam vocatam de Fabro, ex una parte, et viam communem, per quam itur de villa de Romevo versus Condomium, ex alia, et vineam vocatam de Prato ex alia, et carreriam, per quam itur a dicta villa versus eamdem vineam de Prato, et affarium vocatum la Fontere, ex alia, cum omnibus juribus, introitibus et exitibus earumdem domorum, platearum, bordilis, vinee et terre; que noluit quod possint, in totum nec in parte, ad usum seu proprietatem alicujus alterius pertinere seu pervenire quoquo modo, nisi ipsius Geraldi vel heredis sui, ad quem dumtaxat pertinebit jus patronatus hujusmodi contingens eumdem Geraldum. Vel in casu predicto, in quo jus patronatus esset totaliter extinctum per modum predictum et devoluta potestas decano et capitulo conferendi canonicatus et prebendas et capitulo eligendi decanum in ipsa ecclesia Sancti Petri, quod sint omnia ipsius decani et capituli memorati, et quod nunquam possint tunc separari ab ipsis, postquam jus patronatus esset extinctum juxta modum predictum vel aliter qualitercumque.

Item, legavit et dari voluit de suo, si supersint de bonis suis mobilibus, videlicet pecuniis, vesselamento, solutis debitis et emendis suis factis aliis, mille florenos auri pro emenda elemosina tam servitoribus suis laicis qui non habuerunt stipendia solita dari per eum ab eo quam pauperibus de genere suo. Et primo quod de hiis habeatur consideratio ad emendas et remunerationes stipendiorum, secundo, eis factis, ad elemosinas faciendas de residuo pauperibus de genere

suo qui ei servierunt vel non servierunt secundum majus et minus, et qui habent filias ad maritandum, maxime si non habeant unde eas maritare possint, habita ratione ne egeant. Sane, si non superessent dicti mille floreni, fiat de eo quod supererit et de ceteris bonis suis remuneratio familiaribus predictis qui non habuerint ab eo stipendia vel integra non habuerunt usque ad integritatem quantum con[386]suevit dare, et quod in hiis computentur et includantur ea que habuerunt ab eodem. Servitores suos intelligebat, ut dixit, illos qui secum principaliter sunt morati vel erunt tempore mortis sue, non qui cum familiaribus suis. Si vero esset aliquis de familiaribus suis clericus qui non esset remuneratus per eum, voluit inter alios familiares suos in solutione stipendiorum enumerari, nisi fuerint gratia ipsius et non gratia testatoris cum eo et in ejus servitio. Si vero aliquid supererit de summa mille florenorum predicta reintegratis stipendiis et solutis legatis, distribuatur tantum, ut predicitur, inter pauperes de genere suo.

Voluit etiam predictus testator et ex certa scientia ordinavit quod, non obstantibus verbis aliquibus suprascriptis, executores sui infrascripti, presertim illi qui in romana curia erunt presentes, possint de quibuscumque rebus et bonis suis remunerare quoslibet servitores ipsius, prout eis secundum decentiam et merita servitorum et qualitatem servitiorum videbitur expedire.

Item fecit, constituit, ordinavit et deputavit dictus testator executores suos hujus ultimi sui testamenti et hujus sue ultime voluntatis reverendos in Christo patres Dei gratia dominum Berengarium, episcopum Portuensem, et dominum Guillermum, tituli Sancti Ciriaci presbiterum cardinalem, ac venerabiles viros dominos Petrum de Verdala, abbatem de Morolia, Malleacensis, et Raymundum Sobirani, decanum Montisregalis, Carcassonensis dyocesum, ac Guillermum de Auxio, succentorem Pictavensem, in romana curia tunc presentes, specialiter et expresse ad omnia disponenda et ordinanda et exigenda et exercenda que in dicta romana curia disponenda, ordinanda, exigenda vel exercenda incumbent quacumque occasione vel causa, et memoratum dominum Fortium, episcopum Pictavensem, ac priorem conventus fratrum Predicatorum de Condomio, qui est et pro tempore fuerit, ad disponenda, [387] ordinanda, exigenda vel exercenda omnia et singula que in supradicto loco de Romevo, dicte dyocesis Condomiensis, vel alibi ubicumque extra curiam romanam disponenda, ordinanda, exigenda vel exercenda occurrent. Plenamque suprascriptis executoribus

omnibus et solis etiam in curia, ac solis extra curiam deputatis generaliter et specialiter potestatem dedit petendi, exigendi, repetendi et recipiendi quelibet bona et debita sua, per quemcumque et ex quacumque occasione vel causa ad ipsum pertineant aut etiam debeantur, et agendi et defendendi pro iisdem bonis et debitis tam in judicio quam extra, et quod procuratorem seu procuratores ad hoc valeant deputare cum potestate alium vel alios substituendi, et deputatos et substitutos ab eisdem vel ab aliis suis executoribus, ipsis non existentibus, revocandi et ratificandi in se potestatem, semel et pluries, ac quotiens et quando eis placuerit et videbitur oportunum, et quod tam ipsi executores quam procuratores constituti ab ipsis, et substituti ab eisdem procuratoribus possint quitationem concedere pro receptis et pactum facere de ulterius non petendo, et super receptis dare litteras vel instrumenta publica quitationum, refutationum, et pactum concedere de ulterius non petendo. Insuper prefatus testator predictis executoribus suis plenam, generalem et liberam potestatem concessit omnia et singula faciendi, gerendi, exequendi et exercendi que executoribus quoquo modo de aliquo jure vel consuetudine vel lege cujuslibet regionis, regni vel terre competere possunt, et quod perinde valeat hec generalis potestas ac si omnia expressata et specificata forent que de aliquo jure vel lege vel consuetudine patrie essent exprimenda vel specificanda. Et hanc suam ultimam voluntatem et suum ultimum testamentum asseruit esse velle, quam valere voluit jure testamenti. Quod si jure testamenti non valeret vel valere non posset, voluit eam solum valere jure codicillo[388]rum, vel jure dispositionis seu cujuslibet ultime voluntatis, vel illo jure quo melius valere poterit et tenere.

Acta fuerunt hec Avinioni in hospitio habitationis testatoris predicti, anno Domini MCCCXX, indictione IIJ, die XXIIJ mensis augusti, pontificatus sanctissimi patris et domini Johannis divina providentia pape XXIJ anno quarto, presentibus venerabilibus et discretis viris dominis Petro de Verdala, abbate de Morolia, Raymundo Sorbirani, decano Montisregalis, Guillermo de Auxio, succentore Pictavensi supradictis, et magistris Oliverio de Caseto, canonico ecclesie Sancti Hilarii, Pictavensis, Petro Pomareda de Crosseo, rectore ecclesie de Martesio Pictavensis, Petro Codonh, Caturcensis, Berengario de Aris, Biterrensis clericis, et Petro de Pomarede, Condomiensis dyocesum, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego, Petrus de Goudino, publicus apostolica auctoritate nota-

rius, premissis omnibus et singulis, una cum suprascriptis testibus, presens interfui, et ea omnia propria manu scripsi, et in hanc publicam formam redegi, signoque meo consueto signavi rogatus.

LIX

Bulla[1] Joannis XXII continens processum contra illos qui spoliaverunt curiales et cives in civitate Carpentoratensi. — Avignon, 13 novembre 1319.

Ad perpetuam rei memoriam. Clamores validos et querelas frequentius repetitas quibus multitudo querentium se dudum Carpentorati, dum inibi, apostolica Sede vacante, romana curia residebat, fuisse temere bonis omnibus mobilibus spoliatos, apostolicum officium sepius excitavit ulterius salva conscientia preterire non possumus, quin contra spoliatores ipsorum, quos tanti temporis exacti decursio ad recognitionem culpe et satisfactionem spontaneam deducere debuisset, juxta debitum pastoralis officii [389] procedamus. Sane, sicut evidentia facti notorium cunctis reddit, dudum Sede vacante predicta, nobisque *(a)* una cum fratribus nostris sancte romane Ecclesie cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, existentibus in conclavi pro electione romani pontificis celebranda, zizaniorum sator omniumque malorum incentor inter curiales et alios, in dicta civitate et extra illam in locis prope positis commorantes, sic ingens odium peperit gravesque discordias suscitavit quod congredientibus et hostiliter certantibus invicem, preter strages et vulnera ex hujusmodi congressione secuta, nonnulli iniquitatis filii partem civitatis ipsius supposuerunt ignis incendio concremandam, ita quod manus improbas relaxantes ad predam, nonnullos romanos et alios mercatores et curiales curiam romanam sequentes, et alios qui de diversis locis et partibus ad dictam curiam venerant et tunc inibi morabantur, nonnullos etiam cives Carpentoratenses hostiliter invaserunt, et eos pecuniarum summis, pannis et bonis aliis mobilibus, prout ipsorum

a) nobis, *Bal.*

---

1. D'après le registre du Vatican *70*, fol. 7r°, cap. 19, *de curia*. Baluze s'est servi du ms. latin *4114* (ancien Colbert *829*), fol. 93 r°.

habet lacrimosa conquestio, nequiter spoliarunt; propter quod ipsorum aliqui, sicut ex eorum lugubri assertione percepimus, ad illius egestatis inopiam devenerunt ut ipsi cum eorum familiis cogantur miserabiliter mendicare. Quare mercatores, curiales, cives et ceteri alii spoliati predicti, ad nos propterea recurrentes, supplicarunt nobis super hiis de oportuno eis *(a)* remedio provideri. Nos igitur eisdem *(b)*, quibus paterno affectu compatimur, deesse in justitia non valentes, in qua sumus omnibus debitores, ac insuper dilectorum filiorum populi romani, quos, utpote peculiares ejusdem Ecclesie filios, precipue gerimus in visceribus caritatis, et aliorum predictorum, quos manus improba eorumdem diripientium spoliavit, instantibus precibus inclinati, de consilio fratum nostrorum, omnes et singulos spoliatores eosdem et quoscumque alios, ad quos pecunie, panni et bona hujusmodi pervenerunt *(c)*, et ceteros qui sciunt vel *(d)* no-[390]verunt spoliatores eosdem, aut pecuniarum, pannorum et bonorum hujusmodi detentores, tam clericos quam laicos, cujuscumque dignitatis, status vel conditionis existant, apostolica auctoritate monemus districte, sub excommunicationis pena precipientes eisdem, ut ipsi spoliatores et detentores et eorum, ut predicitur, notitiam obtinentes, nunc in curia ipsa presentes, et alii infra duas dietas prope curiam morantes eamdem infra unius, alii vero longinquius, citra mare tamen, moram trahentes infra trium et qui in ultramarinis partibus commorantur infra *(e)* novem mensium spatium computandorum a data presentium, pecunias, pannos et bona predicta, in quibuscumque consistant, aut extimationem eorum hiis quorum fuerunt, si scire poterunt, per se vel *(f)* alios, alioquin thesaurariis nostris, restituenda spoliatis predictis quorum fuerunt, cum plena integritate restituere et assignare, ac spoliantium et detentorum ipsorum nomina, nisi sciverint quod ipsi pecunias, pannos et bona hujusmodi, juxta monitionem et mandatum hujusmodi, restituerint, nobis seu dictis thesaurariis revelare procurent. Quod si forte spoliatores, detentores, et conscii seu cognitores ipsorum monitioni hujusmodi infra dictos terminos, ut premittitur, efficaciter non parebunt, ex tunc ipsos et ipsorum quemlibet, de ipsorum fratrum consilio, excommunicationis sententie decernimus subjacere *(g)*, ad graviores penas contra eos processuri, sicut inobedientia ipsorum

a) placé après hiis *par Bal.* — *b)* eisdem igitur, *Bal.* — *c)* pervenerint, *Bal.* — *d) omis par Bal.* — *e)* trium et qui in ultramarinis partibus commorantur infra, *omis par Bal.* — *f)* per, *ajouté par Bal.* — *g)* subjacere decernimus, *Bal.*

exegerit et viderimus expedire. Non obstante si aliquibus communiter vel divisim a Sede apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Ut autem hujus monitionis et mandati nostrorum processus hujusmodi *(a)* ad ipsorum et omnium communem notitiam deducatur, cartas sive membranas processum hujusmodi continentes ecclesie Avinionensis appendi vel affigi hostiis faciemus, que processum ipsum suo quasi sonoro preconio [391] et patulo indicio publicabunt, ita quod illi, quos hujusmodi processus contingit, nullam possint allegationem pretendere vel ignorantiam allegare quod ad eos processus hujusmodi non pervenerint vel quod *(b)* ignorarint eumdem, cum non sit verisimile remanere apud ipsos incognitum vel occultum quod tam patenter est omnibus publicatum. Nos enim processum monitionis et mandati hujusmodi perinde valere decernimus et apprehendere monitos memoratos ac si personaliter *(c)* inventi super premissis fuissent moniti nominatim, constitutione qualibet per predecessores nostros romanos pontifices in contrarium edita non obstante. Datum Avenioni, ydus novembris, pontificatus nostri anno quarto.

LX

Ejusdem papae bulla[1] continens ordinationem negotii Bertrandi, vicecomitis Leomaniae et Altivillaris. — Avignon, 11 juillet 1321.

Ad futuram rei memoriam. Terram Sanctam, quam unigenitus Dei Filius Dominus noster Jhesus Christus in perpetuum *(d)* sibi patrimonium et hereditatem elegit, conspicientes feritate diversorum infidelium immaniter lacerari, et ex hoc diversas sentientes puncturas in animo, quasi nostris visceribus lacessitis, vias et modos desideranter exquisivimus nec cessamus exquirere, quibus eidem Terre Sancte

a) omis par Bal. — *b)* pervenerit vel, *Bal.* — *c)* specialiter, *Bal.* — *d)* proprium, *Bal.*

---

1. D'après le registre Vatican *71*, ep. 179, *de curia*; Baluze s'est servi du ms. latin *4114*.

possint oportuna presidia nostro ministerio provenire. Sane dudum ex multorum relatione ad audientiam apostolatus nostri deducto quod felicis recordationis Clemens papa V, predecessor noster, dilecto filio nobili viro Bertrando, vicecomiti Leomanie et Altivillaris, assignaverat inter cetera realiter in pecunia numerata trecenta milia florenorum auri expendenda per eum et certas personas alias in subsidium Terre Sancte, nos, ne tam magna subsidia dicte Terre Sancte negotio in divinam offensam et ejusdem terre dispendium, [392] propter probationum defectum vel ex causis aliis, subtraherentur vel etiam deperirent, premissis volentes occurrere, quod non alias posse fieri noscebamus, nisi de hiis essemus plenius informati, vicecomitem antedictum, qui premissorum noverat plenariam veritatem, ad inquirendum cum eo veritatem hujusmodi et audiendum quicquid circa premissa dicere seu exhibere vellet, ad nostram presentiam, de fratrum nostrorum consilio, per publice citationis edictum duximus evocandum, sibi sub excommunicationis, quam in personam, et interdicti, quam in terras suas ex tunc tulimus, easque ipso facto incurrere voluimus, si processui citationis ejusdem efficaciter non pareret, penis et sententiis districtius injungentes ut infra certum terminum competentem, quem sibi cum continuatione dierum subsequentium ad premissa et alia usque ad finem dicti negotii oportuna, pro peremptorio termino assignavimus, personaliter apostolico se conspectui presentaret super premissis omnibus et singulis eaque tangentibus et dependentibus ab eisdem dicturus plenariam, juramento prestito, veritatem, ac propositurus et exhibiturus quicquid proponere et exhibere vellet in premissis, et auditurus quod circa premissa, exigente justitia et equitate suadente, duceremus, de ipsorum fratrum consilio, ordinandum, prout in dicto processu super hoc habito plenius continetur. Prefatus igitur vicecomes, propter hoc, ad apostolicam Sedem se conferens, ac in nostra presentia personaliter constitutus, confessus fuit et recognovit expresse sibi donata fuisse a predecessore predicto, dum viveret, trecenta milia florenorum auri, eaque ab eodem integre recepisse et habuisse expendenda per eum vel descendentes ab eo, si essent, aut si non essent, per certos alios, secundum quod in ordinatione ejusdem predecessoris contineri dicebat, quando videlicet passagium ultramarinum fieret generale, exhibens ad probationem ordinationis predicte quasdam scripturas sigillis ejus[393]dem vicecomitis et aliorum plurium mun tas. Cumque interrogavissemus eumdem utrum vellet aliqua alia proponere seu exhibere ad defensionem suam, idem vicecomes allegans simplici-

tatem militarem et indubitatam fiduciam quam gerebat de nobis, ac peculiarem affectionem et dilectionem sinceram quam ad nos habuerat predecessor predictus, respondit se nichil aliud velle proponere seu producere super hiis, nisi solum quod paratus erat dicta trecenta milia florenorum auri expendere in primo generali passagio juxta formam ordinationis predicte, asserens se nobiscum nolle contendere de premissis, sed super hiis voluntati et ordinationi nostre totaliter se submisit promittens se inviolabiliter servaturum quicquid per nos super illis fuerit ordinatum. Nos autem, dicta submissione recepta, scripturas predictas diligenter inspeximus, ac super ipsis cum fratribus nostris, deliberatione prehabita diligenti, de fratrum nostrorum consilio, pronuntiavimus et pronuntiamus, declaravimus et declaramus scripturas ipsas fidem non facere de ordinatione ipsius predecessoris per dictum vicecomitem allegata. Quare non virtute ordinationis predicte, de qua non constat, ut per nos pronuntiatum est proxime et etiam declaratum, sed de gratia speciali, de fratrum eorumdem consilio, tum ob favorem negotii Terre Sancte, que multum egere subsidio noscitur, tum quia contemplatione dicti subsidii trecentorum milium florenorum dictus vicecomes et multi alii nobiles dicuntur vivifice crucis signaculum assumpsisse, presente dicto vicecomite, auctoritate apostolica et ex vigore submissionis predicte, taliter duximus ordinandum et presentialiter ordinamus, videlicet : quod de dicta summa trecentorum milium florenorum idem vicecomes centum et quinquaginta milia florenorum teneatur usque ad kalendas mensis novembris proxime venturi integraliter nostre camere assignare, in hiis que predicto negotio oportuna et expedientia fuerint, prout ex[394]pedire viderimus, convertenda. Reliquam vero medietatem penes eumdem vicecomitem volumus remanere expendendam modo subscripto in subsidium negotii supradicti, videlicet : quod si carissimum in Christo filium nostrum regem Francorum *(a)* vel filium ejus, vel regem Anglie aut ejus filium, aut regem Castelle vel ejus filium, aut regem Sicilie vel ejus filium, qui nunc sunt vel erunt pro tempore, vel dilectos filios nobiles viros Carolum, comitem Valesii, patruum, vel Carolum, comitem Marchie, fratrem regis Francie, vel fratres vel unum ex fratribus regis Anglie predictorum, qui nunc sunt, contigerit transfretare ex ordinatione Sedis ejusdem pro liberatione et subsidio Terre Sancte, vel ubi nullum regum *(b)* seu filiorum vel fratrum predictorum, vel

a) Francie, *Bal.* — *b)* regem, *Bal.*

dictum patruum contigerit transfretare, si contigerit, ultra illos qui ducendi vel mittendi erunt per dictum vicecomitem vel ejus universalem heredem vel eos qui haberi poterunt de summa predicta apud eumdem vicecomitem remanente, ad minus mille homines armatos et equites ad transmarinas partes per dictam Sedem vel ex ordinatione ipsius, pro hujusmodi Terre Sancte liberatione seu subsidio, destinari, idem vicecomes vel ejus heres universalis, si per Sedem apostolicam in dictis casibus legitime requiratur, non suo aut alterius, sed Ecclesie romane dumtaxat nomine, transfretare debebunt et tenebuntur, cum tanta multitudine equitum quanta haberi poterit de medietate summe predicte apud eum, ut premittitur, remanente, hujusmodi subsidium eundo et morando in Terra Sancta et redeundo per duos annos et dimidium continuos et completos fideliter prestituri. Quod si forte ante finitum tempus hujusmodi prefatos mille equites per Sedem eamdem vel ex ordinatione ipsius ad partes illas, ut premittitur, destinatos seu quemcumque alium de regibus vel filiis aut fratribus prelibatis seu dictum patruum, qui passagium fecerit, de partibus illis recedere et redire contigerit, nisi forsitan per [395] prenominatos reges et magnates vel aliquem eorumdem ad minus mille equites dimitterentur, ultra milites per dictum vicecomitem destinandos in partibus memoratis, liceat eidem vicecomiti vel ejus heredi in dicto casu redire, dum tamen, pro rata residui temporis, satisfaciat de dicta summa Sedi predicte, vel illuc iterum revertatur cum tanta gente quanta possit duci de residuo pecunie supradicte, vel tantam gentem quanta, ut premittitur, de dicto residuo duci possit, ad dictas partes transmarinas mittere teneatur, in illis partibus per residuum dicti temporis moraturam. Nec alias idem vicecomes seu ejus heres ad transfretationem hujusmodi teneatur. Si vero dictus vicecomes vel ejus heres universalis nollent vel non possent in premissis casibus transfretare, tot equites armatos quot haberi poterunt pro medietate totalis summe trecentorum milium florenorum apud eum, ut premittitur, remanente, illuc mittere teneantur, in altero casuum predictorum. Alioquin si in casibus predictis, ut premittitur, ire vel mittere nollent forsitan vel non possent, dictam medietatem, in eisdem dumtaxat casibus, reddent, si requisiti fuerint per Sedem apostolicam, et eidem Sedi apostolice assignabunt. Insuper auctoritate predicta ordinamus ut pro predictis omnibus et singulis inviolabiliter observandis idem vicecomes, nomine suo ac heredum et successorum suorum, omnia bona sua stabilia, videlicet vicecomitatum, baronias, castra, villas, cum eorum

territoriis, juribus, jurisdictionibus et pertinentiis universis, necnon omnia *(a)* alia bona sua mobilia et immobilia presentia et futura, ac jura, ubicumque et in quibuscumque consistentia, nobis et romane Ecclesie teneatur solempniter et efficaciter obligare, juramento per eum super hiis prestito corporali. Porro prefatum vicecomitem et ejus heredem universalem vel heredes, et suos quoslibet successores nolumus pro predictis amplius obligari, nec remanere in aliquo obligatos, pro summa predicta trecentorum milium floreno[396]rum quam superius est expressum, presentem ordinationem hujusmodi perpetuo valituram auctoritate apostolica decernentes. Quam quidem ordinationem nostram hujusmodi idem vicecomes, sua libera et spontanea voluntate, in nostra et venerabilium fratrum B[erengarii], Tusculanensis, B[erengarii], Portuensis, Vitalis, Albanensis episcoporum, ac dilectorum filiorum Gaucelmi, tituli Sanctorum Marcellini et Petri, Petri, tituli Sancte Potentiane, Symonis, tituli Sancte Prisce presbiterorum, Jacobi, Sancti Georgii ad velum aureum, Arnaldi, Sancte Marie in Porticu, Raymundi, Sancte Marie nove, Bernardi, Sancte Agathe, Gualhardi, Sancte Lucie in Silice, Bertrandi, Sancte Marie in Aquiro, Arnaldi, Sancti Eustachii dyaconorum cardinalium, presentia laudavit et etiam *(b)* approbavit et ex certa scientia ratificavit expresse. Ac nichilominus ad premissa omnia et singula in hujusmodi ordinatione nostra contenta, in predictis casibus efficaciter adimplenda, idem vicecomes se heredesque suos, suo ac heredis sui, seu *(c)* heredum ac *(d)* successorum suorum nomine, vicecomitatum, baronias, castra, villas, cum eorum territoriis, juribus, jurisdictionibus et pertinentiis universis, necnon omnia alia bona sua *(e)* mobilia et immobilia, presentia et futura, ac jura, ubicumque et in quibuscumque consistentia, nobis et eidem romane Ecclesie, ut premittitur, voluntate spontanea obligavit specialiter et expresse, ac de hiis omnibus et singulis efficaciter, ut premittitur, adimplendis, per eum corporali prestito juramento, ac jurisdictioni camerarii nostri, et Sedis apostolice, et auditoris causarum ejusdem camere, ex certa scientia, voluntarie se submisit. Qui quidem camerarius vel auditor camere in personam suam excommunicationis, et in omnes terras ipsius interdicti, ex tunc sententias promulgabit, si prefatus vicecomes premissa omnia et singula, juxta ordinationem nostram hujusmodi, non curaverit adimplere. Ut autem ipsius vicecomitis

a) omis par Bal. — *b)* et etiam, *omis par Bal.* — *c) omis par Bal.* — *d)* et, *Bal.* — *e) omis par Bal.*

pure devotionis integritas apud Deum et Sedem predictam [397] continuis incrementis sub vigore sinceritatis excrescat, ipsum ejusque heredes et quoslibet successores et eorum quemlibet, preterquam sicut dictus vicecomes et ejus heres universalis, ex nostra presenti ordinatione, superius astringuntur, de ipsorum fratrum consilio et assensu, ex certa scientia, de apostolice plenitudine potestatis, perpetuo absolvimus, quitamus et etiam liberamus ab omni obligatione et vinculo juramenti quibus et sub quacumque verborum forma essent, occasione suprascripte totalis summe trecentorum milium florenorum auri, sepefati predecessoris ordinationis vigore, vel alias, ad dictum passagium, nisi ut supra premittitur, quomodolibet obligati, nec pretextu dicte ordinationis predecessoris ejusdem seu alterius cujuscumque obligationis qua romane Ecclesie tenentur, ratione totalis summe predicte, in posterum contra eumdem vicecomitem aut heredes seu successores ipsius questio valeat quomodolibet suscitari nisi prout superius est expressum. Eumdem quoque vicecomitem a quibuscumque excommunicationum sententiis, si quas incurrerit virtute nostrorum processuum quorumcumque, ratione summe florenorum predicte, auctoritate presentium absolvimus, et interdictum, si cui premissorum occasione terre sue essent supposite, relaxamus et totaliter amovemus, quascumque alias penas contra eum in processibus nostris quibuscumque contentas ratione summe florenorum predictorum, de ipsorum fratrum consilio, eidem vicecomiti remittimus, ex certa scientia et de apostolice plenitudine potestatis, nolentes per processus eosdem, quatinus dictam summam concernere dinoscuntur, eidem vicecomiti vel successoribus suis spiritualiter vel temporaliter prejudicium generari. Porro scripturas predictas per dictum vicecomitem exhibitas ad probandum ordinationes predecessoris predicti, quas dictus vicecomes allegabat, per aliqua per nos ordinata superius vel dicta non intendimus nec volumus in aliquo approbare nec robur aliquod [398] illis dare per quod ipsis possit seu debeat fides in aliquo adhiberi. Immo volumus pronuntiationem et declarationem predictas in suo robore perdurare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre pronuntiationis, declarationis, ordinationum, constitutionis, absolutionum, quitationis, liberationis, relaxationis, amotionis et remissionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Avinioni, v ydus julii, pontificatus nostri anno quinto.

LXI

Ejusdem Joannis XXII bulla [1], qua liberatur et absolvitur vicecomes Leomaniae et Altivillaris super certa summa florenorum quam legavit felicis recordationis Clemens papa V in eleemosynas et alios pios usus et opera convertendam. — Avignon, 11 juillet 1321.

Ad futuram rei memoriam. Inter curas multiplices que nobis *(a)* ex injuncto apostolatus officio incumbere dinoscuntur, illam libenter amplectimur per quam pauperum et miserabilium personarum necessitatibus et aliis piis causis salubriter consulatur. Sane dudum relatione multorum ad audientiam nostram deducto quod felicis recordationis Clemens papa V, predecessor noster, dilecto filio nobili viro Bertrando, vicecomiti Leomanie et Altivillaris, assignaverat inter cetera realiter in pecunia numerata ducenta milia florenorum auri in pios usus per ipsum et certas personas alias eroganda, nos, ne tam magna subsidia hujusmodi piis usibus, in divinam offensam et ipsorum piorum usuum grave dispendium, propter probationum defectum vel ex causis aliis, subtraherentur vel etiam deperirent, premissis volentes occurrere, quod non alias posse fieri noscebamus, nisi de hiis essemus plenius informati, vicecomitem [399] antedictum, qui premissorum noverat plenariam veritatem, ad inquirendum cum eo veritatem de premissis, per eum prestito juramento, et ad audiendum quicquid circa premissa dicere seu exhibere vellet, ad nostram presentiam, de fratrum nostrorum consilio, per publice citationis edictum duximus evocandum, sibi sub excommunicationis, quam in personam, et interdicti, quam in terras suas ex tunc tulimus, easque ipso facto incurrere voluimus, si processui citationis ejusdem efficaciter non pareret, penis et sententiis, districtius injungentes ut infra certum dierum spatium a die date dicti processus computandum, quod sibi cum continuatione dierum

a) mis après injuncto *par Bal.*

---

1. D'après le registre Vatican *71*, ep. 177, *de curia*; Baluze s'est servi du ms. latin *4114*.

subsequentium, ad premissa et alia usque ad finem dicti negotii oportuna, pro peremptorio termino assignavimus, personaliter apostolico se conspectui presentaret, super premissis omnibus et singulis eaque tangentibus et dependentibus ab eisdem dicturus plenariam, juramento prestito, veritatem, ac propositurus et exhibiturus quicquid proponere et exhibere vellet in premissis, et auditurus quod circa premissa, exigente justitia et equitate suadente, duceremus, de ipsorum fratrum consilio, ordinandum, prout in dicto processu super hoc habito plenius continetur. Prefatus igitur vicecomes, propter hoc ad apostolicam Sedem se conferens ac in nostra presentia personaliter constitutus, confessus est et recognovit quod dicta summa ducentorum milium florenorum, de quibus in citatione nostra mentio habebatur, mandata fuerat per predecessorem predictum distribui, scilicet ad pias causas pro puellis pauperibus maritandis et in alias pias causas; quam quantitatem credebat et se dicebat scire esse solutam, preter aliquam que restat certa de causa solvenda, et quod dicta pecunia ducentorum milium florenorum, de mandato ipsius vicecomitis et nonnullorum aliorum de genere predecessoris ejusdem, fuerat portata ad quedam loca ipsius vicecomitis, ipse tamen nichil de ipsis tenuit nec con[400]tractavit, nec claves habuit nec tenuit, sed quondam magister Raymundus Fabri solvebat, et distribuebat illa et ordinabat de illis, ut credit, secundum ordinationem predecessoris ejusdem, de mandato tamen suo et aliorum, ut credit, deputatorum ad hoc in ordinatione predicta, exhibens super hiis quasdam scripturas ordinationem, ut dicebat, hujusmodi continentes, sigillis dicti vicecomitis et aliorum quamplurium communitas. Cumque interrogavissemus eumdem si vellet aliqua alia proponere vel exhibere ad defensionem suam, idem vicecomes allegans simplicitatem militarem et indubitatam fiduciam quam gerebat de nobis, ac peculiarem affectionem et dilectionem sinceram quam ad nos habuerat predecessor predictus, respondit se nichil aliud velle producere pro premissis, sed super hiis voluntati et ordinationi nostre voluntarie totaliter se submisit, promittens se *(a)* inviolabiliter servaturum quicquid per nos super illis fuerit ordinatum. Nos autem, dicta submissione recepta, scripturas predictas diligenter inspeximus, ac super hiis cum fratribus nostris deliberatione prehabita diligenti, de fratrum ipsorum consilio, pronuntiavimus et pronuntiamus, declaravimus et declaramus scripturas ipsas fidem non facere pre-

a) omis par Bal.

dicte ordinationis predecessoris ejusdem per dictum vicecomitem allegate. Nichilominus tamen, non virtute ordinationis predicte, de qua non constat, ut per nos pronuntiatum est proxime et etiam declaratum, sed de gratia speciali, ac etiam volentes tam hujusmodi pio proposito, quod asserebat fuisse predecessoris ejusdem, qui dictam summam, ut premittitur, expendi voluit in pios usus predictos, quam etiam personis pauperibus inter quas dicebatur dicta pecunia erogata et etiam eroganda, favere, habentes etiam de premissis aliquas conjecturas, cum non sit verisimile quod idem vicecomes et persone alie ad hec deputate in dictis scripturis contente tantam quantitatem pecunie in elemosinas erogassent, nisi ad hoc ejusdem predecessoris ordinatio precessisset *(a)*; cupientes quoque anime [401] ejusdem predecessoris, qui, dum vixit, tenerrime nos dilexit, quantum in nobis est, providere saluti, secundum infrascriptum modum, pro remedio anime sue, et etiam pro subsidio personarum quibus de dicta summa sunt elemosine erogate et adhuc etiam erogande, de ipsorum fratrum consilio, duximus ordinandum. In primis videlicet : omnia data et erogata in elemosinas et alias pias causas, prout continetur in scripturis productis *(b)* per vicecomitem antedictum, de ipsorum fratrum consilio et assensu, laudamus, approbamus, et ex certa scientia confirmamus de gratia speciali et apostolice plenitudine potestatis. Simili modo, presentium auctoritate, decernimus per eumdem vicecomitem vel heredes ejus *(c)* fore reddendum et integraliter persolvendum quicquid secundum scripturas predictas de dicta summa ducentorum milium florenorum superest et restat solvendum ac etiam erogandum. Insuper eumdem vicecomitem et personas alias que dicuntur ad hec deputate super summa florenorum predicta, de ipsorum fratrum consilio et assensu, et ex certa scientia absolvimus et totaliter liberamus de apostolice plenitudine potestatis, ita quod in posterum contra ipsos vel eorum quoslibet successores nequeat super hoc questio quomodolibet suscitari; eo salvo ut, si quid superest ad solvendum de premissis, per eumdem vicecomitem et personas alias ad hec deputatas aut eorum heredes, persolvatur juxta scripturarum continentiam predictarum, et de solutis omnibus et solvendis ex causis predictis, nobis, prout justum fuerit, ratio reddi debeat infra octo menses, postquam super hoc idem vicecomes vel ejus heredes legitime fuerint requisiti.

a) nisi... precessisset, *omis par Bal.* — *b)* predictis, *Bal.* — *c)* ejus heredes, *Bal.*

Eumdem quoque vicecomitem et alios deputatos ad erogationem predictam a quibuscumque excommunicationum sententiis, si quas incurrerint *(a)* auctoritate nostrorum processuum quorumcumque ratione summe florenorum predicte, tenore presentium absolvimus, et interdictum, si cui, ex causis similibus, [402] terre ipsius essent supposite, relaxamus et totaliter amovemus, quascumque alias penas contra eos in processibus nostris quibuscumque contentas ratione summe florenorum predicte, de ipsorum fratrum consilio, eisdem remittimus ex certa scientia et de apostolice plenitudine potestatis, nolentes per processus eosdem, quatinus dictam summam concernere dinoscuntur eidem vicecomiti aut successoribus suis et personis aliis *(b)* prelibatis spiritualiter vel temporaliter prejudicium generari. Porro scripturas predictas per dictum vicecomitem exhibitas ad probandum ordinationes predecessoris nostri predicti, quas dictus vicecomes allegabat, per aliqua per nos superius ordinata seu dicta, non intendimus nec volumus in aliquo approbare nec robur aliquod illis dare, seu quod ipsis possit seu debeat fides in aliquo adhiberi; immo volumus pronuntiationem et declarationem predictas in suo robore perdurare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre pronuntiationis, declarationis, laudationis, approbationis, confirmationis, constitutionis, absolutionum, liberationis, relaxationis, amotionis, et remissionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Avinione, v ydus julii anno quinto.

LXII

Ejusdem papae bulla[1], qua datur licentia Bertrando, vicecomiti Leomaniae et Altivillaris, quod recedat de curia. — Avignon, 11 juillet 1321.

Nobili viro Bertrando, vicecomiti Leomanie et Altivillaris. Dudum ex certis rationabilibus causis super diversis negotiis, de quibus per

a) incurrerunt, *Bal.*— *b)* aliis personis, *Bal.*

---

1. D'après le registre Vatican *71*, ep. 178, *de curia*; Baluze s'est servi du ms. latin *4114*.

te et in tua presentia volebamus inquirere veritatem, te ad presentiam nostram perso[403]naliter duximus evocandum; tuque, tanquam obedientie filius, ad nostram presentiam te personaliter conferens, nobis de omnibus et singulis que in hujusmodi vocationis nostre litteris continebantur, respondere curasti, et super eorum aliquibus nobiscum, juxta nostrum beneplacitum, convenisti *(a)*. Cum autem sicut asseris, presentia tua sit pro certis familiaribus tuis negotiis in terra tua plurimum necessaria, tuque etiam in curia romana morando graveris, sicut asseris, in persona, ac propterea devote et humiliter supplicaveris tibi recedendi de dicta curia licentiam indulgeri, nos supplicationibus tuis benignum in hac parte impertientes assensum, nobilitati tue recedendi, quotienscumque tibi placuerit, de dicta curia, et te quandocumque et quocumque volueris transferendi, liberam et benignam licentiam auctoritate presentium impertimur; ita tamen quod quotiens te super premissis duxerimus personaliter evocandum, ad presentiam nostram te conferre personaliter tenearis. Datum Avinione, v ydus julii anno quinto.

LXIII

Litterae[1] Philippi V, regis Franciae, de donis factis Petro Duesa, fratri Joannis papae XXII, et Petro de Via et Arnaldo de Trianno, nepotibus ejusdem summi pontificis. — Paris, août 1321.

Philippus, Dei gratia Francorum et Navarre rex. Notum facimus universis tam presentibus quam futuris nos vidisse et diligenter inspexisse de verbo ad verbum infrascriptas litteras formam que sequitur continentes. Universis presentes litteras inspecturis Guiardus Guidonis, dominus de Cabanis, miles domini nostri Francorum et Navarre regis, senescallus Tholosanus et Albiensis, et Johannes Marchi, legum doctor, clericus dicti domini regis, judex major senescallie predicte, notum facimus nos recepisse quasdam patentes litteras regias for-

a) et super eorum... convenisti, *passage omis par Bal.*

---

1. Ex libro rubeo Camerae computorum Parisiensis, *Bal.*; ce livre a été détruit dans l'incendie de 1737.

mam que sequitur continentes. *Phi*[404]*lippus, Dei gratia Francorum et Navarre rex, dilectis magistro Johanni Marchi, legum doctori, clerico, ac majori judici et senescallo Tholose, militi nostro, vel ejus locum tenenti salutem et dilectionem. Cum nos dudum dilectis et fidelibus nostris Petro Duesa, germano, mille libras, et Petro de Via et Arnaldo de Trianno, nepotibus sanctissimi patris in Domino Johannis summi pontificis, videlicet cuilibet eorum trecentas libratas terre in hereditatem perpetuam de speciali gratia duxerimus concedendas et in baillivia magni feodi de Alnesio assidendas, et postmodum in recompensationem omnimode justitie dicte terre de Alnesio, que eis pro centum libris turonensibus annui redditus computata fuerat et assisa, hujusmodi centum libras eisdem donaverimus gratiose, prout in litteris in sirico et cera viridi nostro sigillatis sigillo plenius continetur, ad supplicationem dicti germani committimus et mandamus vobis et vestrum cuilibet in solidum quatinus, visis litteris nostris super donatione hujusmodi confectis, juxta tenorem litterarum ipsarum ipsi germano et successoribus suis in perpetuum, pro rata ipsum contingente dictarum centum librarum, in foresta nostra de Bauro a parte proximiori castri Sancti Felicis assideatis et assignetis, absque dilatione quacumque, una cum sex libris minus uno denario turonensi restantibus ad assignandum de mille sexcentis libris eidem militi et Johanni Grandis, cognato ipsius summi pontificis, prout tangit quemlibet eorumdem, assignatis et assisis in locis Sancti Felicis, Montisacuti et de Romenchis, prout in litteris inde confectis plenius continetur; quas sex libras minus uno denario turonensi per senescallum nostrum et Hugonem Guiraudi, judicem appellationum Tholose, commissarios per nos super hoc deputatos, eisdem germano et Johanni Grandis, pretextu cujusdam assignationis per Aymericum de Rupeforti de bassa justitia, quam habet in loco de Romenchis, cum alta justitia quam habebamus ibidem oblate per dictum Aymericum dictis commissa*[405]*riis pro redditu assignatis, eisdem militi et Johanni duximus remittendas; de qua assignatione ipsum militem et suos gaudere plenarie faciatis, vocatis per vos ad hoc quos videritis evocandos; concedentes eidem militi litteras super assignatione hujusmodi perpetuo valituras; certos limites seu terminos in hiis que sibi assignaveritis apponentes, per quos predicta assignata ab aliis perpetuo distinguantur. Dantes universis justiciariis et subditis nostris tenore presentium in mandatis ut vobis et vestrum cuilibet in premissis et ea tangentibus pareant et intendant. Datum Parisius, die decima septima aprilis, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo.* Item nos vidisse quasdam alias litteras regias sigillo

cereo viridi sigillatas, quarum tenor dinoscitur esse talis. *Philippus, Dei gratia Francorum et Navarre rex. Notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod, cum nos dilectis et fidelibus militibus nostris Petro Duesa, fratri, mille libratas, Petro de Via et Arnaldo de Trianno, nepotibus sanctissimi patris in Domino Johannis summi pontificis, videlicet eorum cuilibet trecentas libratas terre de liberalitate nostra et speciali gratia donaverimus, dictamque terram in magno feodo de Alnesio eis fecerimus assideri juxta litterarum donationis predicte tenorem, omnimodaque dicte terre justitia pro centum libratis terre eis computata fuerit et assisa, nos prefatis militibus nostris, quos prosequi volumus specialis prerogativa favoris, dictamque concessionem nostram et liberalitatem ampliare volentes, dictam justitiam eis pure et sine aliquo pretio seu extimatione concedimus in hereditatem perpetuam et donamus, et cum dicte centum librate terre ratione ipsius omnimode justitie eis computate fuerint et assise, volumus ipsis in dicto feodo quantocius assideri. Quod ut ratum et stabile perpetuo perseveret, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum, salvo in aliis jure nostro, et in omnibus quolibet alieno. Datum apud Gisortium, anno Domini millesimo trecentesi*[406]*mo decimo septimo, mense septembri.* Unde, cum juxta tenorem litterarum regiarum predictarum, pro portione dictarum centum librarum turonensium annui redditus, de quibus fit mentio in dictis litteris regiis, contingente nobilem virum dominum Petrum Duesa, militem, dominum de Sancto Felice, una cum dictis sex libris minus uno denario turonensi annui redditus oblatis per Aymericum de Rupeforti, domicellum, in assignatione Sancti Felicis, prout in dictis litteris primo insertis continetur, sexaginta octo libre et decem solidi minus uno denario turonensi annui redditus predicto domino Petro assignande essent in et super foresta de Bauro a parte proximiori de Sancto Felice juxta continentiam litterarum predictarum, nosque senescallus et judex major predicti pro dicta summa ibidem assignanda, aliis pluribus negotiis arduis domini nostri regis occupati, informationem fieri fecerimus diligentem per discretos viros magistrum Johannem de Alberia, jurisperitum, et Germanum de Miravalle, procuratorem incursuum heresis, in talibus expertos, vocatis et presentibus domino Egidio de Pontuilla, milite, magistro forestarum regiarum in lingua occitana, et magistro Petro Humhati, procuratore regio in Lauraguesio, ac magistro Jacobo Garini, procuratore regio dicte senescallie, ac per dictam informationem factam, vocatis et juratis consulibus et pluribus probis viris locorum de Bauro et de Drulhano et aliorum locorum

circumvicinorum dicte foreste, invenerimus quadraginta quatuor arpenta dicte foreste ad mensuram Francie perticata per dictum procuratorem regium et Pontium Bare mensuratorem juratum a parte proximiori castri de Sancto Felice, loci vocati de Anelhariis extimata fore pro tonsura cujuslibet arpenti quatuor libr. turon. et pro solo seu proprietate cujuslibet arpenti quindecim libr. turonen. pro intragiis ad unum denarium turonensem censualem, que valent reducta pecunia ad redditum [407] juxta patrie consuetudinem ad denar. viginti quadraginta unam libram decem et novem solidos octo denarios turonenses annui redditus, computando quodlibet arpentum decem et novem solid. unum denarium turonen. rendual. in proprietate et tonsura. Item sexdecim arpenta cum dimidio et decima parte unius grossi nemoris dicte foreste contiguo dicto loco de Anelhariis pro quolibet arpento decem libr. turonen. pro tonsura, et quindecim libras turonenses pro intragiis ad unum denarium censualem, que valent reducta dicta pecunia ad redditum ut supra viginti libras sexdecim solidos quatuor denarios obolum turonen. annui redditus, computando arpentum ad viginti quinque solidos unum denarium turonensem redduales. Item sex arpenta cum dimidio et sexta parte unius arpenti nemoris Drulhes, pro quolibet arpento quadraginta solidos turonenses pro tonsura, et ratione soli seu proprietatis quindecim libras turonenses pro intragiis ad unum denarium turonensem censualem ut supra, que valent reducta pecunia ad redditum ut supra centum tresdecim solidos decem denarios obolum turonen. annui redditus, in quo nemore Drulhesii, a quo ista ultima pars necessarie accipitur, homines de Drulhano habebant usum explectandi seu tailliandi proprietatibus et herbagiis tantum domini regis existen., de quo usu inferius dictis hominibus fit emenda. Que omnia superius extimata ascendunt ad summam sexaginta octo librarum decem solidorum minus uno denario turonensi annui redditus. Tandem nos senescallus et judex major predicti, visa et diligenter inspecta informatione predicta, habitaque deliberatione super contentis in ea, attendentes eamdem rite et legitime factam esse per dictos commissarios, vocatis dictis magistro forestarum et procuratore ac perticatore regiis, de quibus fiduciam gerimus pleniorem, predicta sexaginta septem arpenta et quartam partem unius et unam perticam et [408] dimidiam ad mensuram Francie superius singulariter extimata pro dictis sexaginta octo libris decem solidis minus uno denario turonensi annui redditus, cum jure custodiendi partem suam predictam dicte foreste et tenendi

forestarios suos ibidem, prout dominus rex antea faciebat, jurisdictione tantum alta et bassa domino regi remanente, tenore presentium dicto domino Petro Duesa seu domino Raymundo Benerii, canonico Claromontensi, ejus procuratori pro ipso, duximus assignanda, et possessionem predictorum eidem procuratori fecimus liberari juxta predictarum continentiam litterarum. Pro emenda vero facienda dictis hominibus de Drulhano de dicto explectivo dictorum sex arpentorum cum dimidio et sexta parte unius dicti nemoris Drulhes superius in dicta assignatione positorum, necessario pro majori dampno regio vitando, de alia foresta regia noviter talliata ponentur pro extimatione modica in assignatione predicta quatuor arpenta et tresdecim partes unius dicte foreste de Bauro contigue a parte superiori dicto nemori Drulhes, ubi terra pro nemore crescendo dicitur esse satis bona, quorum tonsura pro quolibet arpento octo libr. turonen. extitit extimata, facta compensatione legitima de uno ad aliud, fecimus assignari, que de cetero dicto nemori Drulhes adjungantur, et dominus noster rex et dicti homines idem jus habeant in eisdem prout habent in nemore Drulhes supradicto. In quorum fidem et testimonium nos senescallus sigillum dicte senescallie et nos judex major predicti sigillum nostrum presentibus litteris duximus apponenda. Actum et datum Tholose, vicesima nona die januarii, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo. *Nos autem assignationem et liberationem per dictos senescallum et judicem nostros factas, ut premittitur, de mandato nostro ac traditionem exinde secutam rectas et gratas habentes, eas volumus, approbamus, et tenore presentium ex certa scientia confirmamus. Quod ut* [409] *ratum et firmum perpetuo perseveret, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum, salvo in aliis jure nostro, et in omnibus quolibet alieno. Actum Parisius, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo primo, mense augusti.*

LXIV

Testamentum[1] Nicolai de Freauvilla cardinalis.
16 octobre 1321.

In nomine Domini. Amen. Hoc est transumptum cujusdam instrumenti seu testamenti ultime voluntatis seu testamenti bone

1. Ex archivo fratrum Praedicatorum Rothomagensium, *Bal.*; pièce non retrouvée.

memorie domini Nicolai tituli Sancti Eusebii presbiteri cardinalis, scripti manu mei, notarii publici, infrascripti, ac ejusdem domini cardinalis sigillo pendenti sigillati, sumptum ex originali instrumento predicto ipsius testamenti per me predictum notarium de verbo ad verbum, nichil addito vel mutato, cujus tenor talis est. In nomine Domini. Amen. Anno nativitatis ejusdem Domini MCCCXXJ, indictione iiij, die xvj mensis octobris, pontificatus domini nostri Johannis pape XXIJ anno VJ, reverendus in Christo pater dominus Nicolaus, Dei gratia tituli Sancti Eusebii presbiter cardinalis, mente et corpore sanus, per gratiam Christi de bonis suis disposuit in hunc modum. Nos frater Nicolaus de ordine fratrum Predicatorum, permissione divina tituli Sancti Eusebii presbiter cardinalis, ex auctoritate nobis concessa a sanctissimo domino Johanne divina providentia papa XXIJ testandi et ordinandi in omni jure et modo quibus melius possumus de bonis nostris, mente et corpore sanus, sic duximus disponendum. In primis igitur volumus et mandamus quod debita omnia solvantur que debebimus tempore mortis nostre, et quod si constiterit quod aliquem seu aliquos gravavimus injuste, eisdem plenarie satisfiat. Item illis qui de familia nostra qui tunc erunt [410] in servitio nostro, qui per nos non fuerint beneficiati aut sufficienter remunerati, legamus infrascripta. In primis cuilibet fratri ordinis Predicatorum clerico de familia nostra legamus viginti florenos auri de Florentia pro singulis annis quibus nobis servivit, et equum quem equitat unusquisque. Item fratri Guillelmo Testu converso, qui longo tempore nobis servivit, legamus centum florenos auri semel tantummodo. Item fratri Gaufrido converso XXX florenos auri semel tantum. Item eodem modo cuilibet capellano commensali, cui damus robas, et per nos non fuerit beneficiatus vel alias sufficienter remuneratus, quod et committimus arbitrio executorum nostrorum, qui fuerit etiam nobiscum vel in servitiis nostris tempore mortis nostre, pro singulis annis quibus nobis servivit viginti florenos. Item eodem modo cuilibet clerico de capella et cuilibet armigero decem florenos; exceptis tamen Ranalderio et Olivario armigeris nostris, quibus, videlicet cuilibet eorum, si tempore nostri obitus nobiscum et in servitiis et de nostris fuerint, legamus tantummodo viginti florenos auri semel tantum. Item legamus Gerardo apothecario nostro pro servitiis et laboribus nobis ab eo impensis viginti florenos auri semel tantum. Item legamus cuilibet famulo coquine et aliorum ministeriorum et equorum quibus etiam damus robas quinque florenos auri de Florentia, scilicet pro singulis annis quibus, ut predicitur, nobis

servierunt, ita tamen quod addendo vel minuendo summa sit duorum millium florenorum distribuenda, unicuique secundum ratam suam et ordinationem executorum nostrorum infrascriptorum. Item legamus conventui fratrum Predicatorum Parisiensium ducentos florenos auri. Item conventui Rothomagensi dictorum fratrum totidem, scilicet ducentos florenos. Item ceteris conventibus ejusdem ordinis in Normannia et aliis in quibus fuimus lector vel sublector, quibus aliquid non legavimus vel alias legaverimus, Au[411]relianensi, Pictaviensi et Constantiensi, legamus cuilibet ipsorum conventuum sexaginta florenos auri. Item conventui fratrum Minorum Parisiensium legamus sexaginta florenos auri. Item conventui ejusdem ordinis Minorum Rothomagensium sexaginta florenos auri. Item capitulo generali fratrum Predicatorum, in quo obitus noster primo fuerit nuntiatus, legamus centum florenos auri semel tantum. Et eodem nomine capitulo provinciali Francie ejusdem ordinis centum florenos auri. Item conventui Rothomagensi dicti ordinis Predicatorum, in quo elegimus sepeliri, ratione nostre sepulture legamus crucem nostram majorem de argento deauratam, ubi est imago Beate Marie Virginis cum tabernaculo. Et pro funeralibus nostris et exequiis ibidem faciendis, ut decet, expendatur de bonis nostris secundum ordinationem executorum nostrorum infrascriptorum. Item legamus pro elemosina facienda pauperibus die obitus nostri et sequenti pro luminari, pannis, auleis et aliis necessariis trecentos florenos auri, ita quod addendo vel minuendo summa sit, dicta cruce excepta, duorum millium et quingentorum florenorum auri. Volumus tamen quod in hoc casu executores nostri predicti possint addere aut minuere, prout eis videbitur expedire. Item declaramus quod libri, videlicet Biblia, Summa decretalium in duobus voluminibus, Summa contra gentiles, et Secunda secunde, quos habebamus antequam essemus factus cardinalis, fuerunt dicti conventus ordinis Predicatorum Rothomagensium. Et ideo volumus et mandamus quod dicti libri sine difficultate eidem conventui reddantur. Item legamus dicto conventui fratrum Predicatorum Rothomagensium librum nostrum homiliarum et dialogorum in uno volumine pro lectura in refectorio, ita quod non possit ad usus alios applicari. Item legamus eidem conventui fratrum Predicatorum Rothomagensium Summam que dicitur Catena aurea pro communi studio, ita quod nulla ratione [412] aliis usibus applicetur. Item capellam nostram albam integram cum principalibus paramento meliori altaris argenteo, et calice aureo, thuribulo, ampullis, candelabris, bassinis melioribus

et missali meliori proprio de ordine legamus predicto conventui fratrum Predicatorum Rothomagensium. Item legamus Johanni Coignet, Guillelmo Coignet fratri, pro se et filiis et filiabus trecentos florenos auri. Item quinque filiabus quondam fratris nostri, videlicet Guillelme, Nicolae, Desiderie, Marie et Nicolae, cuilibet earum videlicet legamus ducentos florenos auri. Item legamus filiis quondam Asseline, videlicet Ricardo pro filia sua maritanda trecentos florenos auri, Guillelmo pro filiis et filiabus suis trecentos florenos auri, et Roberto ducentos, ac Petro centum florenos auri. Item Thomassino Monart domicello nostro, qui habet neptem nostram in uxorem, legamus centum libras turonensium parvorum. Item legamus Johanni Prepositi, nepoti nostro, Corpus juris cum Decreto, que habet a nobis. Item legamus Guillelmo Prepositi, nepoti nostro, filio quondam sororis nostre, Summam copiosam quam habet a nobis. Item, cum alias tradiderimus seu tradi fecerimus magistro Nicolao de Freauvilla, canonico Rothomagensi, trecentas libras bonorum parvorum turonensium pro Guillelmo et Johanne, fratribus suis, et Colineto Coignet, nepote suo, scilicet pro quolibet eorum centum libras bonorum parvorum turonensium, quos eisdem legaveramus pro Corpore juris emendo, prout est in quodam codicillo a nobis alias condito tempore infirmitatis nostre preterite, volumus et injungimus executoribus nostris infrascriptis, super hoc conscientias eorum onerantes, ut pro posse eorum faciant quod dicti Guillelmus, Johannes et Colinetus de dictis trecentis libris minime defraudentur. Item de centum triginta librarum annuis redditibus bonorum parvorum turonensium in terra, pratis, nemoribus et aliis quibuscumque posses-[413]sionibus, quas emimus in terra seu territorio de Freauvilla et in pertinentiis ejus seu emi fecimus pro nobis et nostro nomine de nostra pecunia a domino Adam Goulé, milite, volumus et ordinamus quod in ipsis centum et triginta librarum annuis redditibus Johannes Coignet, nepos noster, primogenitus et heredes sui sint heredes nostri, quem et quos facimus heredes nostros in parte predicta. Volumus tamen et mandamus quod de fructibus et redditibus terre et possessionum predictarum redditibus predictus Johannes Coignet et heredes sui, pro anima nostra et parentum nostrorum, teneantur continue et perpetuo in capellania seu capella, quam edificari fecimus in ecclesia de Freauvilla per unum capellanum facere divina officia celebrari dictamque capellam manutenere tam in coopertura quam in omnibus aliis ad sustentationem dicte capelle pertinentibus, et quod singulis annis prefato capellano triginta libras bonorum par-

vorum turonensium solvere teneantur. Et ad hec facienda et servanda volumus quod officialis Rothomagensis ad petitionem dicti capellani vel alterius cujuscumque predictum Johannem ac ejus heredes cogere possit ac etiam coercere, si idem Johannes vel sui heredes predicta non facerent seu deficerent in aliquo predictorum. Revocamus insuper expresse ex nunc omni modo, jure et forma quibus melius possumus omnem collationem, dationem seu donationem per nos factam sub quacumque forma vel expressione verborum, alio vel quocumque modo, dicto magistro Nicolao de Freauvilla vel alteri cuicumque tempore infirmitatis nostre predicte Valabrice anno Domini MCCCXXJ, mense julii vel alio quocumque tempore de dicta terra et possessionibus seu de dictarum centum et triginta librarum annuis redditibus predictis. Item volumus et ordinamus quod factis restitutionibus nostris, si que apparcant vel apparebunt premissis omnibus integraliter persolutis, de omnibus bonis nostris residuis, si que [414] sint, tam presentibus quam futuris nobis debitis, sive ex censu regni Sicilie et Trinacrie, aut alio quocumque, sive ex obventionibus aut beneficiis communibus vel specialibus, aut fructibus redditum, aut quibuscumque aliis bonis nobis proventuris alio quovis modo, emantur redditus usque ad centum quinquaginta libras bonorum parvorum turonensium nomine conventus sororum nostri ordinis de Sancto Mattheo juxta Rothomagum per manus executorum nostrorum infrascriptorum aut procuratoris aut procuratorum earumdem, ita tamen quod dicte sorores sive conventus annuatim reddere teneantur et tenebuntur pro salute anime nostre conventui fratrum Predicatorum Rothomagensium, videlicet pro singulis mensibus unum modium de sufficienti et bono frumento, ita videlicet quod dictam summam pecunie liberabunt et solvent pro dicto frumento, tempore quo provisiones fratrum Predicatorum fieri poterunt melius et prout est fieri consuetum juxta ordinationem prioris provincialis Francie, qui pro tempore fuerit ordinis Predicatorum predicti, quem in hac parte executorem nostrum esse volumus, facimus et constituimus perpetuo duraturum quantum ad hoc quod dictas sorores per quamcumque viam sibi possibilem quocumque teneantur ad solvendum pecuniam seu frumentum ex redditibus dictis pro fratrum predictorum provisionibus de dicto frumento sufficienti et bono, ut premittitur, faciendis tempore opportuno. Volumus tamen et ordinamus quod dictus prior provincialis possit et valeat istam ordinationem nostram secundum varietatem temporum mitigare, ita quod si dicta pecunia centum quinquaginta librarum vel dicti

redditus non sufficerent aliquo tempore cariori ad emendam dictam frumenti quantitatem, per ipsum id quod supererit proportionaliter defalcetur in frumento; si autem e contrario dicti redditus plus valerent tempore meliori, possit similiter aliquid convertere ad uti[415]litatem fratrum predictorum de illo superfluo secundum quod justum apparebit et equum. Conventum autem et monasterium dictarum sororum in hiis et aliis que sequuntur ipsum conventum et monasterium tangentibus heredes nostros instituimus et facimus, adjectis conditionibus supradictis. Si autem hiis peractis et completis de bonis nostris aliquid superesset, volumus quod de hoc residuo ecclesia perficiatur quam in loco predictarum sororum alias fecimus inchoari. Et si istud residuum adhuc superesset, volumus et ordinamus quod inde emantur redditus nomine dictarum sororum ad emendum vina per manum fratrum tempore provisionum, tam pro fratribus quam pro sororibus, proportione equali. Et in hoc similiter prefatus prior provincialis eamdem potestatem habeat quam habet in aliis redditibus supradictis, et eodem modo dictas sorores compellere valeat ad solvendum. Volumus autem, jubemus et mandamus ista omnia et singula supradicta sic inviolabiliter observari quod dicti redditus seu bona nostra predicta non possint ad usus alios applicari, ita quod qui contrarium attemptaverit, eo ipso omni jure privetur, et ad restitutionem teneatur; et ad hoc prior provincialis predictus habeat adjudicare et ordinare. Item manerium nostrum quod fuit Guillelmi Courtoisie, situm Rothomagi inter domum fratrum Predicatorum ac fluvium Sequane, quod emimus et amortizari fecimus per dominum regem Francie, legamus et concedimus cum omnibus juribus ac pertinentiis suis quomodocumque ad nos pertinentibus conventui dictorum fratrum Predicatorum Rothomagensium. Volumus tamen quod per executores nostros infrascriptos dictum manerium cum cunctis redditibus oneretur, videlicet in decem libris singulis annis die anniversarii nostri dicto conventui pro salute anime nostre et in nostri memoria pro pittancia ejusdem conventus facienda. Item volumus et ordinamus quod nemora nostra sita in Bria juxta capellam de Doreblayo, [416] Senonensis diocesis, per nostros executores seu eorum procuratores funditus vendantur, si non sint vendita; non revocando tamen potestatem per nos datam illis quibus vendendi ea potestatem concessimus; ita quod fundum et tonsura et quicquid juris ad illa et ad nos ratione illorum pertinet in pecuniam convertatur, que per dictos executores nostros ad complendum nostrum testamentum hoc totaliter expendatur. Et volumus quod ista pe-

cunia de nemoribus ipsis habita ex nunc tanquam mobilis censeatur, et quod de ipsa fiat sicut de nostris mobilibus superius ordinavimus, non obstante hoc quod nemora predicta, quamdiu sunt in manu nostra, immobilia videantur. Hoc etiam per omnia volumus et mandamus fieri de domo seu habitatione quam habemus in Ponte Sorgie, Avinionensis diocesis. Item legamus magistro Johanni de Castello, notario nostro, pro suis laboribus factis et faciendis, et tam pro testamento et codicillo alias factis, et aliis pluribus pro quibus eo indiguimus ac etiam indigemus, sexaginta florenos auri, ita tamen quod de instrumentis necessariis ratione testamenti seu aliis quibuscumque non possit aliquid petere a nostris executoribus pro labore. Item legamus fabrice ecclesie de Freauvilla centum florenos auri. Item legamus centum florenos auri pro communi elemosina pauperibus ville de Freauvilla facienda et eroganda et nostris exequiis faciendis ibidem. Item legamus fratri Vincentio de Douvrendo infrascripto unum de lectis nostris melioribus cum culcitra, item albam, amictum, stolam, manipulum et casulam in quibus private celebrare in camera consuevimus sive in capella privata, cum tobaliis et altari portatili benedicto, tabula parva picta, et minoribus calice et missali. Item legamus cuilibet infrascriptorum executorum nostrorum pro amicitia et labore executionis faciende unum jocale centum florenorum auri. Executores autem hujus testamenti seu ultime voluntatis nostre [417] et ad predicta omnia exequenda volumus esse, facimus et ordinamus reverendos in Christo patres dominos Guillelmum, Sabinensem episcopum, absentem, Petrum tituli Sancte Susanne presbiterum, ac Neapoleonem Sancti Adriani diaconum cardinales, ac fratrem Vincentium de Douvrendo, ordinis Predicatorum, predictum presentes hic coram nobis, et magistrum Michaelem Mauconductum canonicum Parisiensem, ac fratrem Wibertum Bonelli dicti ordinis Predicatorum, dantes eis liberam potestatem et mandatum pro executione et prosecutione predictorum et dependentium ab eisdem et quolibet eorum petendi, exigendi, et recipiendi, ac quittandi et absolvendi, libellum dandi ac recipiendi, litem contestandi, et omnia alia faciendi que nos facere possemus si viveremus, et pro predictis unum vel plures procuratores constituendi, prout eis visum fuerit expedire. Ita tamen quod si aliquis vel aliqui predictorum executorum ageret vel agerent in remotis tempore mortis nostre vel postea, ita quod ejus vel eorum presentia non posset haberi facile, volumus quod presentes executores absque absentis vel absentium expectatione predicta omnia et singula exequantur, prout eis pro

salute anime nostre melius videbitur expedire. Et quia de singulis nos contingentibus recolere non possumus, precipue ratione nepotum nostrorum et aliorum plurium, volumus et ordinamus quod dicti executores, in hiis maxime que nos et nostros nepotes possent tangere, debeant credere et fidem adhibere dicto fratri Vincentio, qui diu et fideliter nobis servivit, vidit et scivit multa de quibus ad presens recolere non possumus, postquam tamen super hiis de mandato et voluntate predictorum executorum nostrorum prestiterit juramentum. Et hanc nostram ultimam voluntatem esse volumus et valere jure testamenti. Quod si jure testamenti non valet, valeat saltem jure codicillorum vel cujuslibet alterius ultime [418] voluntatis. Cassantes et infirmantes omne aliud testamentum vel codicillum seu codicillos per nos hactenus in scriptis vel sine scriptis aut vocaliter factos. In quorum omnium testimonium hoc nostrum testamentum seu ultimam voluntatem per infrascriptum notarium publicum scribi et in publicam formam redigi et publicari volumus et rogamus, nostrique sigilli mandamus et volumus appensione muniri. Actum Avinioni in camera hospitii habitationis prefati domini Nicolai cardinalis testatoris, presentibus reverendis patribus dominis Petro, tituli Sancte Susanne presbitero, et Neapoleone, Sancti Adriani diacono cardinalibus executoribus supradictis, et fratre Vincentio etiam supra memorato, necnon venerabilibus et discretis domino Alberto de Mediolano, canonico Ravennatensi, domini pape capellano et ipsius sacri palatii in tertio gradu auditore causarum, magistro Petro de Fractis primicerio Cajetanensi, dominis Guillelmo de Malo diversorio Sancti Germani subtus Caltiacum, Johanne de Calceya Sancti Richarii, Egidio Rostelli Sancti Martini de Gonnovilla, Rothomagensis et Lexoviensis diocesum, ecclesiarum rectoribus, Stephano Tostam canonico ecclesie Sancti Marcelli juxta Parisius, et fratre Petro de Bellacumbria, ordinis fratrum Predicatorum, ac Thoma Trehart, clerico Rothomagensis diocesis, testibus ad hec per eumdem dominum Nicolaum cardinalem, testatorem, specialiter vocatis et rogatis, anno, indictione, mense et pontificatu suprascriptis.

Et ego Johannes quondam magister cambii de Castello apostolica, imperiali et alme Urbis prefecture publicus auctoritate notarius supradictus, hoc transsumptum de originali testamento scripto manu mei notarii predicti et sigillo dicti domini Nicolai cardinalis pendenti sigillato propria manu sumpsi et transcripsi nichil addito vel mutato quod sententiam mutet vel variet intellectum. Et quia hoc transsumptum, facta dili[419]genti collatione cum eodem origi-

nali ad transsumptum hoc, utrumque concordare inveni, ideoque huic transsumpto me subscripsi in testimonium veritatis.

In nomine Domini. Amen. Noverint universi presens publicum instrumentum inspecturi quod licet olim reverendus pater dominus Nicolaus, Dei gratia tituli Sancti Eusebii presbiter cardinalis, in suo testamento seu ultima voluntate, corpore et mente sanus, jure legati legaverit et donaverit conventui fratrum ordinis Predicatorum Rothomagensium quoddam manerium suum quod fuit Guillelmi Courtoisie situm Rothomagi inter domum predictorum fratrum et fluvium Sequane, quod emit et amortisari fecit per dominum regem Francie, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, hac tamen conditione, videlicet ut in decem libris parvorum turonensium annis singulis die anniversarii ipsius domini cardinalis per executores ultime voluntatis cardinalis ejusdem ex dicto manerio provenientibus provideretur dicto conventui de pittancia pro salute ipsius domini cardinalis ac memoria ipsius, tamen dictus dominus cardinalis volens eumdem conventum ipsius monasterii possessione gaudere, in presentia mei, notarii publici, et testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, dictum manerium cum omnibus juribus et pertinentiis suis, dicta conditione penitus observata, videlicet quod annis singulis in die anniversarii ejusdem domini cardinalis hujusmodi decem libre turonensium parvorum eidem conventui pro pittancia per priorem et conventum ejusdem loci predictorum fratrum penitus persolvantur, ex nunc dedit, tradidit et donavit ea donatione que est inter vivos libere et simpliciter et irrevocabiliter jure proprio in perpetuum eidem conventui ad habendum, tenendum, possidendum, et quicquid eidem conventui deinceps placuerit perpetuo faciendum, cum omnibus et singulis que infra predictos con[420]tinentur confines et alios, si qui forent, accessibus et egressibus suis usque in viam publicam, et cum omnibus et singulis que habet super se vel infra seu intra se in integrum omnique jure et actione, usu, seu requisitione sibi ex eodem manerio vel pro eo aut ipsi manerio modo aliquo pertinente. Quod manerium dictus dominus cardinalis se ipsius conventus nomine constituit possidere, donec ipsius manerii possessionem acceperit corporaliter, quam accipiendi sua auctoritate et retinendi eis deinceps omnimodam dedit licentiam atque facultatem, promittens se et suos heredes eidem conventui predictam donationem et omnia et singula predicta perpetuo firma et rata habere et tenere et non contrafacere vel venire per se vel alium seu alios aliqua ratione,

ingenio, sive causa, de jure vel de facto, nec ipsam donationem ingratitudine seu causa aliqua revocare sub hypotheca et obligatione omnium bonorum suorum. Si vero predicti prior et conventus in solutione hujusmodi decem librarum annis singulis, ut premittitur, facienda negligentes fuerint quoquo modo, idem dominus cardinalis voluit quod per priorem provincialem dicti ordinis dicti prior et conventus Rothomagensis ad hec servanda penitus compellantur. In cujus rei testimonium dictus dominus cardinalis de premissis [petiit instrumentum publicum fieri] per me, notarium publicum infrascriptum, ipsumque instrumentum ipsius sigilli munimine roborari. Datum et actum Avinioni in hospitio habitationis dicti domini cardinalis, presentibus venerabilibus viris fratribus Vincentio de Douvrendo, Hugone de Pratellis, et Petro de Bellancumbria dicti ordinis Predicatorum, ac domino Guillelmo de Malo diversorio rectore ecclesie Sancti Germani subtus Caltiacum camerario et capellano dicti domini cardinalis, testibus ad hec vocatis et rogatis, anno nativitatis Domini MCCCXXIJ, indictione quinta, die XVJ mensis octobris, pontificatus domini Jo[421]hannis pape XXIJ anno VIJ. Et ego Johannes quondam magister cambii de Castello apostolica, imperiali et alme Urbis prefecture publicus auctoritate notarius, predictis omnibus una cum dictis testibus presens instrumentum et ea omnia de mandato dicti domini cardinalis et rogatu scripsi et publicavi, meoque consueto signo signavi.

Universis presentes litteras inspecturis frater Nicolaus, miseratione divina Sancti Eusebii presbiter cardinalis, salutem in Domino. Noveritis quod nos tenore presentium facimus, constituimus et ordinamus nostros veros et legitimos procuratores et nuncios speciales venerabiles viros fratrem Wibertum, domini regis Francie confessorem, ordinis Predicatorum, et magistrum Johannem de Dunio et Gaufridum de Bonellione, canonicos Rothomagenses, et quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, sed quod unus inceperit, alius vel alii prosequi valeant et finire, dantes et concedentes eisdem et cuilibet eorum in solidum plenam et liberam potestatem et speciale mandatum ponendi et inducendi in corporalem possessionem in communi priorem et conventum fratrum Predicatorum vel alium seu alios nomine et vice prioris et conventus Predicatorum et pro eis manerii nostri quod fuit Guillelmi Courtoisie siti Rothomagi inter domum predictorum fratrum et fluvium Sequane, quod emimus et amortisari fecimus per dominum regem Francie, et quod nuper eisdem conventui donavimus

ea donatione que dicitur inter vivos, prout de donatione hujusmodi constat quodam publico instrumento scripto de mandato nostro manu Johannis de Castello, publici notarii, et nostri sigilli appensione munito, tenutam et possessionem dicti manerii, jurium et pertinentium ipsius dandi et tradendi, alium vel alios procuratorem vel procuratores loco eorum, si necessitas fuerit, substituendi et revocan[422]di quotiens fuerit opportunum, et generaliter omnia et singula faciendi, gerendi et procurandi que in predictis et quolibet premissorum fuerint opportuna, etiamsi mandatum exigant speciale, et que nos faceremus et facere possemus si personaliter presentes essemus, ratum, gratum perpetuo habituri et firmum quod per dictos nostros procuratores vel eorum aliquem et substitutum aut substitutos ab eis vel aliquos ex ipsis in predictis et quolibet predictorum factum fuerit seu etiam procuratum, sub hypotheca et obligatione omnium rerum nostrarum. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri fecimus nostrique sigilli appensione muniri. Datum Avinioni, die xxv mensis octobris anno Domini MCCCXXIJ.

Johannes[1], *episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio .. abbati monasterii Sancte Genovefe Parisiensis salutem et apostolicam benedictionem.* Pro parte dilectorum filiorum .. executorum testamenti seu ultime voluntatis bone memorie Nicholai, tituli Sancti Eusebii presbiteri cardinalis, nobis fuit expositum cum querela quod idem cardinalis in extremis positus, habens a Sede apostolica testandi et disponendi de bonis suis ecclesiasticis et aliis undecumque per eum licite acquisitis liberam potestatem, omnes redditus, et proventus et pecuniarum summas a quibuscumque personis et quocumque modo sibi debitos tam in vita quam illos etiam qui sibi post ejus obitum deberentur, in pios et alios usus per manus dictorum executorum erogari precepit, quodque nonnulli venerabiles fratres nostri episcopi necnon dilecti filii quorumdam monasteriorum ordinis sancti Benedicti abbates et alie persone ecclesiastice canonicatus et prebendas, ac etiam dignitates, personatus seu officia in collegiatis et etiam in cathedralibus ecclesiis obtinentes, necnon milites, armigeri et layci civitatum et dyocesum diversarum de hujusmodi fructibus, et redditibus ac pecuniarum summis, in qui-[423]bus dicto cardinali, dum viveret, tenebantur, et post ejus obitum teneri, ut premittitur, dinoscuntur, predictis executoribus satis-

1. D'après le registre d'Avignon *29*, fol. 289 v°.

facere indebite contradicunt. Propter quod pro parte predictorum executorum nobis fuit humiliter supplicatum ut providere eis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur, digne volentes ut prefati cardinalis dispositio impleatur, discretioni tue, per apostolica scripta, committimus et mandamus quatinus, evocatis qui fuerint evocandi, super premissis, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, cum ab eisdem executoribus vel procuratoribus eorumdem fueris requisitus, plenum exhibeas *(a)* justitie complementum, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere, non obstante constitutione felicis recordationis Bonifacii pape VIIJ, predecessoris nostri, qua cavetur ne aliquis extra suam civitatem et dyocesim, nisi in certis exceptis casibus, ad judicium evocetur, seu ne judices a Sede deputati predicta aliquos ultra unam dietam a fine dyocesum eorumdem trahere presumant, dummodo aliquis auctoritate presentium ultra duas dietas a fine sue dyocesis ad judicium non trahatur, seu de personis ultra certum numerum, per litteras apostolicas, ad judicium non vocandis, aut si aliquibus communiter vel divisim a Sede predicta sit indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari seu extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam tue jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri. Datum Avinione, IIIJ ydus decembris, pontificatus nostri anno XIJ [10 decembris 1327].

[424] *Universis presentes litteras inspecturis priorissa et conventus sororum Sancti Matthei juxta Rothomagum salutem in Domino sempiternam.* Notum facimus nos unanimiter et de communi consensu emptionem centum et quinquaginta librarum turonensium annui redditus nomine nostro factam juxta ordinationem bone memorie domini Nicolai, quondam tituli Sancti Eusebii presbiteri cardinalis, in ipsius testamento contentam pro conventu fratrum nostrorum Rothomagensium sub et cum conditionibus in dicto testamento contentis in presentia reverendi patris fratris Hugonis, ordinis

a) exerceas, *Bal.*

predicti magistri, ratam et gratam habuisse et eam gratam et ratam habemus et ex nunc approbamus, volentes et consentientes quod omnia bona et obventiones predicti redditus in utilitatem conventus fratrum predictorum non obstante contradictione cujuscumque libere et integre convertantur. Volumus etiam et promittimus, de ejusdem magistri licentia, quod pro repetitione et receptione dicti redditus futuris et perpetuis temporibus prior dicti conventus vel ejus vices gerens procuratorem unum vel plures nobis ad hoc valeat nominare quem vel quos voluerit, et nos ipsum vel ipsos ad hoc nomine nostro instituere teneamur, qui possit, ut moris est, dictum redditum statutis terminis repetere et recipere nostro nomine et de receptis litteras quitatorias facere et omnia alia que potest facere procurator legitime institutus. Et nos promittimus bona fide quicquid in hoc casu, nomine nostro, per dictum procuratorem vel procuratores actum fuerit sive gestum ratum et gratum habituras sub hypotheca et obligatione bonorum redditus supradicti. Si vero ad aliquam subventionem vel decimam seu aliam impositionem quacumque auctoritate papali vel regia cogeremur, dictus redditus pro equipollentia responderet. Et ego frater Hugo predicti ordinis servus inutilis, auctoritate qua possum, sub testimonio sigilli mei presens omnia predicta approbo et con[425]firmo. Acta sunt hec in capitulo nostro sub sigillis predicti magistri et nostris feria quarta infra octavas Assumptionis beate Marie virginis gloriose [17 augusti], anno Domini MCCCXXXIIIJ, presentibus fratribus Guillelmo Caltot, doctore in theologia, Wiberto Bonelli quondam dominorum regum Ludovici et Karoli confessore, Petro de Trignyaco, Adam de Nemosio, Roberto de Besançon, Simone de Herbevilla, et Roberto de Forcellis, vicario domus nostre.

LXV

Pactiones[1] matrimonii inter Joannem, filium Karoli II, regis Siciliae, comitem Gravinae, et Agnetem, filiam Archambaldi, comitis Petragoricensis. — Vauvert, 14 novembre 1321.

In nomine Domini nostri Jhesu Christi. Amen. Prudentum dogmata suadent gestarum rerum *(a)* seriem in publica munimenta

a) rerum gestarum, *Bal.*

1. D'après les Archives des Basses-Pyrénées, *E 619.*

conferre, ne preteritorum memoriam edax consumat *(a)* oblivio, sed fulta potius scripture publice testimoniis immortalis permaneat probatio veritatis. Eapropter presentis scripti publici serie cunctis fiat inantea manifestum quod pure affectionis instinctus et consideratio circumspecta interpellarunt interiora communium amicorum pertractare de matrimonio contrahendo inter inclitum dominum Johannem, felicis recordationis domini Karoli secundi, Jerusalem et Sicilie regis illustris, natum, Gravine comitem et honoris Montis Sancti Angeli dominum, et magnificam domicellam Agnetem, filiam spectabilis viri Archembaudi, comitis Petragoricensis quondam. Tandem post tractatus plurimos super hoc subsecutos, divina gratia, operoso ministerio *(b)* et diligentia communium amicorum varietate tract[atu]um ad plenum concordia jam deducta, spectabilis domina Brunicenda *(c)* de Fusso *(d)* comitissa Petragoricensis, mater, et Archembaldus *(e)*, comes comitatus ejusdem, filius ejus, ger[426]manus Agnetis prefate, ex una parte, et nobilis et circumspectus vir dominus Silvester de Macera, magne regie curie judex, procurator et procuratorio nomine ipsius incliti domini Johannis comitis Gravine, ad subscriptam concordiam communi placito devenerunt, de conscientia et beneplacito sanctissimi patris et domini *(f)* domini Johannis, divina providentia pape XXIJ, et serenissimi principis domini Roberti, Dei gratia Jerusalem et Sicilie regis illustris, necnon serenissime principisse domine Sanctie, eorumdem regnorum regine, prefati domini regis consortis. Videlicet quod prefatus procurator dicti domini Johannis, procuratorio nomine ipsius, de cujus procuratione constat per instrumentum publicum manu mei Matthei de Sancto Georgio, publici apostolica auctoritate notarii infrascripti, promisit prefatis comitisse et comiti, et michi notario, tanquam persone publice, stipulantibus et recipientibus vice et nomine dicte Agnetis se curaturum et procuraturum cum effectu quod dictus dominus Johannes ad ipsorum Agnetis, genitricis et fratris requisitionem et omnimodam voluntatem matrimonium contrahet per verba de presenti in facie Ecclesie, more catholicorum principum, juxta sacrorum canonum instituta. Et pari forma predicti comitissa et comes procuratori predicto et michi, notario antedicto, tanquam persone publice, sicut supra presentibus stipulantibus et recipientibus vice et nomine dicti domini Johannis pro-

a) consumet, *ms.* — *b)* operante, ministerio, *Bal.* — *c)* Brunissenda, *Bal.* — *d)* Fuxo, *Bal.* — *e)* Archembaudus, *Bal.* — *f) omis par Bal.*

miserunt se curaturos et procuraturos cum effectu quod dicta Agnes cum prefato domino Johanne matrimonium contrahet per verba de presenti, ad ipsius pariter voluntatem omnimodam, forma et modo proximo declaratis. Et ex causa dotis et pro dote dotisque nomine ipsius Agnetis predicti comitissa [mat]er *(a)* et comes Petragoricensis germanus, quilibet in solidum et pro toto, solempniter promiserunt procuratori predicto et michi, sepedicto notario, presentibus, stipulantibus et [427] recipientibus vice et nomine dicti domini Johannis, comitis Gravine, statuerunt, constituerunt, statuunt, constituunt et promittunt.... *(b)* solvere triginta quinque milia florenorum auri puri et fini ponderis et cunei Florentini *(c)* per solutiones et terminos subdistinctos, videlicet in festo Resurrectionis dominice primo venturo sex milia florenorum, et in festo Omnium Sanctorum proximo alia sex milia [floren]orum, et annis singulis in dicto festo Omnium Sanctorum alia sex *(d)* milia florenorum, donec de dicta quantitate triginta quinque milium florenorum sit plene et integre ipsi domino Johanni, Gravine comiti, per memoratas solutiones et terminos satisfactum. Et pro uberiori securitate et cautela ejusdem domini Johannis, cum solempnitate necessaria promiserunt se curaturos et cum effectu effecturos quod infrascripti prelati et nobiles, pro dicta dote et pro omni interesse, ut fidejussores et principales debitores, quilibet in solidum et pro toto se obligabunt dicto domino Johanni, comiti Gravine, sub forma, pactis et vinculo juramenti, clausulis, conventionibus, renuntiationibus et cautelis quibus in presenti instrumento invenientur pro dictis dote et interesse fidejussores et principales debitores alii ipsi comiti seu alii pro eodem astricti seu etiam obligati. Et nichilominus prefati comitissa et comes ostendentes puritatem interioris affectus, ipsi domino Johanni, Gravine comiti, complacere per omnia intendentes, promiserunt prefato procuratori ipsius et michi, predicto notario, ejus nomine, stipulantibus sicut supra, quod, si cum ipsorum habilitate solutiones facere poterunt pinguiores, illas pura fide facient et implebunt, prout eis Altissimus habilitatem administrabit in posterum, prout cum ipsa habilitate solvere poterunt solutionibus pinguioribus et etiam prenarratis. Acto inter dictas partes et solempniter convento, nominibus quibus supra, quod, ubi casus restitutionis dicte dotis emergeret, videlicet ipsa Agnete sine liberis de-[428] cedente ex memorato matrimonio procreandis, dictam dotem, qua-

a) déchirure. — b) déchirure. — c) Florentie, *Bal. — d)* duo, *ms.*

tenus de ea solutum esset, dictus dominus Johannes ejusque heredes dicto comiti Petragoricensi ejusve heredibus in pecunia numerata legis et ponderis quibus recepisset eamdem restituere teneatur per sex solutiones et terminos sex annorum spatio equaliter distinguendos, scilicet quod annis singulis dictorum sex annorum a die soluti matrimonii fiat solutio et restitutio, ita quod infra sex annos dictos recepta sit dicto comiti seu ejus heredibus restituta. Item inter memoratas partes predictis nominibus [actum extitit et conventum] *(a)* quod dicta Agnes de summa et usque ad summam trium milium florenorum dotis predicte pro anima sua possit disponere et testari; ita quod residuum dicte dotis, liberis non extantibus, ad prefatum comitem Petragoricensem vel ejus heredem libere revertatur, solvendum et restituendum per sex annorum terminos jam distinctos. Item inter dictas partes prefatis nominibus cum solempnitate necessaria ordinatum extitit et conventum quod liberi, quos ex dicto matrimonio contigerit procreari, succedant dicto domino comiti Gravine in omnibus bonis ejus; servata tamen prerogativa sexus et etatis, prout communiter observatur in regno Sicilie in successionibus comitum et baronum. Hoc specialiter addito et expresso, quod si contingeret post obitum dicte domicelle tantum ex dicto matrimonio filiam superesse et dictum comitem Gravine ex alio postmodum matrimonio filias habere, quod dicta filia prima superstans *(b)* ceteris filie vel filiabus secundi vel ulterioris matrimonii in successione hujusmodi preferatur, legitimis filiabus ceteris reservatis. Dotem autem predictam terminis predistinctis dicti comitissa et comes solvere promiserunt prenominato procuratori et michi, notario, stipulantibus vice et nomine dicti domini Johannis, Gravine comitis, eidem domino Johanni vel alii, ejus nomine et mandato, [429] de plano et sine strepitu judicii et figura, et absque libello et simplici petitione, statutis temporibus, interpellantibus, absque hominis interpellatione aliqua subsecuta; et ipsis libello, et simplici petitioni, eorumque oblationi et petitioni ex pacto *(c)* renuntiantes, se reos et debitores principales pro predicta causa dotis quilibet in solidum, et pro toto et cum omni solempnitate ad id necessaria se constituentes penes dictos procuratorem et me, notarium, stipulantes et recipientes nomine et nominibus quibus supra. Et si forsitan, quod absit, dictus dominus Johannes, comes Gravine, dampnum aliquod vel interesse substineret vel incurreret quoquo modo pro memoratis

a) déchirure. — *b)* superstes, *Bal.* — *c)* expresse *au lieu de* ex pacto, *Bal.*

quantitatibus dicte dotis vel ipsarum aliqua, conventis temporibus, non solutis vel etiam non soluta, promiserunt dampna ipsa et interesse et expensas, quas propterea incurrisset vel etiam sustinuisset, pactis premissis semper firmis manentibus, ipsi domino Johanni, Gravine comiti, ejusque heredibus ex integro et absque aliqua contradictione et dilatione et absque libello ut supra restituere, resarcire et etiam emendare, et de illis et eorum quantitate credere et stare simplici verbo ipsius et heredum ejusdem absque sacramento et testibus, *(a)* alterius probationis genere de ipsis interesse, dampnis et expensis, ex nunc ut ex tunc juramentum deferentes dicto domino comiti Gravine et ejus heredibus, et susceptum per ipsum procuratorem nomine quo supra remittentes, ita quod predictum *(b)* habeatur et reputetur pro delato, suscepto, et subsequenter sufficienter et convenienter remisso. Et pro predictis per predictos comitissam et comitem, ad ipsorum preces et requisitiones, venerabiles in Christo patres domini Oddo, Carpentoratensis, et Archembaldus, Sancti Flori *(c)* episcopi, dominus Bertrandus de Sancto Genesio, decanus Engolismensis, dominus Lambertus, prior de Compliaco, dominus Eblo de Brironio *(d)*, decanus Sancti Juliani, dominus Bertrandus Jordani, dominus de [430] Insula, Amagneus primogenitus nobilis comitis de Asteraco, dominus Americus vicecomes de Alechentro, Guido dominus de Burdelia, Helias de Sancto Asterio filius quondam domini de Monteinsiso, Fulco de Monteretrello domicellus, dominus Elias de Sancto Asterio de Insula, miles, dominus Guillermus Barrieya, miles, Guillermus de Monte Pavonis, et Brunus de Saya penes predictum procuratorem et me sepedictum notarium, ut personam publicam, presentes, stipulantes et recipientes nomine dicti comitis Gravine se constituerunt fidejussores et principales reos et debitores, et quilibet in solidum et pro toto tam predicti comitissa et comes quam prenominati fidejussores pro omnibus et singulis supra et infra scriptis, quilibet eorum sub observantia et solempnitate ad id quocumque jure necessariis se submittunt et submiserunt, jurisdictionem ex certa scientia prorogantes, exceptis prefatis domino Bertrando de Insula, Amagneo *(e)* primogenito comitis de Asteraco, domino Americo *(f)* vicecomite de Alechentro, Guidone domino de Burdelia, Helia de Sancto Asterio filio quondam domini de Monteinciso, Fulcone de Monteretrello domicello, domino

a) et, *ajouté par Bal.* — *b) lege* prestitum, *Bal.* — *c)* Floris, *ms.* — *d) lege forsan* Bironio, *Bal.* — *e)* Aymerico, *ms.* — *f)* Alberico, *ms.*

Helia de Sancto Asterio de Insula, milite, domino Guillelmo Barrieya, milite, et Guillelmo de Monte Pavonis, camere summi pontificis et curie ipsius camere seu auditoris ejusdem camere vinculis excommunicationis et aggravationis, que per auditorem ejusdem camere proferentur seu declarentur, et foro, stilo, consuetudinibus, vinculis, et obligationibus, atque ordinationibus curie ejusdem camere seu auditoris ipsius, et exceptis prefatis dominis Carpentoratensi et Sancti Flori *(a)* episcopis, domino decano Engolismensi, domino priore de Compsiaco, domino decano Sancti Juliani, et Amagneo primogenito comitis de Asteraco sigillo regio curie regie Montispessulani illustris regis Francorum et nexibus ejusdem sigilli et curie alterius cujuscumque secu[431]laris et ecclesiastice, ita quod electa curia camere domini pape dominus Johannes vel alius, ejus nomine et mandato, possit eligere curiam Montispessulani simul vel separatim, et non impediatur concursu vel alia quacumque varietate super hoc sepius etiam lite contestata nullo sibi per electionem hujusmodi prejudicio generando, donec realem et plenam solutionem et satisfactionem fuerit assecutus, prout superius est conventum. Et amplius hoc quolibet termino ipso jure absque hominis ministerio competentis *(b)*, ubi non essset juxta conventum solutio subsecuta, saltim uno mense elapso continue numerando, prefati fidejussores, exceptis predictis dominis Carpentoratensi et Sancti Flori *(c)* episcopis, domino decano Engolismensi, domino priore de Compsiaco, et domino decano Sancti Juliani, ostagia tenere teneantur; ad que tenenda omnes predicti et quilibet ipsorum, excepto dicto Amagneo, se solempniter obligarunt in civitate Aquensi et infra ipsam civitatem sitam in comitatu Provincie et ab inde non recedere quoquo modo, donec foret de quantitate illius termini satisfactum, pro qua ipsa ostagia tenerentur. Et sic de singulis terminis observetur quousque de dicta dote integre fuerit satisfactum. Volentes et consentientes expresse predicti comes et comitissa et omnes alii singuli supra nominati quod obligationes et promissiones ipsorum in presenti instrumento comprehense vigorem et efficaciam habeant et effectum sententie diffinitive per competentem judicem prolate, que in rem judicatam transivisset, nec posset appellationis, nullitatis in integrum restitutionis, supplicationis beneficiis vel remediis aliisve auxiliis infringi, revocari, annullari vel etiam suspendi. Et ut omnia predicta, sicut desiderant et

a) Floris, *ms.* — *b)* interpellatione *au lieu de* ministerio competentis, *Bal.* — *c)* Floris, *ms.*

sicut conventa sunt, plenum et indubitatum sortiantur effectum, ex pacto et ex certa scientia, certiorata de juribus et beneficiis infrascriptis, dicta comitissa renuntiavit beneficio Velleiani, et tam ipsa quam dictus comes [432] ejus filius et omnes alii supradicti et quilibet eorum pro se et suis heredibus renuntiaverunt ex pacto beneficio epistole divi Adriani et nove constitutioni de duobus reis et nominatim dividendarum et cedendarum actionum, et juri dicenti principalem debitorem prius fore conveniendum quam fideijussorem, et specialiter legi *Si convenerit.* ff. de jurisdictione omnium judicum, et beneficio restitutionis in integrum, [et speciali] *(a)* vel generali clausula petenda, et juri appellandi, provocandi, reclamandi, recurrendi ad arbitrium boni viri, jurique revocandi ob errorem facti vel juris, et juri supplicandi, necnon feriis municipalibus, et omnibus et singulis privilegiis et rescriptis inclusis in corpore juris, et ... *(b)* concessis et concedendis, impetratis et impetrandis, cujuscumque sint continentie, tenoris, efficacie et effectus, omnibusque etiam dilationibus quinquennalibus majoribus et minoribus... *(c)* per majorem partem creditorum ipsorum vel alicujus ex eis in cumulo et in numero concederentur eisdem vel alicui ex eis... *(d)* singulis exceptionibus et defensionibus competentibus.... *(e)* et demum auxiliis et remediis cujuscumque juris canonici et civilis, promulgati et promulgandi, quorum pretextu nunc vel in antea possent se juvare contra aliqua de predictis, predicta omnia et infrascripta rata et firma tenere promittentes sub premissa obligatione omnium bonorum ipsorum.... *(f)* presentium et futurorum contra in aliquo non venire de jure vel de facto in judicio vel extra, per se vel per alium, directe vel per oblicum, tacite vel expresse, principaliter vel incidenter. Et ad uberiorem securitatem predicta omnia et singula tenere et penitus adimplere omnes predicti et quilibet eorum ad quatuor sancta Dei evangelia ab ipsorum quolibet corporaliter sponte tacta juraverunt, renuntiationes, conventiones et clausulas omnes et singulas supradictas repetentes et comprehendentes sub premissi vinculo juramenti, et salvo quod fide[433]jussores predicti minime teneantur ex lapsu alicujus termini, licet solutio facta non esset per comitissam et comitem memoratos, reliquis omnibus aliis supra recitatis sine innovatione tacita vel expressa in sua remanentibus firmitate et comprehensis sub [presti]ti *(g)* vinculo juramenti. Et versa vice

a) déchirure. — b) déchirure. — c) déchirure. — d) déchirure. — e) déchirure.— f) déchirure. — g) déchirure.

procurator dicti domini Johannis, Gravine comitis, volens agnoscere bonam fidem *(a)* et securitati predictorum comitisse et comitis dicteque Agnetis future sue conjugis providere, plena potestate suffultus, predicta omnia, quatenus dictum dominum Johannem tangunt, et specialiter quantum ad restitutionem dicte dotis conventis temporibus faciendam, et quoad potestatem et liberum arbitrium retentum et reservatum dicte Agneti disponendi pro anima et testandi de tribus millibus florenorum auri, et circa successionem liberorum et eorumdem succedentium eidem domino Johanni, idem procurator vice et nomine dicti domini Johannis ipsis comitisse et comiti michique, predicto notario, presentibus stipulantibus et recipientibus tam ipsorum nomine et cujuslibet eorum quam nomine dicte Agnetis promisit solempniter et expresse rata et firma et irrevocabilia observare. Et volens dodarium juxta morem regni Sicilie observatum inter comites et barones statuere, vice et nomine quo supra ad securitatem et utilitatem dicte Agnetis, predicte dotis quantitate considerata, dodarium annui redditus trium millium et quingentorum florenorum auri statuit et promisit et assignavit in baronia Guillomsii et aliis castris, terris et locis ejusdem domini *(b)* comitis Gravine circumadjacentibus baronie predicte prenominatis comitisse et comiti michique, predicto notario, stipulantibus et recipientibus vice et nomine dicte Agnetis, ita videlicet quod realis et vera traditio dicti dodarii fiat et *(c)* realis ipsius satisfactio subsequatur ipsi Agneti pro rata, ipso dodario diviso per tempora per que fiet dotis solutio memorata, ut sic in illis solutionibus dotis dicta Agnes pro [434] rata realiter et cum effectu dictum dodarium consequatur. in eo casu *(d)* promissione, constitutione et assignatione dicti dodarii dumtaxat effectum habente, prout conventis temporibus fiet dotis solutio memorate *(e)*, et eodem modo quo dicte dotis fiet solutio, fiet pro rata realis et effectualis eidem Agneti dodarii assignatio memorati; promittens etiam se facturum et curaturum cum effectu quod prefatus dominus rex Jerusalem et Sicilie promittet sub verbo et fide regie majestatis quod sicut dominus ejusdem domini Johannis ipsumque *(f)* ejusque heredes efficaciter, realiter, et cum effectu, sine strepitu et figura judicii compellet ad complementum et observantiam premissorum, se suosque heredes per suas patentes litteras regias obligabit quod ubi idem dominus Johannes renueret vel dif-

a) agere bona fide, *Bal.* — *b)* *omis par Bal.* — *c)* ut, *ms.* — *d)* eum casum, *ms.* — *e)* memorata, *Bal.* — *f)* ipsum, *Bal.*

ferret implere predicta, idem dominus rex per captionem et distractionem locorum, terrarum et bonorum ipsius domini Johannis indubie impleri et servari faciet et curabit, quantum ad ipsum dominum Johannem pertinent *(a)*, omnia et singula supradicta, seque curaturum promisit et realiter effecturum quod idem dominus Johannes, Gravine comes, sub vinculo juramenti et cum renuntiationibus oportunis et sub obligatione omnium bonorum ejus approbabit, ratificabit, et emologabit omnia et singula supradicta. Et nichilominus idem procurator, quatenus tangitur idem dominus Johannes, dominus *(b)* ejus, omnia predicta et singula sub predictis renuntiationibus inter ipsos per ordinem repetitis firma et irrevocabilia tenere, servare et adimplere promisit, sub obligatione expressa bonorum ejusdem domini Johannis, et in animam ipsius super sancta quatuor evangelia ab eodem corporaliter tacta sponte juravit. Et ultra omnia et singula supradicta predicti domina comitissa et comes Petragoricensis promiserunt solempniter sicut supra et ad sancta Dei evangelia juraverunt pro dicta dote conventis temporibus persolvenda se cu[435]raturos et facturos fidejussores et debitores principales in ampliori numero sufficientes et ydoneos juxta premissorum seriem obligare juxta voluntatem et arbitrium dominorum regis et regine predictorum. Acta fuerunt supradicta omnia et singula in Valle viridi, diocesis Nemausensis, infra tertiam et meridiem sub anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo vicesimo primo, indictione quinta, die quarta decima mensis novembris, pontificatus predicti sanctissimi in Christo patris et domini domini Johannis, divina providentia pape XXIJ anno sexto, presentibus venerabilibus in Christo patre domino fratre Guillermo, episcopo Putheolano, confessore predicte domine regine, et domino Helia de Petragoris, archidiacono Petragoricensi, ac nobilibus et potentibus viris domino Johanne Cabassole, juris civilis professore, magne regie curie magistro rationali consiliario, domino Ludovico Cabassole, ejus filio, et domino Rogerio de Rossano cambellanis, militibus, magistro Nicolao de Boyano, conciliario, domino Raynaldo Amilloti, capellano, et magistro Antonio Marinonario, de Neapoli, notario, et familiaribus predicti domini regis, domino Arnaldo de Duroforti, milite, et magistro Iterio Rocelli *(c)*, ac pluribus aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis. Post hec, eodem die, statim post horam predictam, in loco predicto, presen-

a) pertinet, *Bal.* — *b)* tangit eumdem dominum Johannem, dominum, *Bal.* — *c)* Rosselli, *Bal.*

tibus dictis testibus et me, notario, predictus inclitus dominus Johannes, dominus *(a)* comes Gravine, presens ibidem, omnia et singula facta, ordinata et tractata ipsius nomine per dictum judicem Silvestrum, procuratorem suum, prout et qualiter superius exprimuntur, approbavit, ratificavit et emologavit, promittens comitisse ac comiti et Agneti predictis, et michi predicto notario stipulanti nomine et pro parte ipsorum, sub ypotheca et obligatione omnium rerum et bonorum ipsius, illa que superius distinguuntur inviolabiliter observare, et repetitis pre[436]tactis renuntiationibus in persona sua *(b)* premissa omnia et singula adimplere et tenere super ipsa sancta quatuor Dei evangelia juravit corporaliter, tacto libro. Actum anno, indictione, die, mense, loco et pontificatu suprascriptis immediate post horam predictam, presentibus testibus supradictis.

Et ego Mattheus Goffridi de Sancto Georgio, terre monasterii Cosmensis, publicus apostolica auctoritate notarius, supradictis omnibus et singulis, una cum prenominatis testibus, presens fui, eaque omnia et singula, prout supra leguntur, fideliter scripsi et in hanc publicam formam redegi, meoque signo consueto signavi ad premissa requisitus, vocatus et rogatus.

LXVI

Joannis XXII epistola[1] ad Joannem, episcopum Argentoratensem, adversus Beguinas. — [1321?].

Johannes, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Johanni, episcopo Argentoratensi, salutem et apostolicam benedictionem. Lecte coram nobis et fratribus nostris tue fraternitatis littere continebant quod in tua dyocesi et in pluribus Alamannie partibus in copiosa multitudine mulieres Beguine communiter nominate, quarum alique illius calliditate deluse, qui ut fallat semper invigilat, singularem ab aliis vivendi modum et habitum assumentes, seque de pauper-

a) omis par Bal. — *b)* personam suam, *ms.*

---

1. Ex archivo inquisitionis Carcassonensis, *Bal.;* pièce non retrouvée. — Baluze ajoute : « Vide Extravagantem *Ratio recta,* de religiosorum domibus, et Odoricum Raynaldi, anno 1321, § 19. »

tatis extreme mendicitate jactantes, sub ementite sanctitatis specie datis in commotionem pedibus, et licentie ac luxui laxatis habenis, de locis ad loca discurrunt, et ut feda membra fedo correspondeant capiti; unum sibi ejusdem secte ydolum erigentes, se illi velut capiti, ut a vertice ad plantam pedis non sit in eis sanitas, subjecerunt, et ad inauditam prosilientes audaciam, de summa trinitate, de sacramentis, de articulis fidei et obedientia Ecclesie in injuriam [437] suam et in scandalum fidelium et vacillationem simplicium animarum temere disputare presumunt, et quia juvat suo magis errore perire quam aliena persuasione proficere, contemnunt prelatorum suorum obedientie subjacere, nominantes se pueros vel sorores liberi spiritus et voluntarie paupertatis. Hujus etiam vie et vite nonnullos professores viros invenisse te in tua dyocesi prelibate littere denotabant se Begardos vulgariter sive pueros vel fratres liberi spiritus nominantes : qui non attendentes quod qui seminat iniquitatem, metet mala, et virga ire consummabitur, mulieres ipsas in premissa dementia nutriunt, instruunt et defendunt. Innuebant insuper eedem littere preter prescriptam prophanam sectam esse mulieres alias laudabilis status in dyocesi et partibus prelibatis in excessiva copia, quasi ducentarum millium numerum excedentes, aliquas clari, aliquas nobilis, alias mediocris et alias humilis status, que nomen Domini non recipientes in vanum, nec aliud agentes aliud simulantes, honestum et humilem habitum, si dici debeat habitus, deferunt, sed per virtutum et exemplarium actionum ornamenta percurrunt, et carnalibus spurcitiis dato repudio, integritatis sponso perpetuam continentiam devoventes, honestis prelatorum suorum exhortationibus obediunt et preceptis; quarum alique licet proprias, alique parentum, alique locatas cum familia inde honesta domos inhabitent, alique vero rerum cogente defectu simul in eadem domo ad majorem mutue castitatis observantiam commorentur, nichilominus tamen vitam moribus et conversatione prestantes, seminare de benedictionibus annitantur in terris quod cum fructu multiplici colligere valeant in supernis. Verum, sicut in prefatis tuis inseruisti litteris, sunt nonnulli prelati et rectores ecclesiarum diversarum dyocesum, qui non discernentes inter bonam vitam et reprobam, ac frumenta non excutientes a paleis, occasione constitutionis nove posite sub titulo de [438] statu monachorum libro septimo, que incipit *Cum de quibusdam mulieribus, etc.*, tam mulieres primas, que superstitiose, quam secundas, que laudabiliter vivunt, eadem sententia ferientes, illas et illas indifferenter reprobant et indiscreta animadversione condemnant, cogen-

tes bonas sicut et malas humilitatis deponere habitum et assumere secularem; per quod, preter animarum pericula, dissensiones et odia gravia bellorumque semina per indiscretam interpretationem constitutionis ejusdem indubitanter dubitas paritura. Adjecisti preterea in litteris prelibatis quod dicti prelati et rectores, occasione premissa, reclusas etiam mulieres e reclusoriis, in quibus circa quinquaginta annorum spatia laudabiliter permanserunt, ejiciunt et eas seculariter vivere cum gravi fidelium scandalo et turbatione compellunt. Quare tu, de animarum commissi tibi populi salute sollicitus, declarationem nostram super constitutione predicta, ut scias quid circa hoc in tua civitate et dyocesi observare habeas, instanter et humiliter postulasti. Nos igitur indigne ferentes inter hujusmodi personas differentiam non haberi, ac volentes ut eisdem periculis, dissensionibus et odiis, bellorumque fomitibus, auctore Domino, aditus obstruatur, auctoritate apostolica declaramus personas illas utriusque sexus, que vitam ducentes illecebrem, et sub ementita sanctitate vagantes, in tam arduis disputationibus fidei contra sacrorum canonum precepta se ingerunt, se pueros et fratres seu sorores liberi spiritus nominantes, dicte constitutionis sententie subjacere ipsasque tam per constitutionem ipsam quam per quamlibet aliam super hoc editam decrevimus coercendas et mediante justitia puniendas, tuam, quam circa exterminationem dictorum errorum et errantium habuisti, sollicitudinem dignis in Domino laudibus commendantes. Mulieres vero alias, que per virtutum semitam incedunt et vite meritis unguentorum diffundunt odores, necnon et reclusas probate con[439]versationis et vite, memorate constitutionis sententia decrevimus non constringi nec ejus censura debere percelli. Sed cum apostolicis sint prosequende favoribus, districtius inhibemus ne quis eas pretextu constitutionis ejusdem impetat quomodolibet aut molestet, sed ipsas solitum deferre habitum et vivere sicut prius in sua tranquillitate dimittat, donec de ipsis fuerit per apostolice Sedis providentiam aliter ordinatum. Ceterum quia hostis antiquus ibi satagit mortiferum virus effundere ubi videt virtutum segetem abundare, volumus et districte nichilominus injungimus ut mulieres et reclusas easdem tue civitatis et dyocesis, quas, ut premittitur, dicta constitutio non constringit, juxta datam tibi ex alto prudentiam frequenter monere, salubriter exhortari, et paternis affectibus alloqui studeas ut puram suarum mentium massam pravi frumenti commixtio non corrumpat, et summopere caveant ad transgressionis offendere lapidem pedes suos, sed virtutum Domino, qui justus judex

potens est in illum diem uniuscujusque servare depositum, per vite munditiam militantes, mereantur consequi felicitatis eterne premium, quod non inchoantibus repromittitur, sed perseverantibus in consummatione prestatur. Nulli ergo omnino hominum, etc. *Absque data.*

LXVII

BULLA[1] EJUSDEM JOANNIS XXII CONTINENS DECLARATIONEM NULLITATIS MATRIMONII OLIM CONTRACTI INTER KAROLUM, REGEM FRANCIAE, ET BLANCHAM DE BURGUNDIA. — Avignon, 19 mai 1322.

Johannes, episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Hoc suscepti nobis indicat cura regiminis, hoc salus animarum expostulat et utilitas publica persuadet, ut conjunctos contra statuta canonum, adhibita maturitate debita, studeamus solvere, ipsisque abeundi ab invicem licentiam libenter [440] impertiri. Hoc profecto in personis sublimibus *(a)*, quarum excessus divinam posset gravius majestatem offendere, gravioraque ex eis pericula possent subsequi et scandala suscitari, sunt observanda tenacius et promptius exequenda. Sane dilecti filii nobiles viri Ludovicus, comes Clarimontis, et Milo, dominus de Noeriis, ac magistri Stephanus de Mornayo, decanus Sancti Martini Turonensis, et Petrus de Mortuomari, cantor Bituricensis ecclesiarum, carissimi in Christo filii Karoli, regis Francie et Navarre illustris, nuncii ad nostram presentiam destinati, in nostra fratrumque nostrorum presentia constituti *(b)*, presentibus quoque Petro Galvani, dicti regis, et Aymerico Mazerant, dilecte in Christo filie nobilis mulieris Blanche de Burgundia procuratoribus, insinuare nobis nomine regio curaverunt quod dudum inter regem et Blancham predictos, tunc infra annos nubiles constitutos, parentibus ipsorum procurantibus, de facto matrimonium extitit celebratum, in quo usque ad annos nubiles et post, annis pluribus persistentes, prolem tam masculinam quam femininam ex dicto matrimonio susceperunt. Processu vero temporis, cum fide

a) solemnibus, *Bal.* — *b)* constituti presentia, *Bal.*

---

1. D'après *J 682*, nos 4 1-3 (Archives nationales).

digna relatio ad ipsius regis notitiam deduxisset quod diversa impedimenta, tam ex consanguinitatibus quam ex proximitate spirituali provenientia, dicto matrimonio obsistebant, sic quod nec illud de jure tenebat, nec ipsi persistere absque offensa divina poterant in eodem, idem rex volens peritorum consilio super hiis certius informari, cum pluribus sacre theologie magistris et doctoribus decretorum et legum professoribus deliberare curavit; quorum in hoc resedit deliberatio, quod dictum matrimonium procul dubio non tenebat, nec in eodem ipsi contrahentes licite poterant remanere. Propter quod idem rex pater fieri cupiens, et ad Dei servitium, regnorum suorum regimen, omniumque fidelium fulcimentum prole legitima abundare, et an dictum matrimonium teneret vel non te[441]neret Ecclesie judicio declarari, per procuratorem suum ad hoc legitime constitutum venerabilem fratrem nostrum Stephanum, Parisiensem episcopum, ejus et dicte Blanche ordinarium adire curavit; dictusque episcopus, exposito sibi negotio hujusmodi, diligenter considerans qualitatem ipsius et dictarum excellentiam personarum, ut sollemnius et maturius ac *(a)* cum majori gravitate, omni suspicione cessante, procederet in eodem, adhibuit sibi venerabilem fratrem .. episcopum Belvacensem et dilectum filium magistrum Gaufridum de Plexeyo, notarium nostrum, ut sibi assisterent in eodem, adhibendo sibi pro notariis publicis in hac causa dilectum filium magistrum Amisium, dictum le Ratif, de Aurelianis, decanum Parisiensis, et magistrum Guillelmum de Morcento, canonicum Laudunensis ecclesiarum, publicos apostolica auctoritate notarios, peritos in jure et expertos in facto; dictamque Blancham citari fecit peremptorie ad diem certam in ipso citatorio insertam libello, in qua per se vel per procuratorem legitimum libello hujusmodi responderet et in hujusmodi causa procederet, prout justitia suaderet. Qua die procuratore pro parte dicte Blanche constituto legitime comparente, ac juridictione dicti episcopi ad cautelam a partibus prorogata, liteque super dicto libello legitime contestata, ac juramento tam de calumnia quam de veritate dicenda prestito hinc et inde, factisque positionibus et oblatis pro parte regis ejusdem, et pro parte dicte Blanche ad eas responsionibus subsecutis, datis quoque articulis, et super eis productis testibus pro parte regis ejusdem, ipsorumque testium juramento recepto in presentia procuratorum partium earumdem, et examinatis eisdem, et attestationibus eorum in scriptis redactis,

a) et, *Bal.*

ante publicationem ipsarum procurator dicte Blanche excipiendo proposuit coram episcopo prelibato quod impedimenta objecta *(a)* superius contra matrimonium antedictum eidem minime obsistebant, pro eo vide[442]licet quod ipsum matrimonium dispensatio apostolica dicto regi et illi cum qua contraheret concessa precesserat, que impedimenta predicta omnia *(b)* amovebat, quare dictum matrimonium contractum fore legitime asserebat. Pro parte vero dicti regis fuit propositum replicando quod dicta dispensatio, tum propter impedimenta multiplicium consanguinitatum et affinitatum ex diversis prohibitis gradibus provenientium, tum etiam propter cognationem spiritualem ex eo contractam quod prefatus Karolus per matrem dicte Blanche una cum quibusdam aliis fuerat de sacro fonte levatus, de quibus in dicta dispensatione sufficiens mentio non fiebat, nec ad ea dicta dispensatio se aliquatenus extendebat, necnon quia in ipsa dispensatione multa suggesta fuerant que veritatem minime continebant, propter quod videbatur judicanda subreptitia, regi predicto nullatenus obsistebat, dictoque matrimonio robur prebere non poterat nec debebat. Post que prefatus episcopus considerans diligenter super dicta dispensatione apostolica multa resultare dubia, ex propositis hinc et inde, ac *(c)* attendens quod ad summum pontificem pertinet suarum et predecessorum suorum dispensationum verba et super ea mota dubia declarare, expedientius reputavit quod ad nos prefatum negotium remitteretur instructum. Cui remissioni rex predictus sub certo modo et procurator dicte Blanche simpliciter consenserunt. Post que dictus Parisiensis episcopus decrevit remissionem ad nos fore hujusmodi negotii totius coram eo habiti faciendam, ita tamen quod si casu aliquo contingeret *(d)* quod per nos non diffiniretur negotium antedictum, illi per remissionem hujusmodi non fieret prejudicium quominus ipse dictum negotium posset resumere ac etiam diffinire. Quare tam nuncii quam procuratores prefati ex parte regis et Blanche predictorum nobis humiliter supplicarunt ut dictum *(e)* negotium recipere ipsumque sicut exigebat negotii qualitas, cujus mora secum trahebat [443] periculum, diffinire celeriter dignaremur, exhibentes nobis litteram ejusdem episcopi super dicta remissione confectam suaque procuratoria et processum habitum coram eo. Dictusque procurator Blanche predicte nobis exhibuit clausas carissime

a) omis par Bal. — *b)* omnia predicta, *Bal.* — *c) omis par Bal.*— *d)* contingeret aliquo, *Bal.* — *e) omis par Bal.*

Johanne, Francie et Navarre regine illustris, et dilectarum in Christo filiarum nobilium mulierum Mathildis, comitisse Atrebatensis, et Blanche supradicte, in quibus quidem remissionis littera et processu sigilla Parisiensis ac Belvacensis episcoporum, ac magistri Gaufridi notarii *(a)* predictorum erant appensa. Aperta itaque dicte remissionis littera et perlecta, perlectis quoque procuratorum procuratoriis predictorum, nos, quos astringit debitum officii pastoralis ut ad submovenda filiorum pericula sollicite intendamus ipsisque adversus illa curemus salubriter providere, negotium prefatum recepimus, intendentes illi, dante Domino, congruum finem dare, ac volentes et predicentes expresse quod, si per nos contingeret dictum negotium minime terminari, dicto Parisiensi episcopo circa cognitionem ipsius, si *(b)* et prout ante remissionem hujusmodi competebat, salvum per omnia remaneret. Intendentes itaque procedere in negotio supradicto, presentibus venerabilibus fratribus Berengario, Tusculanensi, et Raynaldo, Ostiensi episcopis, et dilectis filiis nostris Petro, tituli Sancte Susanne, Gaucelmo, tituli Sanctorum Marcellini et Petri, et Symone, tituli Sancte Prisce, presbiteris, Bertrando, Sancte Marie in Aquiro, et Arnaldo, Sancti Eustachii dyaconis cardinalibus, in aula episcopali Avinionensi, ubi dudum teneri consistorium consuevit, presentibus quoque nunciis et procuratoribus antedictis, et recognitis ab eisdem procuratoribus mutuo tam sigillo regis ejusdem in procuratorio suo appenso quam signis et subscriptionibus notariorum in procuratorio predicte Blanche subscriptorum, necnon sigillis in actis dicti processus in publicam formam redactis ac etiam in scriptura attestationum nondum publicatarum pendentibus, sigillis quoque litterarum [444] clausarum regine, comitisse, [et] Blanche predictarum recognitis, a procuratoribus antedictis, eisque instantibus et supplicantibus, attestationes aperuimus et publicavimus supradictas. Post que *(c)* attestationes et processum predictos videri et examinari ac rubricari attestationes easdem fecimus diligenter, ac deinde super dictis attestationibus et *(d)* processu collationem cum fratribus nostris habuimus diligentem. Et licet nuntii et procuratores predicti nobis cum instantia supplicarent ut in dicto concluderetur negotio et ad sententiam proferendam procedere deberemus, nos tamen attendentes pericula varia que ex defectu, si quis forsan in hiis occurreret, possent sequi, ac obviare

a) Parisiensis... notarii, *passage omis par Bal.* — *b)* sicut, *Bal.* — *c)* quod, *Bal.* — *d)* ac, *Bal.*

periculis talibus cupientes et negotio tam arduo salubriter providere, non recedentes a processu coram dicto Parisiensi episcopo habito sive facto, nec ab eodem recedere aliquatenus intendentes, quod nos ex nostro officio tam super processu coram dicto Parisiensi episcopo *(a)* habito quam super principali negotio informaremur simpliciter et de plano, absque strepitu judicii et figura, decrevimus expedire. Ad informationem itaque hujusmodi ex nostro officio procedentes, ibidem produci coram nobis fecimus procuratoria per procuratores partium predictarum coram [dicto] Parisiensi episcopo exhibita et producta; recognitisque sigillo appenso in procuratorio dicti regis ac signis et subscriptionibus notariorum per quos subscriptum fuerat procuratorium dicte Blanche, petitionem oblatam coram prefato episcopo pro parte dicti regis, et responsionem ad ipsam per procuratorem dicte Blanche ejus nomine subsecutam, dictis procuratoribus recognoscentibus, videlicet dicti regis se petitionem obtulisse predictam, ac dicte Blanche se fecisse responsionem prescriptam, ipsos interrogavimus utrum persisterent in contentis in petitione et responsione predictis. Ad que quidem sic respondente procuratore dicti regis, procurator Blanche predicte respondit [445] quod dicta *(b)* Blancha eidem post responsionem predictam direxerat quod ex hujusmodi matrimonio conscientiam graviter lesam habuerat et habebat, quia, sicut intellexerat, dispensatio apostolica se ad omnia impedimenta matrimonii supradicti minime extendebat, quare in responsione predicta persistere, salva conscientia, non valebat. Subsequenter autem positiones et articulos ad dictum negotium principalius pertinentes ac responsiones ad eosdem factas ibidem legi fecimus, interrogantes procuratores predictos an per procuratorem dicti regis fuerint coram dicto episcopo Parisiensi exhibiti positiones et articuli supradicti, et an in illis persisteret in presenti, procuratorem quoque dicte Blanche an dicta Blancha respondisset in positionibus et articulis, prout superius fuit lectum, et an in illis responsionibus presentialiter vellet stare. Quibus respondentibus premissa fuisse exhibita, facta et responsa, ut superius est expressum, ac in illis se velle persistere, receptoque ab utroque juramento de calumpnia et veritate dicenda, perstiterunt in propositis et responsis. Post que, presentibus ibidem nuntiis et procuratoribus supradictis, quosdam ex fratribus nostris sancte romane Ecclesie cardinalibus et nonnullos alios testes omni exceptione majores, ab

a) episcopo Parisiensi, *Bal.* — *b)* predicta, *Bal.*

eis in dictorum procuratorum presentia juramento recepto, ipsos specialiter super diversis consanguinitatibus et proximitate spirituali quibus in gradibus prohibitis dicti rex et Blancha dicebantur esse conjuncti per prefatos R[aynaldum], Ostiensem episcopum, et P[etrum], tituli Sancte Susanne presbiterum, ac Bertrandum, Sancte Marie in Aquiro dyaconum cardinales, etiam *(a)* examinari fecimus diligenter, committentes eisdem quod alios super predictis possent testes recipere et examinare, prius ab eis juramentis receptis de quibus eis expediens videretur. Qui dicta testium predictorum per nos receptorum et nonnullorum aliorum receptorum per ipsos in scriptis redigi per notarios ad hoc de[446]putatos fideliter facientes, nobis attestationes hujusmodi, presentibus et astantibus nobis venerabilibus fratribus nostris Tusculano et Ostiensi episcopis, P[etro] tituli Sancte Susanne, et Gaucelmo, tituli Sanctorum Marcellini et Petri, Symone, tituli Sancte Prisce presbiteris, B[ertrando], Sancte Marie in Aquiro, et Arnaldo, Sancti Eustachii dyaconis cardinalibus, nobis attestationes hujusmodi presentarunt, ipsasque, instantibus et supplicantibus procuratoribus supradictis, duximus publicandas. Post que, interrogati procuratores si volebant aliud in vel *(b)* super negotio antedicto sive super processu coram nobis vel coram dicto episcopo habito proponere, producere vel probare, procurator Blanche predicte coram nobis exhibuit litteras apostolicas *(c)* super dicta dispensatione confectas, quas etiam exhibuerat in processu habito coram episcopo Parisiensi predicto, procurator vero dicti regis exceptiones seu replicationes per ipsum alias contra dispensationem propositas supradictam *(d)* et exhibitas in judicio coram Parisiensi episcopo supradicto ibidem proposuit coram nobis, asserentes procuratores predicti se nolle ulterius aliquid proponere, excipere, replicare, dicere, exhibere vel producere, sed quod parati erant renuntiare et in causa, quantum ad utrumque processum concludere memorata. Cumque instarent ut ad hec *(e)* ipsos admittere deberemus, ipsorum supplicationibus duximus annuendum. Renuntiantibus itaque et concludentibus procuratoribus antedictis quoad processus predictos et quemlibet eorumdem, nos quoque quantum ad utrumque habuimus pro concluso. Demum autem visis, examinatis et diligentius recensitis tam actis aliis quam attestationibus, in hujusmodi causa tam coram nobis quam coram prefato Parisiensi episcopo

a) omis par Bal. — *b)* et, *Bal.* — *c) omis par Bal.* — *d)* supradictam propositas, *Bal.* — *e)* hoc, *Bal.*

habitis atque factis, ac super ipsis deliberatione cum fratribus nostris prehabita diligenti, presenti die, consistorium cum fratribus rostris hora solita celebrantes, quampluribus prelatis necnon audito-[447]ribus palatii nostri et aliis capellanis nostris ad id specialiter convocatis, aliisque personis diversis tam clericis quam laycis ibidem presentibus, nuntiis quoque et procuratoribus supradictis comparentibus in dicto consistorio coram nobis, fuit pro parte nuntiorum et procuratorum ipsorum nobis humiliter et cum instantia supplicatum ut causam et negotium hujusmodi secundum Deum et justitiam per diffinitivam sententiam terminare dignaremur, non obstantibus si forte dicta dies ratione Rogationum seu letaniarum, que tunc fiebant, reputaretur apud aliquos feriata; quas ferias, si que essent, dignaremur quantum ad istud negotium amovere, omnemque defectum, si quis foret in processibus antedictis, supplere de apostolice plenitudine potestatis. Nos itaque attendentes quantum posset mora afferre periculum in negotio antedicto, illique volentes per maturam expeditionem negotii obviare, eorum supplicationibus annuentes, de fratrum nostrorum consilio ordinavimus, decernendo quod ea que presenti die facta sunt et que fient in seu super negotio antedicto, non obstante quod feriata existat, perinde valeant roburque plenum obtineant firmitatis ac si dicta dies non existeret feriata, super hoc dispensantes de apostolice plenitudine potestatis, de eorumdem fratrum consilio nichilominus dispensantes, super defectibus, si qui forsan occurrerent in processibus antedictis, ipsosque supplentes, quantum possumus, etiam de apostolice plenitudine potestatis. Dei itaque nomine invocato, summatim recitatis processibus antedictis ac littera remissionis dicti Parisiensis episcopi, libello quoque in dicta causa oblato coram dicto Parisiensi episcopo, ac procuratoriis per que procuratores predicti ad prosequendum coram nobis hujusmodi negotium fuerant constituti, supplicationibusque a dictis procuratoribus nobis factis, necnon et littera apostolica super dicta dispensatione confecta, litteris insuper regine, comitisse et Blan[448]che predictis, ibidem perlectis *(a)*, per quas quidem nobis humiliter supplicabant ut dictam remissionem recipere ac negotium ipsum mediante justitia terminare celeriter dignaremur, ad ferendum *(b)* diffinitivam sententiam in causa predicta, de eorumdem fratrum consilio, deliberatione prius diligenti prehabita cum eisdem, processimus in hunc modum. Quia per proposita et

a) ibidem perlectis, *omis par Bal.* — *b)* proferendum, *Bal.*

probata primo coram dicto episcopo Parisiensi et subsequenter coram nobis evidenter apparet et clare prefatos regem et Blancham quarto consanguinitatis gradu ex utroque latere respectu unius stipitis et tertio ex utroque similiter latere respectu alterius stipitis esse conjunctos, constat etiam prefatam Mathildem, comitissam Attrebatensem, fore genitricem Blanche prefate, et quod eadem comitissa una cum pluribus aliis dictum regem de sacro fonte levavit, sicque comitissa ipsa matrina et dicta Blancha soror spiritualis sunt dicti regis effecte, quarum profecto consanguinitatum predictarum quelibet ac spiritualis ipsa proximitas inter ipsum regem et Blancham predictam contracta sufficit ad impediendum non solum contrahendum matrimonium inter ipsos regem et Blancham, sed contractum etiam dirimendum, nisi auctoritate Sedis apostolice impedimenta prefata *(a)* per sufficientis *(b)* dispensationis beneficium sint sublata, constatque insuper evidenter ex forma dispensationis predicte tam coram episcopo Parisiensi prefato quam coram nobis exhibite pro parte dicte Blanche et ex aliis propositis et probatis quod illa nequaquam impedimenta expressata superius comprehendit, nec ad illa omnia aliquatenus se extendit, ipsos regem et Blancham volentes a vinculo quo occasione dicti matrimonii mutuo tenebantur astricti solvere ac ipsorum cuilibet quantum ad dictum matrimonium attinet abeundi quo voluerint licentiam impertiri, sententiam inter ipsos divortii proferentes *(c)*, pronunciamus et sententialiter declaramus dictum matrimonium nullum [449] esse nec fuisse de jure, ipsis et eorum cuilibet impertientes licentiam ad vota alia transeundi, prefato matrimonio non obstante.

Tenor autem dicti libelli in hujusmodi causa oblati talis est :

Coram vobis, reverendo in Christo patre domino Stephano, permissione *(d)* divina episcopo Parisiensi, asserit et proponit Petrus Galvani, procurator et procuratorio nomine incliti et serenissimi principis domini Karoli, Dei gratia Francie et Navarre regis, quod predictus dominus Karolus de facto dumtaxat clandestine, bannis omissis, et alias minus legitime contraxit matrimonium cum domina Blancha, quondam comitis Burgundie filia, sibi in gradibus prohibitis et diversis consanguinitatibus et respectu diversorum stipitum attinente, et utroque ipsorum infra tempora pubertatis tunc temporis existente, ex quibus causis et alias de jure sibi non potuit dicta Blan-

a) prefata impedimenta, *Bal.* — *b)* sufficiens, *Bal.* — *c)* pronuntiantes, *Bal.* — *d)* provisione, *Bal.*

cha matrimonialiter copulari, nec potest ulterius idem princeps in predicta conjunctione sic illicita absque sue anime detrimento et multorum gravi scandalo *(a)* remanere. Quare petit dictus procurator pronuntiari et per sententiam declarari de jure dictum matrimonium nullum fuisse et esse, et eidem domino regi licentiam impertiri cum altera libere contrahendi. Et predicta petit omni modo et forma cum quibus melius *(b)* sibi licet, non astringens se nisi ad ea dumtaxat probanda que sibi sufficere poterunt de premissis ad propositum consequendum. Et protestatur de declarando, addendo et minuendo quotiens opus erit.

Item tenor litterarum apostolicarum dispensationis predicte talis est :

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Karolo, nato carissimi in Christo filii nostri Philippi, regis Francie illustris, salutem et apostolicam benedictionem. Romanus pontifex concessam sibi desuper in clavium collatione celestium plenitudinem potestatis non solum erga personas inferiores, sed [450] etiam quantacumque sublimitate pollentes exercet relaxando nonnunquam sacrorum rigorem canonum, ac de benignitatis gratia indulgendo quod eorum severitas interdicit, prout cum Deo conspicit salubriter expedire. Cum itaque regalis tua progenies cum personis sublimibus tam prope quam longe positis *(c)* quasi sit adeo propagata quod vix eis aliquam reperis quam secundum exigentiam tui status tibi possis decenter absque dispensationis gratia matrimonialiter copulare, nos tuis supplicationibus inclinati, quod cum aliqua que tibi in tertio consanguinitatis seu affinitatis gradu ex utroque latere aut in tertio et quarto seu etiam in quarto tantum ex utroque latere sit conjuncta matrimonium licite contrahere valeas, impedimento quod ex consanguinitate et affinitate predictis et publice honestatis justitia provenit non obstante, tecum et cum illa cum qua contrahere volueris, ut tecum libere contrahere possit auctoritate apostolica dispensamus, prolem suscipiendam a vobis ex hujusmodi matrimonio legitimam nuntiantes de apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre dispensationis et nuntiationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Pictavis, nono kal. junii, pontificatus nostri anno secundo[24 maii 1307].

a) scandalo gravi, *Bal.* — *b) omis par Bal.* — *c) omis par Bal.*

Item tenor procuratorii dicti regis talis est :

Karolus, Dei gratia rex Francie et Navarre, universis presentes litteras inspecturis salutem. Noveritis quod cum inter nos seu procuratorem nostrum, ex una parte, et Blancham de Burgundia seu ejus procuratorem, ex altera, quedam causa nullitatis matrimonii olim de facto contracti inter nos et predictam Blancham coram Parisiensi episcopo fueris aliquamdiu ventilata et processum in causa predicta tam pro nobis quam contra [451] nos, citra tamen publicationem testium, fuerit coram ipso, et demum totum negotium certo modo ad cognitionem, ordinationem et decisionem sanctissimi patris in Christo Johannis, divina providentia sacrosancte romane et universalis Ecclesie summi pontificis, per predictum Parisiensem episcopum sit remissum, nos omnia et singula facta coram prefato Parisiensi episcopo per procuratores nostros hactenus in predictis insimul vel divisim ex certa scientia rata et grata habentes, ad predictum negotium prosequendum coram ipso sanctissimo patre facimus et constituimus procuratorem specialem dilectum nostrum magistrum Petrum Galvani, clericum, dantes et concedentes [eidem] plenam et liberam potestatem agendi pro nobis et nomine nostro coram prefato sanctissimo nostro patre super dicti matrimonii nullitate, jurandique de calumpnia et quodlibet aliud juramentum in nostram animam subeundi, et super factis vel in totum noviter faciendis *(a)* circa nullitatem dicti matrimonii procedendi *(b)* et processum predictum continuandi, et super eo renuntiandi et concludendi, et consentiendi quod ex dicto processu per prefatum sanctissimum Patrem sententia proferatur, etiamsi forsan circa dictum processum defectus aliquis posset esse, dictamque sententiam audiendi, et substituendi unum vel plures procuratores quotiens voluerit loco sui sub consimili potestate, et alia omnia et singula faciendi que nos possemus facere, si presentes nos contingeret interesse, quecumque sint et cujuscumque status, etiamsi sint talia que mandatum exigant speciale, ratum et gratum nos *(c)* in perpetuum habituros quicquid per dictum procuratorem nostrum vel substituendos ab eo in predictis et ea tangentibus actum, gestum fuerit vel aliter quomodolibet procuratum, omnibus quorum interest vel interesse poterit in futurum tenore presentium promittentes, necnon judicatum solvi cum suis clausulis sub nostrorum *(d)* bonorum omnium ypotheca, ipsum et sub-[452] stituendos ab eo *(e)* relevantes a quolibet onere satisdandi, non inten-

a) faciendum, *Bal.* — *b)* pro se, *Bal.* — *c) omis par Bal.* — *d) omis par Bal.* — *e)* ab eo, *omis par Bal.*

dentes ex hoc potestatem alias sibi datam seu ceteris *(a)* a nobis ad prosecutionem hujusmodi negotii constitutis quomodolibet revocare. In quorum testimonium presentes litteras sigillo nostro fecimus sigillari. Datum in abbatia regali juxta Pontisaram, die XIIIJ mensis aprilis, anno Domini MCCCXXIJ.

Item tenor procuratorii ejusdem domine Blanche talis est :

In nomine Domini, amen. Per hoc presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter quod, anno ejusdem MCCCXXJ *(b)* [1322, n. st.], indictione quinta, mense aprilis, ejusdem mensis die sexta, sanctissimi patris et domini domini Johannis, divina providentia pape XXIJ, pontificatus anno sexto, in mei et discreti viri magistri Guillelmi de Murcento, notariorum publicorum et infrascriptorum testium presentia constitutus, discretus vir Aymericus Mazerant, procurator nobilis mulieris domine Blanche de Burgundia, eidem Blanche, domine sue, presenti exposuit qualiter venerabilis vir magister Petrus Galvani, procurator domini regis, ex una parte, et ipse Aymericus, procurator et procuratorio nomine ipsius domine Blanche, ex altera, ab eo tempore quo ipsa respondit positionibus datis per predictum *(c)* procuratorem prefati excellentissimi principis domini Karoli, Francie et Navarre *(d)* regis, in causa nullitatis matrimonii inter prefatum dominum regem et predictam *(e)* dominam Blancham mota per procuratorem dicti domini regis contra dominam sepedictam coram reverendo patre domino Parisiensi episcopo dum erat procedendum *(f)*, sibi intelligibiliter et lingua materna seriatim recitando quod procurator domini regis in dicta causa produxerat multos testes de quibus in presentia ipsius domine fuerant nominati, qui juraverunt in presentia ipsius procuratoris, et fuerant examinati per predictum dominum Parisiensem episcopum una cum reverendis in Christo patribus domino Johanne, divina providentia epi[453]scopo Belvacensi, et domino Gauffrido de Plexeyo, domini pape notario, et quod idem Aymericus proposuerat exceptionem ad finem quod dictum matrimonium non sit nullum de dispensatione pretextu cujus dictum matrimonium fuit factum, et de predicta dispensatione fidem fecerat inter acta, et quod contra dictam dispensationem multa fuerant per partem aliam replicata, et auditi fuerant multi testes super articulis dicte cause, in quibus factum dictarum replicationum erat contentum, ut dixit, et quod circa hec *(g)* fuerat

a) cetera, *Bal.* — *b)* MCCCXXII, *Bal.* — *c)* dictum, *Bal.* — *d)* et Navarre, *omis par Bal.* — *e)* *omis par Bal.* — *f)* dumtaxat procedendo, *Bal.* — *g)* hoc, *Bal.*

per predictum dominum episcopum de voluntate partium ordinatum, et qualiter propter statum cause et personarum et ratione dicte dispensationis apostolice Sedis sepedicte *(a)* et ex aliis causis in relatione et remissione contentis, dominus Parisiensis episcopus ad dominum nostrum summum pontificem et ipsius Sanctitatem causam predictam et totum ejus processum duxerat remittendos *(b)*, et octavam diem maii ad comparendum peremptorie *(c)* coram predicto domino nostro papa vel interim, si commode potuerint, predicto domino regi et ejus procuratori et eidem domine Blanche et ipsi Aymerico, sicut procuratori suo et procuratorio nomine domine sepedicte *(d)* duxerat assignandum ad se et dictum processum presentandum et ulterius in negotio procedendum, quibus remissioni et assignationi idem procurator consenserat, ut dicebat idem Aymericus, nomine procuratorio ejusdem domine et de voluntate sua, et quod dicta domina deliberaret super hiis quid ulterius vellet agi. Que predicta domina Blancha, ex certa scientia et sine deceptione qualibet, ut dicebat, sed consulta *(e)* et deliberatione habita precedenter *(f)*, ut dixit, respondit quod premissa omnia et singula et totum processum dicte cause et omnia et singula facta et habita circa eum rata et grata habebat, et ea quantum ipsam tangebant approbabat, et promisit se ea omnia rata in perpetuum habituram; necnon et eidem Aymerico dedit et conces[454]sit generalem potestatem et speciale mandatum comparendi pro ipsa coram domino nostro papa, et dictum negotium prosequendi et defendendi ipsam in romana curia, et consentiendi quod super causa predicta in predicta romana curia sententia proferatur ex processu habito vel habendo solenni et non solenni, et cetera omnia ibidem faciendi que ipsa posset facere quoquo modo, si in curia personaliter presens esset, quecumque sint et cujuscumque status seu conditionis existant, sive in agendo, sive in defendendo, sive alia quevis faciendo circa negotium sepedictum, etiamsi talia fuerint que mandatum exigant speciale. Et nichilominus potestatem alias eidem et ceteris procuratoribus suis a se datam, etiam circa prosecutionem dicti negotii coram domino nostro summo pontifice faciendam, firmitatem in omnibus et per omnia voluit obtinere, dans etiam eidem potestatem substituendi unum vel plures quotiens voluerit loco sui sub consimili potestate, promittens se ratum et gratum habituram quicquid per procu-

a) omis par Bal. — *b)* remittendum, *Bal.* — *c)* per procuratorem, *Bal.* — *d)* supradicte, *Bal.* — *e)* consultatione, *Bal.* — *f)* precedente, *Bal.*

ratores suos vel substituendum ab eodem Aymerico actum, gestum fuerit, vel aliter quomodolibet procuratum et judicatum solvi sub suorum bonorum ypotheca. Et requisivit nos, notarios publicos infrascriptos, ut eidem Aymerico de hiis faceremus publicum instrumentum. Acta sunt hec anno, indictione, mense, die et pontificatu predictis, apud Castrum Gaillardi, Rothomagensis dyocesis, presentibus discretis viris domino Johanne Chevilly, presbitero beneficiato in Parisiensi ecclesia, magistro Petro de Novavilla, licentiato in legibus, canonico ecclesie Duacensis, Atrebatensis dyocesis, Petro de Thoulis, Petro dicto la Vache, armigeris, Johanne de Noa, clerico, Egidia de Pormor, relicta Guillelmi de Villaribus quondam et Johanna de Blaincourt, familiaribus dicte Blanche. Et ego Amisius, dictus le Ratif, de Aurelianis, clericus, sacrosancte romane Ecclesie auctoritate notarius publicus, premissis omnibus et singulis, prout [455] sunt specificata superius et narrata, una cum notario publico et testibus supra et infra scriptis presens interfui, ea vidi et audivi, et in publicam formam fideliter redegi, meque in presenti *(a)* publico instrumento, inde confecto, subscripsi in testimonium premissorum, et illud ad instantiam dicte Blanche signo meo solito signavi rogatus. Et ego Guillelmus de Morcento, clericus Parisiensis dyocesis, publicus auctoritate apostolica notarius, premissis omnibus et singulis, prout sunt specificata superius et narrata, una cum notario publico et testibus supra scriptis presens interfui, ea vidi et audivi, et in publicam formam redegi, meque in presenti publico instrumento inde confecto subscripsi in testimonium premissorum, et illud ad instantiam dicte Blanche signo meo solito signavi rogatus.

Item tenor supplicationis per procuratorem dicti regis nobis oblate talis est :

Sanctitati Vestre significat Petrus Galvani, procurator et procuratorio nomine excellentissimi principis domini Karoli Francie et Navarre regis illustris, quod, cum olim inter prefatum dominum regem et nobilem mulierem dominam Blancham de Burgundia, sibi spirituali cognatione necnon et pluribus consanguinitatibus a diversis stipitibus procedentibus et in ipsorum pluribus *(b)* et diversis gradibus attinentem, ipsorum utroque infra pupillarem etatem matrimonii non capacem tunc temporis existente, clandestine et alias illegitime, multis etiam aliis impedimentis concurrentibus inter ipsos, de facto dumtaxat illicitum et dampnatum matrimonium contraxe-

a) omis par Bal. — *b)* procedentibus, *Bal.*

runt *(a)*, licet prefati contrahentes impedimenta predicta tunc temporis ignorarent, demum vero cum impedimenta hujusmodi ad ipsius domini regis certam et indubitatam notitiam pervenissent, idem dominus rex ex hiis plurimum conscientiam habens lesam, super ipsius matrimonii nullitate fecit dictam dominam Blancham seu procuratorem suum coram [456] reverendo in Christo patre domino Stephano, Parisiensi episcopo, judice competenti, solenniter evocari, et libellum obtulit contra ipsam, et per partem prefate domine coram Parisiensi episcopo prefato lite legitime contestata, juramentoque de calumpnia hinc et inde factis quibusdam positionibus et articulis, et ad ipsas positiones responsionibus per dictam dominam subsecutis, testibus pluribus clare fame, opinionis integre et omni exceptione majoribus super predictis articulis per partem domini regis productis et examinatis, et eorum depositionibus per fideles et expertos notarios fideliter in scriptis positis et redactis, necnon et quadam dispensatione per modum defensionis proposita pro parte dicte domine Blanche, et contra ipsam efficacibus rationibus replicatis, et alias processo solenniter et canonice usque ad publicationem depositionum testium predictorum coram prefato Parisiensi episcopo in presentia reverendorum patrum dominorum Johannis, Belvacensis episcopi, et Gauffridi de Plexeyo, notarii vestri. qui ad preces ejusdem episcopi continue predictis omnibus et singulis astiterunt, idem episcopus causam predictam et ejus processum necnon et depositiones testium predictorum minime publicatas ex certis causis Sanctitati Vestre, sub suo et predictorum reverendorum patrum dominorum episcopi et Gauffridi sigillis interclusas, de consensu partium predictarum, canonice certo *(b)* modo duxerit remittendum, ut per ipsam Sanctitatem dicte cause finis salubris imponatur, sicut hec et alia in ipsius cause processu et in relatione super hoc per sepedictum episcopum nobis facta plenius continentur. Quare supplicat quatinus, licet vestre beatitudinis benignitas gratiose in receptione favorabili predictorum processus, attestationum et relationis super reservatione jurisdictionis sepefati Parisiensis episcopi, quatinus circa predicta competere sibi potest, duxerit providendum, dignetur ipsa Sanctitas perficere celeriter *(c)* [457] quicquid ad perficiendum dictum processum viderit superesse, et si defectum aliquem repererit in predictis, quod etiam illud dignetur supplere benigniter de sue

a) contraxerint, *Bal.* — *b)* *omis par Bal.* — *c)* similiter, *Bal.*

plenitudine potestatis, necnon et per suam diffinitivam sententiam juxta formam dicti libelli ejusdem cause absque strepitu judicii et figura celerem et salubrem dare finem, cum personarum et negotii qualitas hoc requirat, et ad hoc accesserit et accedat adhuc consensus partium predictarum.

Item tenor supplicationis per procuratorem dicte Blanche nobis oblate talis est :

Sanctitati Vestre supplicat Aymericus Mazerant, procurator et procuratorio nomine nobilis mulieris domine Blanche de Burgundia, quod, cum super nullitate matrimonii olim inter excellentem principem dominum Karolum, regem Francie et Navarre illustrem, et ipsam dominam Blancham contracti, idem dominus rex seu ipsius procurator, ejus nomine, dictam dominam Blancham coram reverendo in Christo patre domino Parisiensi episcopo ad judicium fecerit evocari et libello per procuratorem dicti domini regis oblato, et lite super ipso legitime contestata, juramentoque hinc et inde de calumpnia factis quibusdam positionibus et articulis per partem dicti domini regis, et per dictam dominam Blancham responsionibus subsecutis, et productis pluribus testibus super dictis articulis, idem Aymericus, habita deliberatione coram domina sepedicta *(a)* et ipsius amicis et consiliariis, proposuerit defensiones que dicte domine super causa predicta competere poterant et debebant, et fidem quam potuit fecerit de eisdem, et quibusdam replicationibus propositis contra ipsas, et alias processo coram prefato episcopo inter predictas partes usque ad publicationem depositionum testium predictorum, idem episcopus ex certis causis dictam causam et ejus processum, necnon et depositiones dictorum testium minime publicatas Vestre remi-[458] serit Sanctitati de consensu partium predictarum, sicut in predicto processu et relatione per sepefatum episcopum super hiis vobis facta plenius continetur, quos processum et relationem una cum predictis attestationibus idem procurator in presentia partis alterius, secundum mandatum ipsius episcopi super hoc sibi factum, Sanctitati Vestre, die mercurii proxime preterita, presentavit, quatinus *(b)* ipsi placeat Sanctitati ulterius in predicta causa procedere summarie et de plano, absque strepitu judicii et figura, et si quid minus canonice factum fuerit in predictis, illud supplere dignetur de vestre *(c)* plenitudine potestatis, et secundum Deum et justitiam celeriter dictam causam per vestram diffinitivam sententiam terminare.

a) supradicta, *Bal.* — *b)* quod, *Bal.* — *c)* sue, *Bal.*

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre pronuntiationis, declarationis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis au em hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Avinione, XIIIJ kalendas junii, pontificatus nostri anno sexto.

LXVIII

PETRI TEXTORIS CARDINALIS EPISTOLA[1] PRO MONACHIS MOYSSIACENSIBUS. — Avignon, 14 janvier 1323.

Venerabilibus viris de Vinhandrado et de Usesta decanis, et capitulis, Burdegalensis et Basatensis (a) dyocesum, Petrus, miseratione divina tituli Sancti Stephani in Celio monte presbiter cardinalis, romane Ecclesie vicecancellarius, salutem in pacis auctore. Ad notitiam sanctissimi patris et domini nostri domini Johannis, divina providentia pape XXIJ, fide dignorum relatione noveritis pervenisse quod, licet viri religiosi prior prioratus de Coquinis Tholosanensis et certus monachorum numerus Moyssiacensium Tholose studentium in prioratu [459] predicto pensionem annuam quatuor viginti librarum parvorum turonensium pro sue sustentatione vite, et ut iidem monachi per continuationem studii litterarum speratum et opportunum fructum in Ecclesia Dei afferant, super prioratu de Sancta Gavella ab antiquo singulis annis percipere consueverint pacifice et quiete, vos tamen istis temporibus, pretextu commende de ipso prioratu de Sancta Gavella, in recompensationem quorumdam redditiuum vobis et ecclesiis vestris concesse per prefatum dominum nostrum, non attendentes et considerantes ut condecet quod per commendam hujusmodi, que cum suo transivit onere, prefatus dominus noster nequaquam intellexit nec etiam adhuc intelligit, nisi quatenus et prout expresse commende persone aliquibus et presertim religiosis studentibus prejudicium aliquod in posterum

a) lege Vasatensis.

---

1. Ex codice 2835 bibliothecæ Colbertinæ, *Bal.*; pièce non retrouvée dans le ms. coté actuellement *4991 A*.

generetur, predictam [pensionem] eisdem exhibere et solvere sine causa rationabili indebite recusatis. Quocirca de ipsius domini nostri speciali mandato et ex parte ipsius vobis precipimus et mandamus quatinus pensionem annuam hujusmodi sine more dispendio et contradictione quacumque priori et studentibus antedictis cum prompte devotionis affectu, prout hactenus consuetum est, integre persolvere et exhibere curetis, ab hujusmodi et aliis illatis aut deinceps inferendis molestiis et novitatibus quibuscumque abstinentes totaliter, et taliter super hiis vos habentes quod mandatum nostrum hujusmodi quinimo prefati domini nostri suum per omnia sortiatur effectum; pro firmo scituri quod si forsan per prefatum dominum nostrum essetis in posterum in hac parte, quod absit, de contumacia vel contemptu suspecti, verendum est ne formidare possitis quod propter abusum hujusmodi perdatis quod vestrum est, cum privilegium mereatur amittere qui permissa sibi abutitur potestate; significantes nobis per latorem presentium, quas in signum visionis et receptionis earum sigillis ve[460]stris in eis appositis latori restituatis eidem, quicquid in premissis duxeritis faciendum. Datum Avinioni, sub sigillo nostro, presentibus in testimonium premissorum appenso, anno a nativitate Domini MCCCXXIIJ, et die XIV mensis januarii, pontificatus ejusdem summi pontificis anno septimo.

Et nos decani et capitula ecclesiarum Useste et de Vinhandrau in signum receptionis et approbationis et ratificationis presentium litterarum sigilla majora dictorum capitulorum in pendenti duximus apponenda.

LXIX

Matrimonium[1] factum inter dominum Johannem, comitem Armaniaci, et dominam Reginam de Guto.

Actum est inter reverendum in Christo patrem et dominum Rogerium de Armaniaco, episcopum Vaurensem, et illustrem virum dominum Johannem, comitem Armaniaci, ex parte una, et virum spectabilem dominum Bertrandum de Guto, vicecomitem Leomanie et Altivillaris, ex parte altera, quod matrimonium contrahatur inter eumdem dominum comitem et Reginam, filiam legitimam et natura-

1. Ex archivo regio Ruthenensi, *Bal.*; pièce non retrouvée.

lem ejusdem domini vicecomitis. Ratione cujus matrimonii debent in dotem dari per prefatum dominum vicecomitem dicto viro futuro mille libre turonenses annui et perpetui redditus post mortem dicti domini vicecomitis tantum, et alie mille libre in continenti assidende et assignande per dictum dominum vicecomitem in terra quam habet in Burdegalesio et Agenesio, arbitrio et competitione vicecomitis antedicti. Retento per dictum dominum vicecomitem et acto inter partes easdem expresse quod idem dominus vicecomes possit dicte filie sue in sua dispositione ultima dotem predictam in et pro sua legitima portione [461] jure nature dicte filie debita in bonis dicti ejus patris allocare et ipsam in predictis bonis et rebus in dotem dandis heredem instituere, licet nichil aliud de bonis suis sibi relinquat. Preterea actum est inter partes predictas quod, predicto viro supervivente, dicte uxori liberis extantibus, dos predicta remaneat liberis. Salvo tamen quod dicta uxor testando vel alias disponendo inter liberos predictos, uni plus, alteri minus relinquere possit, et etiam ad pias causas et alias legare, prout sibi videbitur faciendum. Liberis autem non extantibus, eadem dos heredibus dicte Regine ab intestato decedenti remaneat, ipsaque possit de eadem ordinare et disponere pro sue libito voluntatis, excepto quod idem maritus lucretur dicto casu de et super dote predicta quinque millia librarum turonensium parvorum in pecunia semel solvendarum. Si vero morte dicti viri solvatur dictum matrimonium eadem uxore supervivente, liberis extantibus ex dicto matrimonio vel non, restituetur dos predicta in terra seu redditibus existens... uxori predicte, et ultra dotem predictam habebit et lucrabitur dicta uxor in et super bonis dicti viri, in casu tamen liberorum non existentium ex matrimonio predicto, donatione propter nuptias et pro augmento dicte dotis similiter quinque millia librarum monete superius expressate. Acto expresse inter partes predictas quod predicta uxor teneat et possideat aliquod castrum exprimendum et designandum in instrumentis dotalibus dicti domini comitis valorem attingens redditiuum annualium mille librarum turonensium, donec de predictis quinque millibus librarum per dictam conjugem lucrandis casu predicto fuerit plene et integre satisfactum, fructusque, proventus et redditus predictos suos faciat, ita quod in solutionem dictarum quinque millium librarum minime computentur, et hoc etiam pro augmento dotis ac lucro et propter nuptias donatione. Et si forte idem dominus co-[462]mes castrum valoris redditiuum predictorum non habeat, quod aliunde suppleatur valor redditiuum eorumdem.

LXX

Testamentum[1] Reginae de Gutto, comitissae Armaniacensis. Lavardens. 12 août 1325.

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Noverint universi quod egregia domina domina Regina de Gutto, comitissa Armaniaci, Fesenciaci et Ruthenensis, vicecomitissaque Leomanie et Altivillaris, cupiens providere saluti anime sue et dispositioni bonorum suorum, ne post obitum suum de et super hereditate et bonis suis inter aliquos dissensionis materia oriatur, attentis periculis que humane nature obviant, cum nichil sit certius morte et incertius hora mortis, et nichil magis debeatur hominibus quam ut supreme voluntatis liber sit stilus, sana mente, licet infirma corpore, in suo bono sensu et intellectu et in sua bona memoria, prout humana fragilitas nosse sinit, in presentia mei, notarii, et aliorum notariorum et testium infrascriptorum, vocatorum et rogatorum, ut dicte domine volentis facere seu condere suum testamentum nuncupativum seu ultimam voluntatem nuncupativam audirent, testamentum suum ultimum nuncupativum seu suam ultimam voluntatem fecit et condidit in modum qui sequitur et in formam :

In primis animam suam et corpus suum commendavit humiliter Altissimo creatori et beatissime Virgini, matri ejus, totique collegio beatorum.

Deinde dicta testatrix elegit sepulturam suam in ecclesia fratrum Predicatorum Altivillaris, in qua cum carissimo domino avo suo paterno et circa ejus tumulum jussit corpus suum transferri et honorifice sepeliri.

Item dicta domina testatrix legavit ad [463] pias causas et jure legati reliquit piis locis et miserabilibus personis duo millia librarum turonensium parvorum per magnificum et potentem virum dominum Johannem, Dei gratia comitem Armaniaci, Fesenciaci et Ruthene, virum suum, heredem infrascriptum dividendarum.

Item legavit et jure legati reliquit servitoribus et servientibus suis utriusque sexus duo millia librarum turonensium parvorum per dictum dominum virum suum dividendarum et distribuendarum.

Item legavit et jure legati reliquit conventui fratrum Predica-

1. Ex eodem archivo regio Ruthenensi, *Bal.*; pièce non retrouvée.

torum de Altovillari viginti quinque libras turonensium parvorum annui et perpetui redditus percipiendas de pedagio dicti loci Altivillaris de manibus receptorum pedagiorum dicti loci, videlicet decem solidos turonensium parvorum qualibet septimana pro anniversario, ita quod conventus et fratres ipsius conventus, qui sunt et erunt pro tempore, qualibet septimana celebrent et celebrare teneantur unam missam de *Requiem* alta voce, et singuli fratres singulas missas de *Requiem*, prout eis videbitur, videlicet alta vel submissa voce, pro anima ipsius testatricis et animabus parentum suorum.

Item modo simili legavit et jure legati reliquit pro dono et in redemptionem ipsius et suorum parentum peccaminum conventui fratrum Predicatorum Lectore viginti quinque libras turonensium parvorum annui et perpetui redditus sibi solvendas per bajulum Lectore, qui est et pro tempore erit, perpetuo de bajulia dicti loci, videlicet decem solidos turonensium parvorum, ita tamen quod dictus conventus et fratres qui sunt et erunt pro tempore de conventu dicti loci singulis septimanis de *Requiem* unam missam et singuli fratres singulas missas pro anima ipsius testatricis et animabus parentum suorum celebrent et teneantur celebrare.

Item dicta domina testatrix reliquit jure institutionis carissime domine sue domine Beatrici, vicecomitisse Lautri[464]censi, matri sue, quingentas libras turonensium parvorum annui et perpetui redditus in aliqua parte terre ipsius testatricis sibi per dictum dominum virum suum una cum executoribus suis infrascriptis vel duobus ipsorum, videlicet domino Rogerio de Armaniaco et domino Amanevo de Lebreto, vel altero ipsorum altero impedito, assignandas; in quibus quidem quingentis libris turonensium parvorum annui et perpetui redditus ipsam dominam Beatricem, matrem suam, sibi heredem instituit.

Item predicta domina testatrix predictum dominum Johannem comitem Armaniaci, Fesenciaci et Ruthene, virum suum, heredem universalem sibi instituit in dictis vicecomitatibus Leomanie et Altivillaris, in bastidis, villis, locis, castris, castellaniis de Durassio, de Montesecuro, de Alamaniis, de Podio Guillelmi, de Seyssas, de Podio Sarampiono, de Livrano, de Blancaforti, de Viterriis, de Vinhandrando, de Donzaco, de Dunis, de Perussio, de Montiliis, de Pennis, de Mayanisis, de Cedorone, cum omni emolumento, mero et mixto imperio, et jurisdictionibus, et universis pertinentiis suis, et universis omnibus et singulis bonis et rebus suis mobilibus et immobilibus, homagiis, fidelitatis juramentis, et receptione ipsorum

et juribus et bonis quibuscumque mobilibus et immobilibus, quecumque sint, et ubicumque sint, et cujuscumque conditionis existant. Volens dicta domina Regina quod si forte dictus dominus comes, vir et heres suus predictus, non posset obtinere virtute testamenti, quod predicta omnia et singula obtineat et habeat jure codicillorum, vel jure donationis causa mortis, vel cujuscumque alterius ultime voluntatis seu dispositionis. Volens et mandans dicta domina testatrix quibuscumque fidelibus et vassallis, emphytheotis, colonis, et aliis omnibus et singulis subditis suis ut dicto domino comiti, viro suo et heredi, quandocumque sibi placuerit post obitum ipsius, eidem domino[465]comiti vel alii seu aliis per eum destinandis prestent, absque omni difficultate, homagia et fidelitatis juramenta, et alias de juribus et deveriis suis dicto domino comiti respondeant integre et sibi tanquam domino suo pareant efficaciter et intendant. Transferens dicta domina testatrix jure perpetuo vicecomitatus predictos, loca et castra predicta, villas, et jura sua omnia et singula cum omni dominio, ressorto, mero et mixto imperio in eumdem dominum comitem virtute testamenti vel codicillorum seu donationis causa mortis vel cujuslibet alterius ultime voluntatis vel alterius cujuscumque dispositionis pro meliori jure et fortiori quo potest. Adjecto quod si forte contingeret, quod absit, dictum dominum comitem decedere absque libero vel liberis masculis ex suo proprio corpore ex quacumque legitima uxore procreatis, in illo casu substituit dicto domino comiti in dictis vicecomitatibus ac etiam villis, castris et baroniis superius nominatis equaliter et pro indiviso et in equalibus portionibus, videlicet Arnaldum Bernardi de Preyssaco, militem, dictum Soldanum, Amanevum et Bertrandum de Mota, fratres, Aymericum de Duroforti, dominum de....., domicellos, Reginam de Gutto, uxorem nobilis Amancii de Pinibus, domicelli, et Braydam vicecomitissam Bruniquelli, necnon et Indiam uxorem domini de Monteferrando. Et nichilominus in casu predicto, videlicet si contingeret dictum dominum comitem decedere sine libero vel sine liberis, reliquit jure legati nobili Marquesie de Sevinhaco, uxori Othonis domini de Montealto, domicelli, duo millia librarum turonensium parvorum semel solvendarum. Volens, statuens et ordinans, dicta domina testatrix quod si forte contingeret dictos substitutos vel aliquem ipsorum facere vel venire contra predictam dispositionem suam, quod in illo casu talis contrafaciens vel veniens privetur omni commodo, jure et emolumento quod habiturus esset [466] ex substitutione predicta vel alias ex testamento predicto.

Item predicta domina testatrix fecit et ordinavit executores suos presentis testamenti, videlicet reverendum in Christo patrem Rogerium de Armaniaco, Dei gratia Vaurensem episcopum, non ut episcopum, sed ut Rogerium de Armaniaco, industriam, affectionem, et confidentiam persone, non dignitatis, eligendo, necnon nobiles et potentes viros dominum Amanevum de Lebreto, dominum Amalricum de Narbona, dominum de Talayrano, dominum Arnaldum de Noalhano, milites, venerabilem virum dominum Guillermum de Cardelhaco archidiaconum Anglesii in ecclesia Auxitana; quibus dedit et concessit plenam et liberam potestatem recipiendi de bonis suis, vendendi, alienandi et impignorandi pro executione testamenti sui predicti, et recipiendi redditus suos et loca, sine prejudicio tamen dicti heredis sui, et alias excipiendi et distribuendi prout eorum discretioni vel duorum ex ipsis, videlicet dictis domino Rogerio et domino Amanevo de Lebreto, vel eorum alteri altero absente, mortuo, vel alias impedito, vel nolente, visum fuerit expedire. Hoc acto quod dicti milites et archidiaconus sine predictis dominis Rogerio de Armaniaco et Amanevo de Lebreto, ipsis viventibus, nisi de eorum expresso consensu vel alterius ipsorum, altero sublato de medio vel alias absente vel impedito vel nolente, non possint se intromittere de executione predicta, et quod dicti domini Rogerius et Amanevus, vel alter ipsorum, altero absente vel impedito vel nolente, exequendi dictum testamentum et omnia predicta et singula plenam habeant potestatem. Contradictoribus quibuscumque et impedientibus et qui impedire nisi fuerint executionem predictam, vel quominus dictus dominus comes vir suus et heres possessionem pacificam omnium et singularum rerum et jurium hereditariorum predictorum valeat obtinere et plenum jus [467] consequi in eisdem, jus et omne emolumentum quod talibus impeditoribus ex dicto testamento competeret vel competere posset eisdem penitus adimendo. Revocans dicta domina testatrix, cassans, annullans et irritans omne aliud testamentum et codicillos et quamcumque aliam dispositionem quod et quos et quam fecerat ante istud testamentum seu dispositionem sub quacumque forma verborum; etiamsi in illis testamentis et dispositionibus essent apposita verba derogatoria aliis testamentis seu dispositionibus vel donationibus in obitu faciendis, et etiamsi in illis dicta testatrix dixisset se aliud testamentum seu dispositionem ulterius non facturam, et quod si eam faceret, non valeret. Volens quod istud sit suum ultimum et precipuum et irrevocabile testamentum seu donatio perpetuo valitura, videlicet quod valeat jure testa-

menti, vel jure donationis causa mortis, vel jure codicillorum, vel cujuslibet alterius ultime voluntatis vel dispositionis, vel eo meliori jure quo valere possit ad utilitatem dicti domini comitis heredis sui.

Voluit etiam et ordinavit dicta testatrix quod dictus heres suus summas superius legatas dictis legatariis, prout superius est expressum, solvere teneatur, et nichilominus summam predictam quingentarum librarum turonensium parvorum annui et perpetui redditus dicte domine, matri sue, dare, tradere et assignare in terra ejusdem testatricis ad electionem dicti heredis sui et executorum suorum, ut supra dictum est; in quibus matrem suam predictam supra et hic heredem instituit. Quam quidem matrem suam voluit esse contentam de bonis et rebus suis de dicta summa quingentarum librarum annui et perpetui redditus, ita quod nichil plus possit petere ab herede suo supradicto, nisi tantum dictam summam quingentarum librarum turonensium parvorum annui et perpetui redditus.

Acta fuerunt hec in castro de Lavar[468]denx, comitatus Fesenciaci, secundo ydus augusti, anno ab incarnatione Domini MCCCXXV, regnante domino Karolo, Francorum et Navarre rege, et dicto domino Johanne, comite Armaniaci et Fesenciaci et Ruthene, et domino Guillermo existente archiepiscopo Auxitanensi, presentibus testibus ad premissa vocatis et rogatis per dictam dominam testatricem, qui simul et uno contextu presens testamentum nuncupativum dicte testatricis seu suam ultimam voluntatem et universa et singula supra contenta audierunt, videlicet reverendo in Christo patre domino Rogerio de Armaniaco episcopo Vaurensi, dominis Guillermo de Cardelhaco archidiacono Anglesii in ecclesia Auxitanensi, Audeberto Mascaronis milite, Petro de Biax decretorum doctore, Guidone de Cardelhaco, Othone domino de Montealto, Bertrando de Cardelhaco, domicellis, Guillermo Arnaldi de Jaulino jurisperito, domino Sancio de Speravento presbitero, fratre Othone de Bescure priore Predicatorum Lectore, Petro de Condomio clerico, et me Bernardo de Vineto, publico regio totius Agenesii et comitatus de Gaura necnon auctoritate imperiali notario, magistris Johanne de Gorana, publico notario comitatuum Armaniaci et Fesenciaci et terre riparie necnon vicecomitatuum Fesensaguelli et Brulhesii, Sancio de Sossio publico regio citra Garonam et in Auxitanensi diocesi notario. Qui omnes et singuli per dictam dominam testatricem requisiti et rogati fuimus ut de premissis omnibus et singulis eo meliori modo et forma quibus possemus juxta consilium sapientium, facti substantia non mutata, retineremus et conficeremus quilibet per se et separatim

unum vel plura publicum vel publica instrumentum seu instrumenta.

LXXI

[469] Litterae[1] Karoli IV, Francorum regis, de pace constituenda cum Anglis. — Fontainebleau, 25 mai 1325.

Karolus, Dei gratia, etc., universis presentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus quod nos de fidelitate et circumspectione dilectorum et fidelium P. Vivarii, episcopi, Alphonsi de Ispannya, consanguinei nostri, G. constabularii Francie, magistri Johannis Cerchemont, Hugonis de Chalauceoun, cantoris de Clermount, et Guillelmi Flote, domini de Revel, militis, consiliariorum nostrorum, plenam fiduciam obtinentes, ipsos facimus, ordinamus et constituimus veros et legitimos procuratores nostros ac nuncios speciales, dantes et concedentes eisdem sex, quinque, quatuor, tribus et duobus eorum generaliter plenam et liberam potestatem et speciale mandatum tractandi de reformatione pacis et concordie inter nos et regem Anglie ac de hiis que ad pacem pertinent et super omnibus et singulis discordiis, guerris, litibus, controversiis, causis, questionibus, dampnis, injuriis, petitionibus et actionibus realibus et personalibus atque mixtis que fuerunt, sunt vel esse possunt occasione quacumque inter nos et regem prefatum, ac tractatum hujusmodi quacumque firmitate vallandi, petendi, stipulandi, recipiendi et retinendi, paciscendi, componendi, transigendi, concordandi et conveniendi, ac inter certos diem et locum quibus nos [et] prefatus rex Anglie personaliter conveniamus, si expedire viderint, consentiendi, ac eosdem diem et locum nomine nostro acceptandi, et treugas sive sufferentiam inter nos et dictum regem initas prorogandi, seu alias treugas sive sufferentiam inter nos et dictum regem sub quibuscumque formis vel modis de novo capiendi et iniendi, prout viderint oportunum, ipsasque treugas sive suffe[470]rentias hujusmodi semel et pluries, quotiens expedire videbitur, prorogandi, ac omnia et singula faciendi que sunt pacis et concordie et ad plenam pacem et concordiam valeant pertinere, et que nos faceremus vel facere possemus, si presentes

1. Ex codice 3126 Bibliothecae Colbertinae, *Bal.*; référence inexacte; pièce non retrouvée.

essemus, etiamsi mandatum exigant speciale, volentes omnia et singula faciendi necessaria et utilia ad faciendum et complendum premissa et quodlibet premissorum pro specialiter expressis et enumeratis haberi, ac promittentes pro nobis et successoribus nostris ratum et firmum habere et habituros quicquid per dictos consiliarios et procuratores nostros, sex, quinque, quatuor, tres vel duos, ut dictum est in forma superius expressa, gestum, actum, et factum, seu etiam procuratum fuerit in premissis et quolibet premissorum; super quibus probandis, tenendis, servandis, faciendis et complendis nos et successores nostros bonaque nostra omnia obligamus. In quorum testimonium sigillum nostrum fecimus presentibus hiis apponi. Datum et actum apud Fontem Blyaudi, in vigilia festi Pentecostes, anno Domini millesimo CCCXXV.

LXXII

Bulla[1] Joannis XXII de confirmatione matrimonii Karoli IV, regis Francorum, cum Joanna, filia Ludovici, comitis Ebroicensis. — Avignon, 5 avril 1326.

Johannes, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Karolo, regi Francie et Navarre illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Exhibite nobis regie petitionis series continebat quod dudum super nullitate matrimonii inter te, fili carissime, ac quondam Blancham de Burgundia de facto contracti orta coram bone memorie Stephano, episcopo Parisiensi, procedente tam ratione sue jurisdictionis ordinarie quam in eum a tua et parte altera pro[471]rogate materia questionis, prefatus episcopus pro majori securitate ac solempnitate predicti negotii venerabili fratre nostro Johanne, episcopo Belvacensi, et dilecto filio magistro Gaufrido de Plexeyo, notario nostro, secum adhibitis in causa nullitatis hujusmodi ad actus singulos usque ad publicationem testium exclusive processit; et demum, quia de viribus cujusdam dispensationis Sedis apostolice, cujus pretextu dicta Blancha prelibatum matrimonium nitebatur defendere, agebatur, idem episcopus Parisiensis ad examen nostrum duxit prefatum sic examinatum negocium, de voluntate partium remittendum. Nos autem hujusmodi remissione admissa, et processu coram memorato Parisiensi episcopo habito coram nobis et fratribus

1. Archives nationales, *J 437*, n. 30[2].

nostris exhibito, eodemque processu, sine ipsius prejudicio, ex integro per nostrum officium reassumpto, et per nos auditis et receptis hinc inde tam coram prefato episcopo Parisiensi quam coram nobis propositis et productis, ac deinde renuntiato in causa ipsa solempniter a partibus et concluso, negotioque hujusmodi examinato, prout melius fieri potuit et debuit, diligenter, quia repertum a nobis extitit quod inter te ac Blancham predictam erant plura impedimenta per que matrimonium inter vos solempnizatum de facto convincebatur penitus esse nullum, quodque dispensatio pretextu cujus matrimonium ipsum contractum fuerat et defensum, illud ad hoc ut posset subsistere non juvabat, per nostram sententiam pronuntiavimus et declaravimus dictum matrimonium esse et fuisse nullum de jure, tam tibi quam eidem Blanche concedendo licentiam ad alia vota, dicto non obstante matrimonio, libere transeundi. Sane premissis rite ac solempniter sic peractis, vigore sententie nullitatis hujusmodi et predicte licentie impertite, teque sic a lege dicti matrimonii cum eadem Blancha de facto contracti libero declarato, ad matrimonium cum alia contrahendum cum inclite recordationis Maria de Lu[472]ceburgo regina Francie, dispensatione tamen sufficienti super impedimentis obstantibus a nobis petita primitus et obtenta, matrimonium licite contraxisti. Postmodum vero eadem Maria regina, sicut Domino placuit, vita functa, cum carissimam in Christo filiam nostram Johannam, reginam Francie et Navarre illustrem, nunc consortem tuam, velles tibi matrimonialiter copulare, pluresque consanguinitates et affinitates ac spirituales cognationes, quibus tu et ipsa Johanna regina vos attinebatis invicem, necnon et publice honestatis justitia vobis obsisterent in hac parte, nos ut tibi cum eadem Johanna et dicte Johanne tecum liceret contrahere matrimonium ex nostra certa scientia et de apostolice potestatis plenitudine duximus per nostras litteras tenoris qui sequitur dispensandum.

Johannes, episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Karolo, regi Francie et Navarre illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Scimus quidem fore consentaneum rationi conditorem canonum canones a se vel suis predecessoribus editos observare, nec nos latet quin interdum rigori possit juris humani non indigne detrahere ac postulantium meritis, quod jus ipsum non patitur, diversis suadentibus circumstantiis, indulgere. Sane habebat exhibite nobis tue petitionis instantia quod tu, fili carissime, ac dilecta in Christo filia puella nobilis Johanna, inclite recordationis Ludovici, comitis Ebroicensis, nata, desideratis matrimonialiter invicem, actore Do-

mino, copulari, sed quia secundo consanguinitatis gradu ex utroque latere, respectu ejusdem stipitis, vos invicem attinetis, matrimonium hujusmodi contrahere absque dispensatione Sedis apostolice non valetis. Quare nobis tua serenitas humiliter supplicavit ut tecum et cum eadem Johanna, quod, impedimento hujusmodi aut quibusvis aliis, si qua forsan existant, nequaquam obstantibus, possitis copulari matrimonialiter, dispensare de benignitate apostolica dignaremur. Nos [473] autem, fili carissime, considerantes attente quantum tibi regnoque tuo expediat absque dilatione morosa, divine et humane domus assumere sociam, quam tam persone decor et elegantia quam morum honestas et nobilitas generis et etas congrua consortio tanti principis dignam reddant, ex qua prolem probabiliter possis de presenti suscipere ad serviendum Deo viventi et rempublicam gubernandam, quodque non credimus facile personam prompte, in qua concurrant hec omnia, sicut in memorata nobili plene premissa dicuntur concurrere, reperiri, multisque aliis non facile litteris exprimendis tam circa utrumque quam circa vestrum alterutrum deductis in exacte discussionis examen, que omnia dispensationem petitam, cum per eam juri divino non derogetur in aliquo, nedum fieri suadebant, immo ad eam faciendam nostrum animum accendebant, ad Dei honorem et utriusque vestrum totiusque domus regie, immo totius christianissimi regni tui consolationem, securitatem et gaudium, ut cum Johanna predicta, impedimento predicto aut quibusvis aliis, sive ratione consanguinitatis vel consanguinitatum respectu ejusdem seu diversorum stipitum, sive ab ipso stipite equaliter vel inequaliter *(a)* distaretis, sive ratione affinitatis vel affinitatum aliarum quantarumcumque in eodem vel remotiori gradu, seu publice honestatis justitia, aut spiritualis proximitatis seu proximitatum procederent, per canonicas vel alias humanas constitutiones quomodolibet introductis, super quibus consuevit interdum Sedes apostolica, precipue cum personis sublimibus dispensare, nequaquam obstantibus, possitis tu et ipsa Johanna, in Dei nomine, matrimonialiter copulari, ex certa scientia et de apostolice plenitudine potestatis, de speciali gratia dispensamus, prolem suscipiendam ex te et eadem Johanna legitimam nuntiantes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre dispensationis et nuntiationis infringere vel ei ausu temerario [474] contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et

a) vel inequaliter, *omis par Bal.*

Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Avinione, XJ kal. julii, pontificatus nostri anno octavo.

Qua quidem dispensatione sic facta, premissisque nullitatis sententia et licentia supradictis, cum eadem Johanna regina, consorte tua, bona fide in facie Ecclesie, bannis tamen, ut est juris, non editis, presertim cum de consuetudine partium illarum inter tales personas edi banna minime consueverint, contrahere matrimonium curavisti, ex quo proles fore subsecuta noscitur, dicta Blancha, a qua divisus et solutus, ut premittitur, fueras, adhuc superstite, que tamen volente Deo finivit postmodum dies suos. Ne igitur ex premissis seu *(a)* aliquo premissorum seu alia quacumque occasione vel causa contra matrimonium hujusmodi per te cum eadem Johanna regina contractum seu statum prolis exinde suscepte vel suscipiende possit in posterum aliquid malitiosis adinventionibus quomodolibet machinari, pro parte tue celsitudinis ac ejusdem Johanne regine, consortis tue, nobis extitit supplicatum ut tue ac ipsius regine necnon prolis ex vobis procreate seu procreande securitati honorique ac tranquillitati regni et *(b)* corone Francie taliter providere, licet ad plenum credatis esse in hac parte provisum, paterne sollicitudinis studiis dignaremur quod cuicumque seu quibuscumque malignandi seu impugnandi dictum matrimonium inter vos contractum aut prolem inde susceptam vel suscipiendam nullus penitus subsit locus. Nos autem attendentes quod regnum predictum Francie, cui Dominus benedixit, progenitorum tuorum, fili, rex carissime, ac tuis preclaris exigentibus meritis, velut hortus conclusus et fons signatus, est providentia Sedis ejusdem ab omni perturbatione et periculo, quantum est sibi possibile, vigilanti studio preservandum, predicte supplicationi regie duximus benignius annuendum. Ut [475] igitur illorum obvietur malitiis qui bonum in malum nituntur convertere et que gesta sunt legitime maculare, ipsorumque astutiis in hac parte nocendi materia subtrahatur, auctoritate Domini et salvatoris nostri Jhesu Christi, cujus vices in terris licet immeriti gerimus, sententiam et dispensationem predictas ex certa scientia approbantes, quoscumque defectus, si qui forsan existerent, quod non credimus, in eisdem, quantum est nobis possibile, supplemus ex certa scientia et de plenitudine potestatis, ac dispensationem predictam de novo facimus, prima in suo robore nichilominus perdurante, prolem ex vobis susceptam et suscipiendam legitimam nuntiantes, ac decer-

a) aut, *Bal.* — *b) omis par Bal.*

nentes quod bannorum omissio nullum prejudicium afferat dicto matrimonio seu proli exinde suscepte vel que suscipietur in posterum, Domino annuente; et si quod forsan, quod non credimus, attulisset, illud ex certa scientia tollimus et de plenitudine potestatis, decernentes quod perinde haberi quoad omnia debeat ac si edita banna ipsa juxta statuta canonum in facie Ecclesie extitissent. Et ut etiam plenius hominum malitiis occurratur, dictique regni abundantius tranquillitati provideatur et paci, auctoritate predicta impedimenta quecumque consanguinitatum carnalium et spiritualium ac affinitatum publiceque justitie honestatis et quevis alia constitutione tantum humana, non divina, inducta, quocumque nomine censeantur, et ex quacumque causa procedant, que apostolice subjaceant potestati, ex certa scientia tollimus, et super illis omnibus et singulis de potestatis plenitudine dispensamus, volentes quod perinde habeantur ac si impedimenta singula particulariter et distincte quoad gradus et personas et alia circa hec oportuna fuissent superius expressata. Non obstantibus quibuscumque humanis constitutionibus, statutis et consuetudinibus ecclesiasticis vel mundanis, que premissis seu premissorum alicui nolumus obsistere vel in aliquo obviare; sed [476] illis non obstantibus, ipsa volumus effectum suum consequi et in suo robore perdurare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre approbationis, suppletionis, facti, nuntiationis, constitutionum, amotionum, dispensationis et voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Avinioni, nonis aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

LXXIII

Ejusdem papae Joannis epistola [1] ad episcopum Conventrensem pro Joanne Gaytani, cardinale. — Avignon, 17 septembre 1327.

Johannes, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Conventrensi salutem et apostolicam benedictionem. Signanter attentis serviciis arduis sancte romane matris Ecclesie in quibus nobile membrum suum dilectus filius noster Johannes, Sancti Theodori dyaconus

1. D'après le registre du Vatican *114*, 2e partie, fol. 212 r°, cap. 1944. Baluze s'est servi du ms. latin *5954* (ancien Colbert *3126*), fol. 32 v°.

cardinalis, apostolice Sedis legatus de latere nostro sumptus, publice militat, tanto sibi majoris favoris emolumenta debentur quanto plus illa nobilis sui status conditio exigit et laborantes, ut nosti, pro ipsius Ecclesie negotiis publicis promerentur. Cum itaque, quod graviter ferimus et moleste quamplurimum, jura seu jurisdictiones archidiaconatus Conventrensis, quem idem legatus in beneficium obtinet, adeo indebite occupare ac annichilare dicaris quod ipsius beneficii gratia sibi prorsus inutilis est effecta, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, tibi nichilominus salubri consilio suadentes quatinus a premissis, pro nostra et dicte Sedis reverentia, prudenter abstineas, ne alias nos oporteat super hiis legato jam dicto de oportuno remedio providere, quin potius sicut te, frater, exhortationibus in [477] hac parte nostris laudabiliter acquievisse noverimus, sic tuam inde prudentiam sinceris in Domino laudibus merito attollamus. Datum Avenioni, xv kal. octobris, pontificatus nostri anno duodecimo.

LXXIV

Litterae[1] Philippi VI, regis Francorum, pro ecclesia collegiata Sancti Petri de Romevo. — Paris, janvier 1329, n. st.

Philippus, etc. Notum facimus tam presentibus quam futuris quod nos decanum, capitulum et personas ecclesie collegiate beati Petri de Romevo, Condomensis diocesis, fundate per bone memorie Arnaldum de Auxio, quondam episcopum Albanensem, favore volentes prosequi gratioso, ut quanto utilius et melius nostra magnificentia se adjutos senserint ipsorumque indempnitati fore provisum, tanto devotius et tutius Altissimo debeant famulari, ipsos et successores suos ecclesiamque predictam una cum parochiali ecclesia dicti loci sue annexa ecclesie, prout nobis subsunt immediate, cum famulis, gentibus et bonis suis omnibus in protectione et speciali gardia nostris suscipimus in perpetuum per presentes, quibus in mandatis damus senescallo Tholose aliisque justitiariis regni nostri et eorum loca tenentibus, qui nunc sunt et qui pro tempore fuerint, quatenus prefatos decanum, capitulum et personas dictarum ecclesiarum eorumque successores cum familia et bonis suis sub nostra predicta gardia ma-

1. Ex archivo regio Parisiensi, *Bal.*; pièce non retrouvée.

nuteneant et conservent in suis et dictarum ecclesiarum juribus, libertatibus, justisque possessionibus et saisinis, et ab injuriis, violentiis, oppressionibus, vi armorum, laycorum potentia, et novitatibus indebitis quibuscumque defendant, et si quid contra dictam gardiam et in ejus prejudicium fuerit attemptatum, ad statum debitum reducant, nobisque et ipsis decano, capitulo et familiaribus con[478]dignas propter hoc emendas prestari faciant, prout ad eorum quemlibet noverint pertinere, deputent etiam eisdem, si super hoc requisiti fuerint, ad premissa exequenda facilius aliquem vel plures de servientibus nostris; quos tamen de hiis que cause cognitionem exigunt se nolumus intromittere quoquo modo. Quod ut firmum et stabile in futurum perseveret, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius, anno Domini MCCC vigesimo octavo, mense januario.

LXXV

Ludovici IV imperatoris appellatio[1] ad futurum concilium generale adversus Joannem papam XXII. — 22 mai 1324.

Anno MCCCXXIV inter Johannem papam XXII et inter Lodovvicum regem Romanorum discordia que latuerat omnibus innotescit, et ex hoc in sancta matre Ecclesia cum scandalo maximum schisma crescit. Hi contra se alterutrum processus faciunt, quos ubique publicant, et in ipsis processibus, ut patet legentibus, leges et jura allegant. Papa in processu suo Lodovvicum non regem, sed occupatorem imperii nominat. Ac vice versa Lodovvicus papam haeresiarcham in quadam quam formavit appellatione appellat. *Ex chronica Aulae regiae.* [*Bal.*]

1. — Nos Ludwicus Dei gratia Romanorum rex semper augustus proponimus contra Johannem qui se dicit papam vicesimum secundum, quod inimicus sit pacis et intendit ad discordias et scandala

1. Cet appel, dit de Sachsenhausen, existe sous une double forme : celui qui fut rédigé par les frères mineurs, venus à la cour de Louis de Bavière, et celui qui émana de la chancellerie impériale. Baluze a fondu les deux textes. Aussi, son édition était-elle défectueuse. On trouvera sous le numéro LXXV le texte des frères mineurs, et sous le numéro LXXV *bis*, celui de la chancellerie. J'ai reproduit l'édition donnée par J. Schwalm, dans les *Monumenta Germaniae, Legum sectio IV, Constitutiones et acta publica,* Hannoverae, 1911, t. v, 2e partie, p. 723-744.

suscitanda non solum in Ytalia, quod notorium est, sed etiam in Alemania, suscitando prelatos et principes commovendo per nuncios frequentes et litteras et sollicitando, ut contra sacrum imperium et nos debeant guerram movere et pro viribus rebellare. Et quod sit sator discordiarum et seminator zizanie inter Christi fideles, apparet manifeste. Nam publice dicere dicitur, quod quando inter reges mundi et principes est discordia, tunc papa est verus papa et timetur papa et quilibet timet eum et facit quidquid libet, ex hoc manifeste se convincens sitire effusionem sanguinis christiani. Maxime autem dicere dicitur, quod discordia principum, nobilium et populi Alemanie salus est et pax rom[anorum] pontificum et Ecclesie. Unde cum multiplicarentur in Alemania occasione electionum diversarum cedes, occisiones et vulnera et guerre et sanguinis effusiones proh dolor innocentis, nunquam unam litteram vel qualemcumque nuncium misit ad obviandum predictis periculis atque malis, cum tamen multos haberet in partibus exactores et collectores pecuniarum pro ipso, quibus hoc committere sine aliquo suo onere potuisset, si voluisset vel sibi de hoc cura aliqua fuisset. Ostendens se per hoc contra doctrinam facere et vitam et exempla Christi, cujus vicarium se mentitur et dicit.

2. — Item actor omnis malitie factus simul et judex omnino subvertit judicium. Et tantum excecavit ipsum malitia publice et notorie, quod una clavium in ipso prorsus errante insontes, pios et innocentes, justos atque fideles catholicos, sicut patet late et notorie, in tota Lombardia et in diversis Ytalie partibus tanquam Paterenos et hereticos condempnavit. Ita quod longe plures, si veritatem contineret sua prava et iniqua sententia, heretici essent et hereticorum fautores, quam alii, cum generaliter omnes fideles imperii et devotos nulla alia causa obtenta, hoc ipso quod fideles sunt imperii, perperam et inique pronunciat Paterenos, non attendens, quod tunc manet Petri privilegium, ubi ex ipsius fertur equitate judicium. Quod una autem clavium erret in ipso, patet, cum membra Christi facit et judicat membra dyaboli et veros catholicos tanquam veros hereticos condempnat et punit. Ipse autem Phariseorum sibi assumens supercilium putat se absolvere quos Deus ligat et ligare quos Deus solvit, in hoc contra Deum et fidem catholicam et sacram scripturam et veritatem et justitiam faciendo.

3. — Item statuta et canones sanctorum patrum etiam declarativos veritatis fidei mutat et variat, prout vult, et ipsis apertissime contradicit, cum tamen inconvulsis radicibus vivat antiquitas, cui decreta

patrum sanxerunt reverentiam, cum etiam hujusmodi declaratio inmutabilis sit omnino.

[4. — Item per ista cogit homines ad desperationem et in errorem multipliciter mittit, cum tamen apostolica auctoritas tam errantes quam in errorem mittentes judicet condempnandos.]

5. — Item non recogitat, quod beato Silvestro pape latenti tunc temporis in spelunca magnificentissime contulit Constantinus, quicquid Ecclesia libertatis hodie obtinet vel honoris. Ipse autem Silvestri successor ut dicit male respondet imperio de predictis, immo sacrum imperium exterminare conatur per fas et nefas et per omnem modum suos fideles et devotos destruere, sicut patet in processu nuper contra sacrum imperium et nos et justitiam nostram facto. In quo etiam abutitur notorie plenitudine potestatis, que nonnisi ad edificationem Ecclesie datur. Et cum non possit judicare nec debeat nisi secundum justitiam, malitiose et injuriose juris pervertit ordinem, processus suos fundando super notoriis, que tamen non solum non sunt notoria, sed manifeste falsa, ut in suis processibus clare patet.

6. — Item patet evidenter, quod in dicto processu, qui potius excessus est nuncupandus, omnino defuit pars citata, quia nec fuimus presens nec per contumaciam absens nec aliqua de nobis facta fuit citatio, prout expostulat ordo juris, cum scriptura sacra testetur, non esse consuetudinem romanis pontificibus, dampnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur presentes habeat accusatores locumque ad defendendum se accipiat ad abluenda crimina, et divina lex non judicat hominem, nisi audierit ab ipso prius et cognoverit, quid fecerit. Ipse autem jura divina et humana omnino subvertit. Et breviter ipse pronuntiationis, que dicitur facta, tenor sententiam nullam esse decernit etiam propter defectum judicis, ut suo loco et tempore et coram quibus debebimus et ubi debebimus, manifestissime ostendemus et ostendetur.

7. — Item apparet evidenter intentio sua prava, que ad exterminium sacri imperii tendit et nostrum et principum et devotorum ipsius, cum constet Romanum imperium a Deo preparatum ad preparationem et dilatationem ewangelii et ad catholicam fidem a cunctis malignis incursibus eruendam. Et sic sacri ewangelii est subversor notorius et destructor.

8. — Item constat, quod per istos et alios suos processus malignos, qui excessus verius dici possunt, tendit ad exterminium sacri imperii atque nostrum et principum imperii electorum et aliorum principum

et devotorum imperii et libertatis et dignitatis ipsius et ad destructionem inconcussarum imperii consuetudinum, que apud nos pro jure indubitato servantur et servate sunt ab antiquo.

9. — Item archiepiscopatus, episcopatus et abbatias confert partialiter et indignis omnino, cujuscumque etatis sint, qualiscumque vite, dummodo sint imperio rebelles et inimici, quantumcumque sint naturaliter vasalli imperii. Nullus autem imperialis per ipsum potest quomodolibet promoveri, nisi forte se simulet sue inique voluntati contra imperium velle favere, quantumcumque dignus et sufficiens, quantumcumque peritus et doctus, quantumcumque bone et sancte vite. Ex hoc egit et agit continue in contemptum Dei et in dampnum ecclesiarum et in periculum animarum et notorie in prejudicium sacri imperii et notabile prejudicium justitie nostre atque juris et imperii subditorum et devotorum ipsius.

10. — Item patet aperte in processu, si tamen processus dici possit, qui excessus est potius censendus, quem nuper fecisse dicitur, quod ad exterminium et destructionem sacri tendit imperii et notabile prejudicium nostre justitie atque juris et ad perpetuum gravamen et prejudicium principum imperii electorum et ad destruendas et annullandas consuetudines imperii approbatas rationabiles et prescriptas et servatas in factis et processibus imperii ab eo tempore, cujus memoria contrarii non existit, ut patet in omnibus et singulis infrascriptis capitulis.

11. — Primo quia ille censetur in concordia electus ad imperium, qui a majori parte electorum, puta a quatuor electus fuerit. Et tamen cum nos fuerimus non solum a majori parte, immo a duabus partibus principum electorum electus, sicut notorium est, tamen temerarius et falsitatis amator et veritatis et justitie inimicus falso dicere dicitur, electionem nostram in discordia factam esse, quod est contra consuetudines approbatas imperii et in prejudicium principum imperii electorum et in prejudicium sacri imperii et gravamen atque nostrum et omnium Christi fidelium precipue Alemanie scandalum manifestum.

12. — Item cum consuetudo imperii approbata, que apud nos pro jure servatur, habeat manifeste, quod electus in loco ad eligendum regem Romanorum in imperatorem postmodum promovendum, videlicet in opido de Franchenfurt, ab omnibus electoribus sive a majori parte ipsorum sive etiam a minori, dummodo fiat electio a duobus electoribus ibidem presentium ad minus et in die ad eligendum prefixa per eum, ad quem spectat prefigere, hujusmodi electus

est habendus tamquam in vera concordia electus et sibi debet obediri ut regi a subditis et vasallis imperii et corona preberi sibi in Aquisgrani, quandocumque voluerit, et si qui vasalli et fideles imperii eidem non obedierint, sunt ipso facto omnibus que tenent ab imperio privandi. Iste autem malignus maligne ad exterminium tendens sacri imperii et principum imperii electorum et destructionem et subversionem nostre justitie atque juris et consuetudinum et libertatum approbatarum imperii, electionem de nobis factam non solum a majori parte, immo a duabus partibus electorum et in loco de Franchenfurt ad hoc antiquitus deputato et in die ad eligendum prefixa per eum, qui prefigere potuit, falso et mendaciter dicit esse in discordia celebratam et nos sic electum administrare non posse nec legittime administrasse et homagia et juramenta fidelitatum et jura alia imperii non potuisse exegisse nec posse recipere. Quod tamen constat in omnibus esse falsissimum et a veritate omnimode alienum et contra consuetudines predictas imperii approbatas.

13. — Item cum sic electus coronati fuerimus et inuncti in loco ad coronandum et inungendum reges Rom[anorum] electos in imperatores promovendos antiquitus deputato, videlicet in opido Aquisgrani, ex quo et electione predicta a precedenti statim secundum predictas consuetudines approbatas, que pro lege servantur, est electus verus rex Romanorum et sibi ut vero regi debet a subditis et vasallis imperii obediri et eidem homagia et fidelitatis juramenta prestari et jura imperii assignari. Iste autem malitiosus subversor canonum et jurium violator et consuetudinum predictarum, intendens totaliter ad exterminium sacri imperii et imperii libertatum et dignitatum et ad exterminium et annullationem principum imperii electorum et omnium imperii subjectorum et Alamanie totius, falso dicitur affirmare in processu, si tamen processus dici potest, qui potius excessus est nuncupandus, quod nobis electis taliter et inunctis et coronatis in regem adhuc vacat imperium, cujus imperii sic vacantis regimen ad se ipsum asserit pertinere. Quod constat esse falsissimum et ab omni veritate omnino alienum, sicut ex predictis patere potest cuilibet intuenti. Et quod nos marchionatum Brandeburgensem, quem Magdeburgensem nominat, quem vacantem et ad imperium devolutum primogenito nostro cum consilio magno contulimus et alia multa, que fecimus et que ad ejusdem regni et imperii regimen spectare noscuntur, facere non potuimus et de facto fecimus. Quod constat esse omnino injustum et temerarium et iniquum et magna falsitate assertum et de profunditate summe malitie emanasse

et contra Deum et justitiam et contra jura imperii atque nostra et contra consuetudines approbatas predictas et contra sacri imperii libertatem et dignitatem et utilitatem et contra jura et libertates principum imperii electorum et aliorum principum et Alemanie totius et omnium imperii subditorum et vasallorum et in prejudicium ac gravamen prefati filii nostri marchionis Brandeburgensis et contra justitiam suam et jura et aliorum, qui ex eisdem processibus quomodolibet lederentur.

14. — Item contineri dicitur in eodem processu, si processus dici possit, qui in veritate excessus notorius est censendus, cum omnimode veritate careat et totus sit et totaliter iniquitate et injustitia plenus, quod si vasallis nostris favemus, quos fovere et adjuvare juravimus et pro posse tenemur, qui contra Deum et justitiam et omnimodam equitatem in diversis partibus Ytalie et nulla alia occasione vel causa, nisi quia vasalli imperii existentes et in devotione imperii persistentes nomen imperii invocant, et suis malignis conatibus, quibus eos sibi contra Deum et justitiam subjicere et subjugare nititur per vias bellicas et a Dei sacerdotibus alienas et per tales circumventiones et fraudes et dolos varios et diversos, quos pudor est enarrare, ipsos conatur subjicere faucibus inimicorum suorum quos filios Ecclesie nominat, crudeliter devorandos, se et suam justitiam pro posse juste et secundum Deum et veritatem defendunt, crimen, ut dicit, incurrimus fautorie, quod absit a seculo. Nos enim veri fideles atque catholici veri existentes tenemur et volumus fidem catholicam totis viribus defensare et defendere et veros hereticos et Paterenos et fautores, defensores et receptatores ipsorum totis viribus expugnare. Set si hoc volumus et velle debemus, sic nec decet nos pati nec volumus nec debemus, quod nostri vasalli et subditi imperii per vias malignas ac dolos et fraudes varias ac commenta diversa veri catholici et fideles christiani existentes falso et contra veritatem dicantur heretici, ut ipsos ex hoc hostium nequitia atque malitia destitutos multorum auxiliis, qui adherent eisdem, facilius valeat conculcare. Quin verius dici potest et justius, eos, qui falso et contra justitiam eis imponunt talia, excommunicatos fore et arguendos graviter ac etiam puniendos, cum falso imponentes talia sint de jure pena eorum, quibus talia imponuntur, si vera essent, debita plectendi ac etiam puniendi. Et sic ipse talia perperam agens ac falso imponens et imponi faciens est potius pena consimili puniendus ac etiam condempnandus, cum ipse idem contra predictos sit accusator simul et judex et testis, prout est notorium toti mundo, non sine magno

contemptu Dei et scandalo fidelium et prejudicio et gravamine imperii et imperii subditorum et devotorum. Maxime cum notorium sit taliter ut asserit judicatos de heresi, quod tamen nobis non constat nec constitit, fidem catholicam et articulos fidei et pertinentia ad ipsam et sacramenta Ecclesie et pertinentia ad ipsa et quicquid sancta Ecclesia tenet et predicat, publice coram populis et notariis publicis, quos de hoc rogaverunt conficere publica instrumenta, fuisse professos simpliciter atque fideliter, et hoc non obstante, ad testimonium suorum inimicorum capitalium, vilium personarum, qui possent legitima exceptione repelli, et per inimicos eis judices fuisse, ut dicitur, judicatos et non citatos omnino vel ad locum omnino notorie eis suspectum fuisse citatos, ubi sine mortis periculo non poterant comparere nec tenebantur de jure, eis nichilominus petentibus et in petitione persistentibus, tutum locum sibi assignari, in quo possent sine mortis periculo comparere, in quo comparere, prout et sicut et coram quibus de jure tenerentur, se humiliter et devote offerendo, sicut in appellationibus et supplicationibus per eosdem et procuratores eorum per instrumenta publica factis continetur expresse. De quibus suo loco et tempore, ubi et quando et prout et coram quibus expedierit et de jure tenebimur et tenebuntur, parati sumus et parati sunt predicti facere plenam fidem etiam per publica instrumenta. Ex quo patet manifestissime injustitia et iniquitas notoria processuum predictorum, qui excessus potius dici possunt. Nos autem de jure et equitate tenemur et obligati sumus ad hoc proprio juramento, quod in coronatione nostra prestitimus, ab injustitiis et oppressionibus et callumpniis falso impositis ita vasallos nostros et subditos defendere et tueri, sicut ipsi nos defendere et tueri tenentur. Et si non faceremus, contra Deum et justitiam faceremus et graviter erraremus.

15. — Preterea cum videremus et sentiremus et a fidedignis audiremus et per famam publicam ad nostram notitiam pervenisset, quod diverse partes imperii precipue in Ytalia, sicut est manifestum toti mundo nec aliqua potest tergiversatione celari, commote erant atque turbate, immo fere destructe propter falsam inpositionem heresum, quam predictus qui se Dei dicit vicarium diversis fidelibus et devotis imperii falso inposuerat et continue inponebat et faciebat inponi, videlicet civitatibus infrascriptis et majoribus fidelibus et vasallis imperii in eisdem, videlicet civitati Mediolanensi, civitati Cumane, civitati Pergamensi, civitati Cremonensi, civitati Verzellensi, civitati Novariensi, civitati Papiensi, civitati Laudensi, civitati

Mantuen[si], civitati Mutinen[si], civitati Veronensi, civitati Vicencie, civitati Feltrensi, civitati Bellunensi, civitati Placencie, civitati Parmensi, civitati Brixiensi, civitati Alexandrie, civitati Terdonensi, civitati Bobiensi et diversis aliis villis et castris et locis que dum prius per fideles imperii tenerentur, in omni pace erant atque quiete, tandem nonnulle ex eis vexate per gentes ejusdem domini et legati ipsius per intollerabiles eis gwerras, incendia, depopulationes et cedes, que etiam requisite, quod ad mandata sancte romane Ecclesie redirent, licet omnes predicte de jurisdictione temporali sacri imperii et nullius alterius esse noscantur, dum ad dicte Ecclesie redierunt fiducialiter et spe certa eis data quod bene tractarentur mandata, expulsis inde omnibus, qui nomen sacri imperii invocabant, omnino crudeliter fractaque fide traditi sunt nequiter inimicorum suorum faucibus devorandi et pro libito dominandi. Ex quibus satis patet, quod idem fieri fecisset de omnibus aliis, si ad eorum potuisset dominium pervenire quod absit, ad quod totis viribus est conatus. Et precipue domino Matheo quondam Vicecomiti et domino Galeatio Vicecomiti vicariis imperii in civitate Mediolanensi et domino Cani de la Scala vicario imperii in civitatibus Veronensi et Vincen[cie] et domino Passerino de Bonacorsis vicario imperii in civitate Mantue et Mutine supradictis, devotis etiam nostris atque fidelibus Januensibus, qui in fidelitate imperii persistentes expulsi sunt nequiter et expulsi detinentur de civitate Januen[si] per vicinos ipsorum, ipso domino jubente atque mandante et in omnibus favente, prout est notorium et omnibus manifestum, eamdem heresim et fautoriam falso et perperam conatur inponere et facere inponi et civitatibus et terris, que detinentur per ipsos, videlicet civitati Sagane, civitati Nolane, civitati Albingane et omnibus et singulis faventibus quoquomodo et assistentibus et auxilium et consilium et favorem prebentibus publice vel occulte, omnibus et singulis civitatibus et terris et nobilibus et vicariis antedictis sub quibusdam verborum involucris atque generalitatibus, que conprehendunt omnes imperii devotos atque fideles, precipue civitatem Lucanam et Castrucium de Antelminellis vicarium imperii in eadem et civitatem Pysanam et nobilem virum comitem Nerium regentem civitatem predictam et civitatem Aretii et devotos et imperii fideles et nostros nobiles de Petramala et nonnullos alios marchiones, marchionem precipue Montisferrati et marchionem Saluciarum et marchionem de Ceva, et omnes alios comites imperii palatinos et alios marchiones, comites et barones, qui omnes sicut veri catholici fidem

catholicam firmiter credunt et simpliciter confitentur. Numquid devotos et fideles imperii sic crudeliter tractatos et inmaniter de tanto et tali scelere contra Deum et justitiam judicatos deberemus deserere a tot et tantis oppressionibus, tot et tantis calumpniis contra Deum et justitiam indefensos? Certe nequaquam, cum manifestum sit et in corpore juris redactum imperatorum et principum antiquorum, quod neque occasione religionum heresumque questionum non permittantur provincie imperii conmoveri atque turbari aut aliter quadam preceptione injungi et subjugari provincias, immo providendum esse cum competenti utilitate fiscalibus et que facta sunt oportet diligentissime perscrutari et nullo modo permittere circa imperii preceptiones aliquid fieri occasione religionum vel heresum. Set predictis heresibus Deo amabilis et decens et conveniens terminus detur, ut et orthodoxa fides custodiatur illesa et indempnitas juribus fiscalibus procuretur, et devoti et subjecti imperii a predictis falsis inpositionibus illesi et inviolati serventur. Quanta autem hujusmodi sit commotio totius provincie, quanta autem turbatio tot et tantarum et talium civitatum et tot et tantorum nobilium talis et tanta calumpniosa oppressio, quilibet sane mentis advertit.

16. — Item ipse non sequens ejus viam, cujus se dicit vicarium, set potius contraria agens barones et prelatos regni Alamanie vasallos imperii et nostros et plures principes et vasallos imperii et nostros de Ytalie partibus excitare nisus est et inducere per litteras atque nuncios frequentes, quod nobis et imperio rebellent et rebellantibus nobis adhereant, inducendo ipsos per hoc ad transgressionem juramentorum et fidei et effusionem non modicam, quem ut crudelis crudeliter sitit, sanguinis christiani, sicut nobis constat et aliis constare potest et constabit suo loco et tempore per ipsius bullatas litteras et per relationes illorum, quibus talia conmisit atque conmittit, qui sicut viri probi atque fideles sacri imperii atque nostri tales commissiones abhominantur et horrent. Non sunt hec pontificis opera, non vicarii ut se nominat Jhesu Christi, sed crudelis et dyri tyranni, qui in profundum malorum noscitur descendisse et ad exterminium sacri imperii et nostrum tendere toto corde.

17. — Ad hoc autem venenum plenius evomendum in predicto processu sive excessu mandare dicitur subditis nostris ecclesiasticis et mundanis et secularibus, cujuscumque status vel conditionis existant, etiamsi regali vel alia quacumque prefulgeant dignitate, sub penis gravibus inflictis ac etiam comminatis, ne nobis tamquam regi vel in regem Romanorum electo pareant vel intendant neve

nobis prestent auxilium, consilium et favorem. Quod constat esse manifestissime iniquissimum et omnino injustum et impium et ad effusionem gravem pertinere sanguinis christiani et contra nostram manifestam justitiam atque jura, ut ex predictis apparet, et contra libertatem et dignitatem et utilitatem sacri imperii et principum imperii electorum et aliorum principum et omnium imperii subjectorum et contra consuetudines imperii approbatas predictas, que pro lege servantur et servate sunt ab antiquo, precipue contra illam consuetudinem approbatam atque servatam ab eo tempore, cujus memoria contrarii non existit, qua cavetur, quod si vota principum, ad quos spectat eligere, ad eligendum convenientium dividantur in plures et duo in discordia eligantur, alter electorum, qui potentior fuerit et prevaluerit, debeat obtinere. Sicut victoriam nobis contulit plenam atque plenissimam misericors Dominus, a quo est bellorum victoria, ut victo hoste et adversario conculcato potentiorem atque victorem nos fecerit per misericordiam suam.

18. — Licet electio ejusdem adversarii nulla fuerit et sibi nullum jus tribuere potuerit nec nostre in aliquo derogare, quia a minore parte principum fuit electus, videlicet a duobus, et quia facta fuit ex intervallo post primam electionem nostram et ideo nulla nullum jus sibi tribuere potuit nec nostre in aliquo derogare. Item quia electio sua facta fuit non in loco debito de Franchenfurt et sic nulla de jure et per consuetudines imperii approbatas predictas. Item quia facta fuit non in termino et die prefixo ad eligendum per eum, ad quem spectat prefigere, et sic nulla per jura communia et per consuetudines imperii approbatas, que pro jure servantur. Item quia coronatus fuit et inunctus in regem non in loco ad hoc antiquitus deputato, videlicet Aquisgrani. Et ex pluribus aliis rationibus evidentibus atque causis, quas numerare et exprimere non expedit velud notorias et omnibus manifestas.

19. — Diffusius autem patere dicitur veneni predicti effusio in excessu prefato totaliter iniquitatibus et injustitiis pleno, dum reservare sibi dicitur, quod possit pendente dilatione contra nos procedere, prout sibi videbitur expedire. Ex quo manifestissime patet odium notorium, quod ad sacrum imperium et nos gerit, et sua maligna intentio et manifesta iniquitas et injustitia judicantis et ex animo et ex ordine et ex causa.

20. — Item manifestissime patet, quod se sacro imperio et nobis prius inimicum constituit capitalem, nos et devotos sacri imperii ubilibet persequendo et rebelles et hostes imperii ubilibet locorum

publice et notorie confovendo, inimicorum nostrorum et sacri imperii continue utendo consiliis, immo se ipsum et actus suos et opera dirigendo in omnibus et per omnia consiliis eorumdem. Et post hec judicem nostrum se constituere nititur contra antiquos canones decernentes quod suspecti et inimici judices esse non debent.

21. — Preterea cum constet et notorium sit, omnes reges Romanorum electos etiam in discordia, licet electio nostra haberi debeat omnino ex causis evidentibus pro concordi, prout superius est narratum, et tam Lottarius quam Corradus, tam Philippus quam Otto, tam Riccardus quam Alfonsus, tam Adolfus quam Albertus electi fuissent in discordia, tamen administraverunt semper imperium, sicut et potuerunt de jure. Nec per quemquam Romanorum pontificum presumptum fuit, quod per istum nuper noscitur attemptatum in prejudicium et gravamen notorium sacri imperii atque nostri et principum electorum imperii et plurium principum aliorum.

22. — Preterea electione nostra a majori parte, immo a duabus partibus principum facta et que causis evidentibus et notoriis pro concordi debet haberi, nobilis vir Fridericus dux Austrie, licet non in loco electionis nec in die ad eligendum prefixa, a longe minori parte principum, videlicet a duobus tantummodo, se eligi fecit in regem. Et ex predicta electione non solum nos, qui de jure notorio poteramus et debebamus, possumus et debemus, amministravimus, immo etiam ipse Fridericus. Cui in amministratione sua ipse procedens, immo verius excedens favit pro posse, sicut notorium est et manifestum nec aliqua potest tergiversatione celari. Nunquam tamen non solum nobis, sicut nec debuit nec potuit, set nec ipsi Friderico, quem amministrare sciebat, amministrationem quomodolibet interdixit. Cum tamen et ante assumptionem suam et post ipsam jam per annos octo et ultra amministraverimus et amministrare nos sciret notorie ac etiam evidenter, sicut poteramus et debebamus, possumus et debemus, ut patet ex supradictis. Ex quibus manifestissime patet, quod non justitiam, non veritatem prosequitur in predictis, set ad predicta movetur animo iniquo et malo et ad plantandum in mundo discordias et scandala, per que sanguinis humani effusio possit sequi, quas totis viribus nisus est per universa mundi climata seminare.

23. — Item per diversas mundi partes et provincias persequens imperiales ac sacrum imperium, parti eos inpugnanti favit et favet, prout est notorium toti mundo, ipso filios Ecclesie karissimos appellando et conando pro viribus subjugare devotos imperii et fideles

eorum faucibus devorandos, adeo quod se jactat, quod non remanebit in brevi de omnibus imperialibus et imperio adherentibus unus, quin ipsum destruxerit et confunderit, ita quod nemo de imperialibus et imperio adherentibus atque fidelibus remanebit, quod absit. Et nos ex juramento, quod in nostra coronatione prestitimus, tenemur et obligati sumus ad resistendum viriliter et obviandum inpietati et crudelitati predicte, ne manus ipsius plene sanguine et animus ejus crudeliter sitiens sanguinem christianum possint complere et inplere, quod circa predicta cogitaverunt, conceperunt atque ceperunt.

24. — Item ipse non sequens ejus viam, cujus se dicit vicarium, qui nascendo pacem annuntiare fecit in terris et vivendo pacem servavit et finaliter pacem suis discipulis dereliquit, cum nobiles viros de Greyspach, de Druhendingen et de Neyffen comites ad legatum in Ytaliam legatos de nostro latere mitteremus facturos ejus ope et auxilio pacem et concordiam inter partes, que illic sibi bellum et duras gwerras movebant continue, ipsarum partium invitatione et pietatis officio excitati, ipse renitebat et bellum ad obsidionem fidelibus Medyolanensibus paravit et parari mandavit, sicut hoc in istis partibus est notorium et manifestum. Quod tamen sue professioni minime congruebat, dictos comites in nostrum et ipsorum vel verius ipsius vituperium dimisit nimium inhoneste.

25. — Item ille crudelis usurpator jura principum imperii privata negotio indiscusso, parte inaudita nititur usurpare. Cum enim vacante imperio comiti palatino Reni de jure et approbata consuetudine imperii observata hactenus inconcusse presertim in partibus Alemanie competat jus amministrandi jura imperii, feoda ecclesiastica et temporalia conferendi et cetera alia negotia disponendi, ipse in dicti principatus et principum suorum injuriam contendit, quod in nullum casum sibi competit, ad se amministrationem vacantis imperii pertinere.

26. — Item idem in consistorio manifeste dixit, quod ipse ad conculcandum serpentem eneum, imperium Alemannorum omni tempore suo pro viribus laborare vellet et intendere toto posse, sicut effectu operis declarat et conprobat tota die.

27. — Item nobis electis et amministrantibus jura regni et imperii vicarios constituisse dicitur, ipsum imperium sic sibi usurpare satagit et conatur et tanquam vulpes subdola nunc nobis, nunc duci Austrie, qui se ingessit ad imperium, se favere fraudulenter ostendit, ut nos ad invicem concitaret et ipse nobis contendentibus et invicem nos

extenuantibus partem suam redderet pinguiorem. Ille enim inimicus pacis, hostis imperii, qui venit mittere non pacem, set gladium, pro statuendis saltem treugis inter nos vel facienda pace vel discutienda justitia nec manus apposuit nec operam ullam dedit, diligens gwerras et sitiens sanguinem, ut animam suam inebriaret sanguine innocenti et circa occupationem vel subversionem imperii suos appetitus malivolos satiaret.

28. — I. Non suffecit autem sibi temporalis imperii jura attemptare, subvertere et in coronam nostram et in fideles imperii tam nequiter deservire, nisi et ipsum dominum Jhesum Christum, regem regum et dominum dominantium principem regum terre et ejus sacratissimam matrem, que ejusdem voti et status cum filio in observantia paupertatis vixit, et sanctum apostolorum collegium ipsorum denigrando vitam et actus insurgeret et doctrinam ewangelicam de paupertate altissima in qua exemplaris perfectio exterioris vite ipsorum de pleno et perfecto mundi contemptu tanquam in fundamento immobili est firmata. Quod fundamentum non solum sua mala vita et a mundi contemptu aliena conatur evertere, set heretico dogmate et venenata doctrina in predicationibus publicis et sollempnibus et variis assertionibus affirmando asseruit, Christum et apostolos habuisse bona temporalia in communi eo modo, quo alia collegia habent. Quod dictum est notorie hereticum et prophanum et contra ewangelii sacrum textum. Innumera enim sunt dicta sanctorum prophetarum predicentium Christi paupertatem altissimam, cujus renovator fuit principalis seraphicus vir Franciscus. Tota enim silva sacri ewangelii quoad Christi ortum, incolatum et exitum et dicta sanctorum doctorum discipulorum ipsorum apostolorum usque ad hec tempora omnia clamant, Christum et apostolos vixisse in altissima paupertate predicta, que consistit in nichil habendo civiliter in hoc mundo. Quod si queratur, quid vult dicere paupertas altissima, de qua apostolus dicit : « Altissima paupertas eorum, etc. », respondet Innocentius papa V : « Alta paupertas habere pauca propria propter Deum, altior que nulla habet propria, habet tamen in suo collegio in communi, altissima que nichil habet in hoc mundo in proprio vel communi, et hec fuit Christi et apostolorum. » In hoc immobili fundamento almus Christi confessor Franciscus pater ejusdem ordinis ordinem fundavit et sancta mater Ecclesia regulam, quam Christo sibi revelante conposuit, approbavit et confirmavit et per plures romanos pontifices, videlicet Honorium, Gregorium IX, Alexandrum quartum, Innocentium quartum, Innocentium V et Nycolaum ter-

tium et quartum et per diversos alios pontifices declaravit, omnibus una et concordi voce dicentibus, quod hec est regula ewangelica Christi et apostolorum imitativa, que nichil habebat vel habet in hoc mundo proprium vel commune, set in rebus, quibus utebantur et utuntur, habebant et habent tantummodo simplicem facti usum. Et ut regula beati Francisci ostenderetur vere a Deo exisse et non oporteret professores ipsius timere, ne perirent penuria, ad subventionem paupertatis ipsius probata est multociens miraculose eidem tota mundi machina deservire, prout in vita ipsius per Ecclesiam approbata plenius continetur. Et ut appareret evidenter presentibus et futuris, regulam a beato Francisco editam et ab Ecclesia confirmatam esse vere illam, quam Christus apostolos docuit et in se ipso exemplo firmavit quoad hunc articulum, eamdem regulam in suo actore Francisco dignatus est Jhesus Christus bullare stigmatibus sue sacratissime passionis. Unde et paucis elapsis diebus a conditione ejusdem regule meruit predictis stigmatibus insigniri, ut non presumeret homo mortalis evertere bulla plumbea, quod immortalis Deus regnans in celo sue passionis et crucis signaculis stabilivit. Et omnes romani pontifices predecessores ipsius et plura generalia concilia cum multa devotione et reverentia predicte regule continentiam et paupertatem altissimam, que est in nichil habendo mundane in proprio vel communi, multiplicibus roborationibus confirmarunt. Hic autem oppressor pauperum et vite Christi et apostolorum inimicus predicta omnia parvipendens ac volens Christi paupertatem altissimam de medio tollere et sub miris dolis et fraudibus et venenatis fallaciis ipsam totaliter annullare, duo nephanda statuta, in quibus heresiarcha et hereticus perfectus cum aliis assertionibus alias factis notorie conprobatur et in Christi vitam plasphemus et sacris diffinitionibus sanctorum priorum pontificum predictorum aperte contrarius, promulgavit. Que constitutiones ipsum sicut manifestum hereticum et de compositione Ecclesie precisum incidisse in factum dampnatum hereseos et per consequens ab omni statu prelationis depositum ejecerunt. Prima constitutio est promulgata per ipsum in Avinione, VI idus decembris, millesimo trecentesimo vicesimo secundo, que incipit *Ad conditorem*. In cujus constitutionis textura quam viliter, quam inepte et irreverenter ad dictum ordinem professorem altissime paupertatis et quam heretice contradicat constitutioni katholice felicis recordationis domini Nycolai tertii et declarationibus predictorum pontificum, patet lucide perlegenti. Et in ipsa constitutione involvit et confundit multas sententias juris

et phylosophie et nostre fidei non tam sermonibus imperitis quam hereticis et insanis. Et ex personarum defectibus insipienter et heretice arguit contra statum religionis Minorum fratrum Christi inmitatorium, devotum, katholicum et sublimem. Et in magnum obprobrium ipsius ordinis et contumeliam summi legislatoris domini Jhesu Christi per cavillationes legum principum mundanorum nititur ipsius perfecta consilia, que verbo docuit et exemplo firmavit, tamquam inpossibilia denigrare, immo verius ut hereticus anullare, non attendens, quod omnis lex humana Christi consiliis est subjecta. Et hunc statum de simplici usu facti sepe vocavit et vocat in suis assertionibus mathematicum, ypocritalem et deceptorium, impossibilem ad servandum et nullum, et heretice affirmavit, quod talis expropriatio in communi, quam Christus et apostoli servaverunt et fratres Minores ipsorum inmitatores observant, non est perfectior statu aliorum collegiorum habentium in communi, qui possunt pro hiis que habent licite litigare. Qualis autem inpudentia est, qualisque heresis illud quod in eadem constitutione allegat, quod dominium retentum per sanctos pontifices et patrimonio Ecclesie reservatum de rebus, de quibus pauperes ewangelici habent solummodo simplicem facti usum, Ecclesie extitit inutile et dampnosum, quia nullum ex hoc consecuta est conmodum temporale. Vere de officina heresis Epicuri, qui nichil credit de alia vita vel sperat, videtur hoc emanare lamentum. Quod satis concludit, ipsum a se Dei evacuasse timorem et de supernis premiis nil sperare. Et vere, ex quo talis est, non est mirum, si a se repulit, dominium tanquam inutile, quod aurum non congregat nec argentum. Estne inutile dominium vero pastori et Christi vicario, sicut ipse se dicit, per cujus retentionem ewangelici pauperes vivunt, per quorum ora et ecclesiasticos cantus Deo in divinis officiis ubilibet jubilatur, verbum Dei et veritas fidei per cuncta mundi climata seminatur et per fidelia consilia et ortamenta salubria et vite sancte exempla anime fidelium de faucibus demonum eruuntur. Vere quia animarum est proditor et non pastor, predicta dampna reputat et non lucra. Ut autem pateat, quomodo tam in ista constitutione *Ad conditorem canonum* quam in alia *Cum inter nonnullos*, quam promulgavit II idus novembris, constitutionibus et diffinitionibus predictorum pontificum romanorum maxime domini Nycolai tertii evidentissime contradicat, attendendum est, quod predictus dominus Nycolaus pro inmobili fundamento perfectionis ewangelice quoad altissimam paupertatem dicit : « Dicimus quod abdicatio proprietatis hujusmodi omnium rerum propter Deum meri-

toria est et sancta, quam et Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit et exemplo fundavit quamque primi fundatores militantis Ecclesie, prout ab ipso fonte hauserant, in volentes perfecte vivere per doctrine ac vite ipsorum alveos dirivarunt. » Et quod ista regula recte sit vita Christi et apostolorum quoad paupertatem dicit in hec verba : « Hii sunt illius sancte regule professores, que ewangelico fundatur eloquio, vite Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis Ecclesie, apostolorum ejus sermonibus actibusque firmatur. Hec est apud Deum et patrem munda et inmaculata religio, que descendit a patre luminum, per ejus Filium exemplariter et verbaliter apostolis tradita et demum per Spiritum Sanctum beato Francisco et eum sequentibus inspirata totius in se quasi continet testimonium Trinitatis. » Que verba quantum distent a plasphemiis hujusmodi heretici et plasphemi in supra descriptis cuilibet satis patet. Dicit etiam idem Nycolaus infra : « Nam cum in rebus temporalibus sit considerare precipuum proprietatem, possessionem, usufructum, jus utendi et simplicem facti usum et ultimo tanquam necessario egeat, licet primis carere possit vita mortalium, nulla prorsus potest esse professio, que a se usum necessarie substentationis excludat. Verum condecens fuit ei professioni, que sponte devovit Christum pauperem in tanta paupertate sectari, omnium abdicare dominium et rerum sibi concessarum necessario usu fore contentam. » In quibus verbis claret aperte, quod predictus sacer pontifex Nycolaus et predicti alii pontifices ipsum precedentes in suis diffinitionibus et verbis predictis per clavem scientie tanquam veri summi pontifices aperte et expresse diffiniunt paupertatem Christi et apostolorum perfecte consistere in expropriatione cujuslibet dominii temporalis, civilis atque mundani rerum omnium hujus mundi, et substentationem vite ipsorum in solo et nudo consistere usu facti, quo solo, ut asserunt et precipue Nycolaus prefatus, indiget vita mortalium, licet jure utendi et usufructu et proprietate et dominio quolibet possit carere meritorie et perfecte, et tanto perfectius et Christo decentius, quanto magis per solum et nudum simplicem facti usum observatores paupertatis hujusmodi ab omni jure temporalium abstrahuntur. Decens autem fuit dominum Jhesum Christum, qui celestes divitias et verum mundi contemptum venerat predicare, perfecte in se ipso relinquere mundi divitias, ut perfectos imitatores suos doceret suis consiliis taliter relinquendas, quod solo usu necessario vite mortali eorum summa perfectio esset contenta. Nec predictis obstat, quod hic veritatis subversor dicit, in sola caritate per-

fectionem consistere, quia nos de illa paupertate loquimur, que ex seraphico ardore divini amoris et summa appretiatione celestium calcat propter Deum omnia temporalia quasi lutum. Et hoc summum gradum caritatis in mente supponit et in conversatione extrinseca hujus amoris ostendit incendium per contemptum omnium mundanorum. Huic paupertati altissime et perfecte hic hereticus manifestus perversis statutis et nephandis operibus et processibus se opponit. Et nobis est fidedignorum veridica relatione relatum, quod hic in statu Christi et apostolorum inpingens, qui paupertatem ewangelicam suprascriptam in fratrum Minorum regula propagarunt, dixit coram pluribus magnis viris fidedignissimis de ordine supradicto quod jam a magnis temporibus forte a XL annis vel circa conceperat, regulam beati Francisci tanquam fantasticam et impossibilem ad servandum, si Deus daret sibi potestatem, destruere ac tollere et Minorum ordini aliam regulam dare, qua possent bona in communi possidere, sicut alie religiones faciunt. Prelatis etiam majoribus dicti ordinis suasit acute et efficaciter, sicut probari poterit suo loco et tempore manifeste, quod regulam novam reciperent, in qua habere possent aliqua in communi et suam rejicerent, tanquam ad servandum inpossibilem et fatuam, que tamen perfectionem ewangelicam continet evidenter. Ex quo patet, quod sicut inveteratus hereticus et precisus ab Ecclesie corpore et vera fide non potuit ad pontificatum assumi. Et postquam ipsius manifesta est heresis in constitutionibus promulgatis incidit in factum dampnatum heresis et suo proprio et notorio scelere heresis est ab omni statu dejectus. Constitutio etiam illa *Cum inter nonnullos* diffinit hereticum fore dicere nichil Christum et apostolos ejus habuisse in speciali et etiam in communi, cum nullus unquam sane mentis negaverit, ipsos habuisse necessaria vite, set in predicationibus et sermonibus asseruit firmiter, quod ipsi habuerunt eo modo quo habent cetera collegia, que bona temporalia possiderunt in communi. Luce igitur clarius patet, quod diffinire voluit et intendit fore hereticum dicere Christum et apostolos nichil possedisse in communi civiliter et mundane, et sicut ostensum est supra, sicut inpudens hereticus Christi ewangelium et sanctos apostolos et doctores antiquos sacre scripture et diffinitiones predictorum summorum pontificum ut plasphemus et sacrilegus falsum continere et mentiri dicit aperte. Quod etiam esse hereticum et vesanum, universitas fratrum Minorum in generali eorumdem capitulo congregato Perusii aperte sensit et sententiavit expresse asserendo quod dicere Christum et apostolos nichil habuisse in

communi non erat nec est hereticum, set sanum, katholicum et fidele et per sanctos patres summos pontifices tanquam katholicum diffinitum et contrarium reprobatum et tanquam reprobum excommunicationis et anathematis sententia innodatum. Et ordo predictus fratrum Minorum sic istam veritatem asseruit, quod universis Christi fidelibus ipsam tenendam inviolabiliter tanquam omnino katholicam publicavit et nuntiavit et etiam ministrorum et magistrorum in theologia, qui dicto capitulo preerant, sigillis munivit ad majorem rei certitudinem, prout in eorum littera per mundum universum dispersa plenius et seriosius continetur. Quod enim per clavem scientie per romanos pontifices semel determinatum est in fide et moribus recte vite, est inmutabile, eo quod Ecclesia romana est inerrabilis in fide et veritate nec potest dare regulam falsam vel malam in recte vivendo nec in veritatis judicio Ecclesia romana potest sibi esse contraria. Si enim in uno esset falsa vel sibi contraria, in omnibus vacillaret. Et super hoc fundamento generale capitulum se in predicta littera stabilivit. Nam quod semel per summos pontifices Dei vicarios per clavem scientie est diffinitum esse de fidei veritate, non potest per successorem aliquem in dubium revocari vel ejus quod diffinitum est contrarium affirmari, quin hoc agens manifeste hereticus sit censendus. Cujus veritatis ratio et fundamentum est, quia fides katholica est de vero perpetuo et inmutabili prorsus. Et ideo quod semel est diffinitum verum esse in ipsa fide vel moribus, in eternum verum est et inmutabile per quemcumque. Secus autem in hiis, que statuuntur per clavem potentie. Nam sepe quod uno tempore expedit fieri, alio tempore expedit prohiberi. Constat autem predictos pontifices et generalia concilia secundum clavem scientie contrarium apertissime diffinisse et libellum et dicta magistrorum et asserentium dictam paupertatem et vitam non esse paupertatem ewangelicam et apostolicam, sententialiter dampnaverunt, per litteras apostolicas districtius inhibentes, ne quisquam premissa vel aliquod premissorum pertinaciter astruere vel quomodolibet defensare presumat. Statuentes quod quicumque presumpserit adtemptare, tanquam contumax et Ecclesie romane rebellis et hereticus ab omnibus fidelibus habeatur, prout hec et plura alia circa hec in determinationibus, declarationibus et litteris apostolicis super hiis confectis plenius continentur. Liquet igitur quod in predictis constitutionibus contrarium faciens incidit in factum dampnatum et semetipsum involvit dampnationi hereseos. Similiter in secundo articulo, ubi diffinit hereticum dicere, quod non habuerint

jus utendi illis rebus, quas eos habuisse sacra scriptura testatur, quia ex hoc concluditur, ut dicit constitutio, usum eorum non fuisse justum, fallax, subdolus et dolosus et ignorans perfectionem Christi vite vel eam malitiose inpugnans semetipsum sic arguendo decipit et confundit. Nam sicut dictum est, abdicatio juris in cujuscumque rei proprietate vel in usu ejus est sancta et meritoria propter Deum et a Christo in se ipso servata et apostolis inposita et ab ipsis sub voto assumpta nec per hoc nullus usus facti ad sustentationem nature in Christo et apostolis convincitur esse non justus, sicut hic contrarius Christi vite concludit, set tanto justior ac perfectior et Deo acceptior et mundo exemplarior, quanto plenius renuntiatum est omni juri, per quod posset sic utens pro usu hujusmodi quomodolibet contendere vel in judicio litigare. Et sic patet manifestissime, quod in utraque constitutione convincitur esse hereticus manifestus.

II. Preterea apparet manifeste, quod quicumque dicit hanc paupertatem altissimam, que est lampas nostre fidei et fundamentum, non precellere vitam et professionem habentium in communi sive in proprio, necessario concludit, Christum non fuisse vere Christum nec Messiam illum, quem lex et prophete promittunt. In estimatione enim divitiarum sive communium sive propriarum est principale fundamentum et janua singularis secte antichristi et totius erroris Judaici et etiam secte Sarracenorum, cum enim lex et prophete in verborum superficie promittant tempora Christi sive Messie et per ipsum dari eis regnum plenum divitiis et opulentia inestimabili et universale dominium mundi et hoc sub illis figuris ac methaforis magnificent miro modo, sicut quilibet videre potest in scripturis divinis et in prophetis. Si verum est melius et divinius esse, vivere in communibus divitiis sive propriis, quam in altissima paupertate, prout constitutiones predicte loquuntur, tunc necessario sequitur, quod Christus ad litteram debuit talia ferre secum, quia id quod melius fuit, pro se habere debuit et Judeis dare, tum etiam quia tunc nulla ratio est, quare lex et prophete in promissione divitiarum et maxime illarum, quas promittit pro tempore adventus Christi sive Messie, ad litteram non intelligantur de divitiis temporalibus, sicut littera sonat. Certum est autem, Christum ad Judeos in habundantiam divitiarum non venisse. Ergo sequitur necessario ex istis Christum non fuisse vere Christum nec verum Messiam et tunc apertissima est janua ad concludendum verum Christum et verum Messiam adhuc in plenitudine divitiarum ad Judeos venturum. Et per hanc viam paratur janua et fundamentum antichristi secte, qui se dicit

verum Christum atque Messiam, paratur etiam via ad errores Judeorum judaizantium, qui dicunt Christum non implesse prophetias eorum et promissiones eis per prophetas factas, quod veniret in habundantiam divitiarum Messias ipsorum. Et sic disponuntur ad errorem recipiendi antichristum, quem dicunt esse verum Christum et verum Messiam eorum, qui implebit promissiones eis per prophetas factas, veniendo in multitudine divitiarum et habundantia. Ex hoc etiam fundatur error legis Saracenorum, que felicitatem divitiarum et luxuriarum pro beatitudine eterna ipsis promittit, prout in lege eorum manifeste patet. E contrario autem si dicamus, quod paupertas altissima sit melior et divinior, sicut in veritate est, totus Judeorum error et exspectatio vana funditus enervatur. Sequitur enim, quod quidquid lex et prophete promittunt eis de divitiis et opulentia regni Christi sive Messie, intelligatur et intelligi debeat de spiritualibus divitiis et opulentiis et nullo modo de temporalibus. Et tunc habebunt credere necessario, Christum fuisse vere Christum et verum Messiam et datorem felicitatis spiritualis et verum regem et Deum summum. Et breviter quidquid spirituale de Christo credimus, credere cogentur omnino et totam scripturam Veteris Testamenti quantum ad omnia dicta de Christo et Messia spiritualiter implendam et non sonare aliud nisi spirituales divitias et glorias. Ex hoc etiam tolletur secta Sarracenice legis et error, que felicitates et divitias temporales et luxurias repromittit. Sic patet quod conclusio constitutionum predictarum, que concludunt contrarium, et quod felicior status et divinior est habere in proprio vel communi, sicut cetera collegia habent, quam altissima paupertas, quam profitentur hujus sacre regule professores, est origo et fundamentum totale secte antichristi et erroris Judaici et Sarracenici, ut superius est probatum.

III. Preterea constitutio *Ad conditorem* expresse concludit errorem, quia quod alii romani pontifices antedicti per clavem scientie declaraverunt, scilicet vitam non habentium in proprio nec in communi esse altissimam paupertatem et a Christo institutam atque servatam, ut in decretali *Exiit* et in diffinitionibus pontificum predictorum videtur, si retentio talium bonorum datorum Deo nichil retinentibus dantibus in communi facta per summum pontificem est inutilis. Quare receptio et donatio est inutilis ad perfectionis statum. Sed quod sit inutilis secundum hanc constitutionem et perfecta secundum decretalem *Exiit* et secundum decretalem *Exivi* et etiam secundum Gregorium, Alexandrum et Innocentium IIII et Innocentium V et Nycolaum tertium, patet. Sequitur igitur necessario contrarietas inter

constitutiones et diffinitiones predictorum et hanc constitutionem manifesta, quia constitutio dicit inutilem et alie perfectam dicunt donationem Deo factam. Dedicatio autem sui et suorum et receptio talis donationis est a lege divina, que precipit et consulit preceptorum et consiliorum observantiam, ita et retentio. Preterea quomodo Ecclesia romana potest ordinare, quod servi sui et filii non sibi acquirant, ut in decretali *Exiit* § « Ad hec », ista autem constitutio tollit jus acquisitionis Christi et Ecclesie et per consequens tollit jura servitutis Dei et curam pauperum. Ergo heresim continet manifestam.

IV. Preterea hec constitutio dicit, patientiam circa modum ipsum romane Ecclesie subsecutam, et sic patet contrarietas quantum ad statum. Nam romana Ecclesia per patientiam non tollerat modum status, sed decernit talem modum observandum. Sed quia constitutio *Ad conditorem* manifeste inpingit in statum, patet quod primis pontificibus supradictis contradicit expresse. Ergo vere hereticus est censendus.

V. Preterea constitutio dicit, quod dicere posse dominium separari in rebus talibus, est contrarium rationi et juri. Sed manifestum est, quod omnes religiosi nichil habent in proprio, licet aliqui habeant in communi. Igitur in eis etiam non separatur usus a dominio in talibus rebus. Ergo omnes essent proprietarii in alimentis et vestimentis et pecunia. Et Christus etiam fuit proprietarius et apostoli secundum hoc et per consequens omnis vita monastica et religiosa est falsa et ficta, ista ratione et doctrina Christi ficta est, Math. XIX : « Si vis perfectus esse », etc. Et sic perfectio ewangelice vite consisteret in habere in proprio et non in communi, licet pauca et vilia. Et sic tota principalis ratio perfectionis vite ewangelice esset circa usum pauperum et vilium et nullo modo esset in abdicatione proprietatis, quod est contra diffinitiones pontificum predictorum et contra decretalem *Exiit*. Ergo conditor constitutionis *Ad conditorem* vere hereticus est censendus.

VI. Preterea dicit constitutio *Ad conditorem* quod carentia talis dominii pauperiorem non facit non habentem nec habentem ditiorem. Sed contrarium est, quia nec Nycolao et aliis pontificibus supradictis nec Christo et apostolis nec religiosis omnibus repugnaret, in proprio talia habere. Hoc autem est contra fidem katholicam et contra scripturas sacras, est etiam destruere omnem religionem et ordinem habentem aliqua in communi, nam habentes in communi nichil possunt habere in proprio, ut in decretali *Cum ad monasterium*. Ergo conditor constitutionis *Ad conditorem* heresiarcha verus et perfectus hereticus est censendus.

VII. Preterea in constitutione *Ad conditorem* dicitur, quod specialis retentio romane Ecclesie nichil facit speciale ultra alios mendicantes, qui habent in communi quod altissimam paupertatem, que est contra non habere in communi. Nam tunc nichil perfectionis adderet non habere in communi et sic romana Ecclesia et omnes predicti pontifices et omnes sacre scripture in Christo et apostolis, qui habuerunt et docuerunt paupertatem altissimam, approbarent simulationes esse atque figmenta, quod dicere summe hereticum est. Ergo conditor predicte constitutionis *Ad conditorem* hoc dicens heresiarcha verus et perfectus hereticus est censendus.

VIII. Preterea si talis retentio specialiter facta addidit aliquid ultra alios mendicantes habentes in communi, oportet necessario, quod per Ecclesiam non habentibus in communi provideatur in necessariis, ut licite rebus uti possint, quod fit per retentionem ortam ex hoc, quod tales perfecte se dantes Deo nichil retinendo nec in proprio nec in communi, sed devote profitendo altissimam paupertatem, quam Christus docuit et exemplo firmavit et ejus apostoli servaverunt in se ipsis et aliis servandam tradiderunt. Constat autem, quod Ecclesie se et sua dantes non potest abjicere nec debet. Ergo contra predicta statuens heresiarcha et perfectus hereticus est censendus.

IX. Preterea constitutio predicta dicit, quod non est honor romane Ecclesie predictum dominium reservare. Sed hoc est expresse contra legem Dei, quia Ecclesia debet pascere oves Christi, Johannis ultimo, et defendere contra quoscumque oppressores et inpugnantes. Ergo conditor constitutionis *Ad conditorem* vere heresiarcha et hereticus est censendus.

X. Preterea in constitutione *Ad conditorem* dicitur, hujusmodi dominium esse pernitiosum. Et sic reputat pernitiosum, quod factum est et adinventum per ipsum Christum et romanam Ecclesiam. Nam dominus Gregorius nonus et Alexander IIII et Nycolaus in decretali *Exiit* et dominus Innocentius quartus et Clemens quartus et plures alii romani pontifices in declaratione hoc dominium romane Ecclesie declarant. Ergo conditor constitutionis *Ad conditorem* vere hereticus est censendus aut omnes supradicti pontifices heretici fuerunt, quod nullatenus est sentiendum, set de isto potius, qui contrarium statuit veritati et omnibus supradictis.

XI. Preterea dicit constitutio supradicta, Ecclesiam romanam non plus habere velle in talibus, que nichil retinent in communi, quam in aliis mendicantibus habentibus in communi, quod est contra ra-

tionem voti et doni. Quo enim plus Deo et Ecclesie datur, Ecclesia ibi plus habet. Set professores altissime paupertatis plus dant, quia nichil sibi retinent vel in proprio vel in communi. Ergo Ecclesia plus accipit. Nisi velimus dicere, quod non habere in communi nichil facit ad perfectionis statum. Quod dictum esset contra Christum et apostolos, qui paupertatem altissimam servaverunt et servare docuerunt, professores ipsius et contra scripturas sacras. Et tunc Ecclesia diceretur approbare figmenta et destruere Christi jura, quod est omnino hereticum. Igitur conditor constitutionis *Ad conditorem* ex predictis omnibus et singulis vere hereticus est censendus.

29. — Item ipse est sacramentorum Christi impius prophanator atque contemptor et sacrorum canonum impius et temerarius violator atque subversor et generalis status Ecclesie subdolus et presumptuosus et temerarius inmutator multifarie multisque modis. Et de predictis monitus, quod se corrigat, omnino se corrigere non vult nec se correxit, immo est in predictis omnino incorrigibilis et sic hereticus notorius est censendus.

30. — Item Terre Sancte est impius et crudelis et thesauros pecuniarum, quos de diversis mundi partibus exegit et exigit et exigi facit, quos sancti predecessores sui statuerant atque decreverant in Terre Sancte subsidium convertendos et convertere consueverant, ipse in predictum subsidium non convertit, immo in effusionem impiam et crudelem sanguinis christiani et suo dolo seu lata culpa, que dolo comparanda est, dicte Terre Sancte debitum non facit subsidium et sic perditur continue et perdita est et devenit ad manus impiorum Sarracenorum inimicorum Terre Sancte et Dei, hostium fidei christiane, heu heu proth dolor, quibus in predictis et multis aliis favere videtur contra fidem catholicam et contra totum populum christianum. Et tamen pro predicto subsidio et ejus occasione per totum mundum exegit et exigi facit precipue in Alemanie partibus magnos pecuniarum thesauros et decimis duplicatis et triplicatis et de annalibus sive fructibus beneficiorum vacantium, quas et quos per totum quasi mundum exegit et exigi facit, precipue in regno Alemanie et regno Arelatensi et in diversis Ytalie partibus. Et tamen dicte Terre Sancte crudeliter non succurrit, immo proth dolor desolata omnino remanet absque aliquo subsidio vel succurso. Quod est contra fidem catholicam et contra omnes Christi fideles, qui christiano nomine decorantur, et in Dei contemptum et omnium Christi fidelium scandalum manifestum.

31. — Quibus sic propositis idem rex Ludwicus protestatus fuit,

dixit, juravit, provocavit, appellavit et supposuit legendo in scriptis, ut inferius continetur :

32. — Nos Ludwicus Dei gratia rex Romanorum semper augustus protestamur, quod predicta non proponimus nec dicimus propter odium aliquod ipsius, qui se dicit Johannem papam XXII, quia non habemus eum odio, set injustitias suas et maleficia sua predicta, nec injuriam et infamiam ipsius, sed propter zelum fidei et propter devotionem, quam habemus et sanctam Dei Ecclesiam, cujus defensor, patronus et advocatus existimus, quam sub dicti domini presidentia periculose deprimi ac deformationem enormem et jacturam pati videmus, compatientes sibi ab intimis, et propter sanctam fidem catholicam, que proth dolor languescit omnino sub ipso, et propter relevationem sacri imperii et principum suorum et vasallorum et devotorum ipsius, quod et quos defendere et tueri ex juramento tenemur, ad quorum exterminium ipse tendit, et nostram et nostrorum justitiam confovendam, quam opprimere injuste incepit et pro posse intendit, sed propter illa, que de ipso et factis ipsius audivimus et sensimus et ex verisimilibus conjecturis et probabilibus et ex factorum ipsius evidentia claret aperte et ex aliis quam plurimis articulis suo loco et tempore declarandis. Et ad sancta Dei ewangelia tacto libro juravimus, omnia et singula supradicta nos credere vera esse, et quod de predictis talia probari poterunt contra eum, quod secundum statuta sanctorum patrum sufficienter sufficient ad eumdem hereticum judicandum. Juramus etiam, nos pro viribus contra eumdem prosecuturum predicta in concilio generali congregando in loco tuto atque securo ad honorem Dei et exaltationem fidei christiane et sancte Dei Ecclesie et sacri imperii et principum et devotorum et vasallorum ipsius conservationem et augmentum Domino concedente. In quo nos favente Domino intendimus personaliter interesse, supponentes sacrum imperium et principes, nos, subditos et vasallos et devotos nostros et adherentes nobis et adherere volentes nunc et in futurum, bona sacri imperii et ipsorum et nostra et dignitates et status sacri imperii, nostra et ipsorum sub protectione divina et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus et dicti sacri congregandi concilii et sancte Ecclesie et apostolice Sedis et apostolici, catholici et legitimi futuri summi pontificis.

33. — Licet enim pudenda patris proprio libenter pallio tegeremus, ob favorem tamen catholice fidei et devotionem, quam ad sanctam Ecclesiam romanam matrem nostram habere tenemur, fidei negotio et Ecclesie statui consuli cupientes, pro vitando dispendio scandali

generalis nequeuntes urgente conscientia predicta et alias ipsius nequitias sub conniventia et dissimulatione transire, cum super predictis ex frequentibus et assiduis clamoribus per fidedignos sepe sepius inculcatis ejus opinio vehementer et notabiliter sit gravata, predictum concilium generale pro predictis congregari petimus et cum instantia petimus repetita. Ne autem dictus Johannes, qui animose et injuriose contra nos et sacrum imperium jam incepit procedere et processit ut dicitur nullo prorsus juris ordine observato et procedere gravius comminatur, inpedire satagens, ne sua in lucem veniant opera tenebrarum, convocationi hujusmodi et congregationi concili generalis directe vel indirecte impedimenta prestando vel alias, quin status sacri imperii et noster et nostrorum principum et subditorum ipsius in ipso integer existat, contra sacrum imperium, nos et statum nostrum et jura imperii et nostra et terras ipsorum et nostras, ecclesias, prelatos, principes ecclesiasticos et mundanos, barones et alios fideles, vasallos et subditos nostros et terras nostras et ipsorum et contra ipsum sacrum imperium et ipsius sacri imperii statum in aliquo spirituali gladio abutendo de facto procedat excommunicando, interdicendo, suspendendo, privando, transferendo vel alios quomodolibet ordinando, pro nobis et pro nobis adherentibus et nunc et in futurum adherere volentibus, cujuscumque status et conditionis existant ecclesiastice vel mundane, ad predictum generale concilium, quod instanter et cum instantia repetita in loco tuto nobis et nostris convocari petimus, et ad verum legitimum futurum summum pontificem et ad sanctam Ecclesiam matrem nostram et apostolicam Sedem vel ad alios, ad quem vel ad quos fuerit appellandum provocamus et appellamus in scriptis et appellationes per nos factas alibi innovamus et apostolos testimoniales a vobis principibus nostris ecclesiasticis et mundanis et notariis publicis hic presentibus cum instantia postulamus et iterum cum instantia postulamus. Ac protestamur expresse de innovando provocationes et appellationes et protestationes predictas, ubi, quando et sicut et coram quibus nobis visum fuerit expedire et de jure tenebimur atque debebimus pro tutela et securitate sacri imperii et nostra et omnium singulorum supradictorum. Acta et publicata fuit hec appellatio anno Domini MCCCXXIIII.

LXXV *bis*[1]

LUDOVICI IV IMPERATORIS APPELLATIO AD FUTURUM CONCILIUM GENERALE ADVERSUS JOANNEM PAPAM XXII; FORMA POSTERIOR IN CANCELLARIA REGIA REDACTA. — 22 mai 1324.

1. — Nos Lud[wicus] Dei gratia Romanorum rex semper augustus proponimus contra Johannem qui se dicit papam vicesimum secundum, quod inimicus sit pacis et intendat ad discordias et scandala suscitanda non solum in Ytalia, quod notorium est, set etiam in Alamania, suscitando prelatos et principes commovendo per nuncios frequentes et litteras et sollicitando, ut contra sacrum imperium et nos Lud[wicum] in imperatorem electum debeant gwerram movere et pro viribus rebellare. Et quod sator discordiarum et seminator zizanie sit inter Christi fideles, apparet manifestissime. Nam publico dicere dicitur, quod quando inter reges mundi et principes est discordia, tunc papa est verus papa et timetur ut papa et quilibet timet ipsum et facit quidquid vult libere, ex hoc se manifeste convincens sitire effusionem sanguinis christiani. Maxime autem dicere dicitur, quod discordia principum Alamanie et aliorum nobilium Alamanie et populi Alamanie sit salus et pax rom[anorum] pontificum et Ecclesie. Unde cum multiplicarentur in Alamania occasione electionum diversarum cedes, occisiones et vulnera et gwerre et sanguinis effusiones proth dolor innocentis, nunquam unam litteram vel qualemcumque nuntium misit ad obviandum predictis periculis atque malis, cum tamen multos haberet in partibus exactores et collectores peccuniarum pro ipso, quibus hoc committere sine aliquo suo onere potuisset, si voluisset vel sibi de hoc cura aliqua fuisset. Ostendens se per hoc facere contra doctrinam et vitam et exempla Christi, cujus vicarium se mentitur et dicit.

2. — Item actor omnis malitie factus simul et judex omnino subvertit judicium. Et tantum ipsum excecavit malitia publice et notorie, quod una clavium in ipso prorsus errante, insontes et pios et innocentes, justos atque fideles catholicos, sicut patet, in tota Lombardia et in diversis Ytalie partibus tanquam Paterenos et hereticos condempnavit. Ita quod longe plures, si veritatem conti-

1. Texte emprunté à l'édition de J. Schwalm, dans les *Monumenta Germaniae*, t. v, 2e partie, p. 745-754.

neret sua prava et iniqua sententia, heretici essent et hereticorum fautores, quam alii, cum generaliter omnes fideles imperii et devotos nulla alia causa obtenta, hoc ipso quod fideles sunt imperii, perperam et inique pronuntiat Paterenos, non attendens, quod tunc manet Petri privilegium, ubi ex ipsius fertur equitate judicium. Quod una autem clavium errat in ipso, patet, cum menbra Christi facit et judicat menbra dyaboli et veros catholicos tanquam veros hereticos condempnat et punit. Ipse autem Phariseorum sibi assumens supercilium putat se absolvere quos Deus ligat et ligare quos Deus absolvit, in hoc contra Deum et fidem catholicam et sacram scripturam et veritatem et justitiam faciendo.

3. — Item statuta et canones sanctorum patrum etiam declarativos veritatis fidei mutat et variat, prout vult, et ipsis apertissime contradicit, cum tamen inconvulsis radicibus vivat antiquitas, cui decreta patrum sanxerunt reverentiam, cum etiam hujusmodi declaratio inmutabilis sit omnino.

4. — Item per ista cogit homines ad desperationem et in errorem multipliciter mittit, cum tamen apostolica auctoritas tam errantes quam in errorem mittentes judicet condempnandos.

5. — Item non recogitat, quod beato Silvestro pape latenti tunc temporis in spelunca magnificentissime contulit Constantinus, quidquid Ecclesia libertatis habet hodie vel honoris. Ipse autem successor Silvestri ut dicit male respondet imperio de predictis, immo sacrum imperium exterminare conatur per fas et nefas et per omnem modum fideles et devotos suos destruere, sicut patet in processu nuper contra sacrum imperium et nos et justitiam nostram facto. In quo etiam abutitur notorie plenitudine potestatis, que nonnisi ad edificationem Ecclesie datur. Et cum non possit judicare nec debeat nisi secundum justitiam, malitiose et injuriose juris pervertit ordinem, processus suos fundando super notoriis que tamen non solum non sunt notoria, set manifeste falsa, ut in suis processibus clare patet.

6. — Item patet evidenter, quod in dicto processu, qui potius excessus est nuncupandus, omnino defuit per citata, quia nec fuimus presens nec per contumaciam absens nec aliqua de nobis facta fuit citatio, prout expostulat ordo juris, cum scriptura sacra testetur, non esse consuetudinem romanis pontificibus dampnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur presentes habeat accusatores locumque ad defendendum se accipiat ad abluenda crimina, et divina lex non judicat hominem, nisi audierit ab ipso prius et cognoverit, quid fecerit. Ipse autem jura divina et humana omnino subvertit.

Et breviter ipse pronuntiationis, que dicitur facta, tenor sententiam nullam esse decernit etiam propter defectum judicis, ut suo loco et tempore et coram quibus debebimus et ubi debebimus, manifestissime ostendemus et ostendetur.

7. — Item apparet evidenter intentio sua prava, que ad exterminium sacri imperii tendit et nostrum et principum et devotorum ipsius, cum constet rom[anum] imperiun a Deo preparatum ad preparationem et dilatationem ewangelii et ad catholicam fidem a cunctis malignis incursibus eruendam. Et sic sacri ewangelii est subversor notorius et destructor.

8. — Item constat, quod per istos et alios suos malignos processus, qui excessus verius dici possunt, tendit ad exterminium sacri imperii atque nostrum et principum imperii electorum et aliorum principum et devotorum imperii et libertatis et dignitatis ipsius et ad destructionem inconcussarum imperii consuetudinum, que apud nos pro jure indubitato servantur et servate sunt ab antiquo.

9. — Item archiepiscopatus, episcopatus et abbatias confert partialiter et indignis omnino, cujuscumque etatis sint, qualiscumque vite, dummodo sint imperio rebelles et inimici, quantumcumque sint naturaliter vasalli imperii. Nullus autem imperialis per ipsum potest quomodolibet promoveri, nisi forte se simulet sue inique voluntati contra imperium velle favere, quantumcumque dignus et sufficiens, quantumcumque peritus et doctus, quantumcumque bone et sancte vite. Et hoc egit et agit continue in contemptum Dei et in dampnum ecclesiarum et in periculum animarum et notorie in prejudicium sacri imperii et notabile prejudicium nostre justitie atque juris et imperii subditorum et devotorum ipsius.

10. — Item patet aperte in processu, si tamen processus dici possit, qui excessus potius est censendus, quem nuper fecisse dicitur quod ad exterminium et destructionem sacri tendit imperii et notabile prejudicium justitie nostre atque juris et ad perpetuum gravamen et prejudicium principum imperii electorum et ad destruendas et anullandas consuetudines imperii approbatas rationabiles et prescriptas et servatas in factis et processibus imperii ab eo tempore, cujus memoria contrarii non existit, ut patet in omnibus et singulis infrascriptis capitulis.

11. — Primo quia ille censetur in concordia electus ad imperium, qui a majori parte electorum, puta a quatuor electus fuerit. Et tamen cum nos fuerimus non solum a majori parte, immo a duabus partibus principum electorum electus, sicut notorium est, tamen

temerarius et falsitatis amator, et veritatis et justitie inimicus falso dicere dicitur, electionem nostram in discordia factam esse, quod est contra consuetudines approbatas imperii et in prejudicium principum imperii electorum et in prejudicium et gravamen sacri imperii atque nostrum et omnium Christi fidelium precipue Alamanie scandalum manifestum.

12. — Item cum consuetudo approbata imperii, que apud nos pro jure servatur, habeat manifeste, quod electus in loco ad eligendum regem Romanorum in imperatorem postmodum promovendum, videlicet in opido de Frankenf[urt] ab omnibus electoribus sive a majori parte ipsorum sive etiam a minori, dummodo fiat electio a duobus electoribus ibidem presentium ad minus et in die ad eligendum prefixa per eum, ad quem spectat prefigere, hujusmodi electus est habendus tanquam in vera concordia electus et sibi debet obediri ut regi a subditis et vasallis imperii et corona preberi sibi in Aquisgrani, quandocumque voluerit. Et si qui vasalli et fideles imperii eidem non obedierint, sunt ipso facto omnibus, que tenent ab imperio, privandi. Iste autem malignus maligne ad exterminium tendens sacri imperii et principum imperii electorum et destructionem et subversionem nostre justitie atque juris et consuetudinum et libertatum approbatarum imperii, electionem de nobis factam non solum a majori parte, immo a duabus partibus electorum et in loco de Frankenfort ad hoc antiquitus deputato et in die ad eligendum prefixa per eum, qui prefigere potuit, falso et mendaciter dicit esse in discordia celebratam et nos sic electum administrare non posse nec legittime administrasse et homagia et juramenta fidelitatum et jura alia imperii non potuisse exegisse nec posse recipere. Quod tamen constat in omnibus esse falsissimum et a veritate omnimode alienum et contra consuetudines predictas imperii approbatas.

13. — Item cum sic electus coronati fuerimus et inuncti in loco ad coronandum et inungendum reges Rom[anorum] electos in imperatores promovendos antiquitus deputato, videlicet in opido Aquisgrani, ex quo et electione predicta precedenti statim secundum predictas consuetudines approbatas que pro lege servantur, est electus verus rex Romanorum et sibi ut vero regi debet a subditis et vasallis imperii obediri et eidem homagia et fidelitatis juramenta prestari et jura imperii assignari. Iste autem malitiosus subversor canonum et jurium violator et consuetudinum predictarum, intendens totaliter ad exterminium sacri imperii et imperii libertatum et dignitatum et ad exterminium et anullationem principum imperii electorum

et omnium imperii subjectorum et Alamanie totius, falso dicitur affirmare in processu, si tamen processus dici potest, qui potius excessus est nuncupandus, quod nobis electis taliter et inunctis et coronatis in regem adhuc vacat imperium, cujus imperii sic vacantis regimen ad se ipsum asserit pertinere. Quod constat esse falsissimum et ab omni veritate omnino alienum, sicut ex predictis patere potest cuilibet intuenti. Et quod nos marchionatum Brandenburgensem, quem Magdeburgensem nominat, quem vacantem et ad imperium devolutum primogenito nostro cum consilio magno contulimus et alia multa, que fecimus et que ad ejusdem regni et imperii regimen spectare noscuntur, facere non potuimus et de facto fecimus et non de jure, et quod infra certum tempus revocare debeamus, quod fecimus. Quod constat esse omnino injustum et temerarium et iniquum et magna falsitate assertum et de profunditate summe malitie emanasse et contra Deum et justitiam et contra [jura] imperii atque nostra et contra consuetudines approbatas predictas et contra sacri imperii libertatem et dignitatem et utilitatem et contra jura et libertates principum imperii electorum et aliorum principum et Alamanie totius et omnium imperii subditorum et vasallorum et in prejudicium et gravamen prefati filii nostri marchionis Brandenburgen[sis] et contra justitiam suam et jura et aliorum, qui ex eisdem processibus quomodolibet lederentur.

14. — Item contineri dicitur in eodem processu, si processus dici possit, qui in veritate excessus notorius est censendus, cum omnimode veritate careat et totus sit et totaliter iniquitate et injustitia plenus, quod si vasallis nostris favemus, quos fovere et adjuvare juravimus et pro posse tenemur, qui contra Deum et justitiam et omnimodam equitatem in diversis partibus Ytalie et nulla alia occasione vel causa, nisi quia vasalli imperii existentes et in devotione imperii persistentes nomen imperii invocant, et suis malignis conatibus, quibus eos sibi contra Deum et justitiam subjicere et subjugare nititur per vias bellicas et a Dei sacerdotibus alienas et per tales circumventiones et fraudes et dolos varios et diversos, quos pudor est enarrare, ipsos conatur subjicere faucibus inimicorum suorum, quos filios Ecclesie nominat, crudeliter devorandos, se et suam justitiam pro posse juste et secundum Deum et veritatem defendunt, crimen, ut dicit, incurrimus fautorie, quod absit a seculo. Nos enim veri fideles atque katholici veri existentes tenemur et volumus fidem catholicam totis viribus defensare et defendere et veros hereticos et Paterenos et fautores, defensores et receptatores ipsorum totis vi-

ribus expugnare. Set si hoc volumus et velle debemus, sic nec decet nos pati nec volumus nec debemus, quod nostri vasalli et subditi imperii per vias malignas ac dolos et fraudes varias ac comenta diversa veri katholici et fideles christiani existentes falso et contra veritatem dicantur heretici, ut ipsos ex hoc hostium nequitia atque malitia destitutos multorum auxiliis, qui adherent eisdem, facilius valeat conculcare. Quin verius dici potest et justius, eos, qui falso et contra justitiam eis imponunt talia, excommunicatos fore et arguendos graviter ac etiam puniendos, cum falso imponentes talia sint de jure pena [eorum], quibus talia imponuntur, si vera essent, debita plectendi ac etiam puniendi. Et sic ipse talia perperam agens ac falso imponens et imponi faciens est potius pena consimili puniendus ac etiam condempnandus, cum ipse idem contra predictos sit accusator simul et judex et testis, prout est notorium toti mundo, non sine magno contemptu Dei et scandalo fidelium et prejudicio et gravamine imperii et imperii subditorum et devotorum. Maxime cum notorium sit taliter ut asserit judicatos de heresi, quod tamen nobis non constat nec constitit, fidem katholicam et articulos fidei et pertinentia ad ipsam et sacramenta Ecclesie et pertinentia ad ipsa et quidquid sancta Ecclesia tenet et predicat, publice coram populis et notariis publicis, quos de hoc rogaverunt conficere publica instrumenta, fuisse professos simpliciter atque fideliter, et hoc non obstante, ad testimonium suorum inimicorum capitalium, vilium personarum, qui possent legitima exceptione repelli, et per inimicos eis judices fuisse, ut dicitur, judicatos et non citatos omnino vel ad locum omnino notorie eis suspectum fuisse citatos, ubi sine mortis periculo non poterant comparere nec tenebantur de jure, eis nichilominus petentibus et in petitione persistentibus, tutum locum sibi assignari, in quo possent sine mortis periculo conparere, in quo conparere, prout et sicut et coram quibus de jure tenerentur, humiliter et devote offerendo, sicut in appellationibus et supplicationibus per eosdem et procuratores eorum per instrumenta publica factis continetur expresse. De quibus suo loco et tempore, ubi et quando, prout et coram quibus expedierit et de jure tenebimur et tenebuntur, parati sumus et parati sunt predicti facere plenam fidem etiam per publica instrumenta. Ex quo patet manifestissime injustitia et iniquitas notoria processuum predictorum, qui excessus dici potius possunt. Nos autem de jure et equitate tenemur et obligati sumus ad hoc proprio juramento, quod in coronatione nostra prestitimus, ab injustitiis et oppressionibus et callumpniis falso impositis ita vasallos

nostros et subditos defendere et tueri, sicut ipsi nos defendere et tueri tenentur. Et si non faceremus, contra Deum et justitiam faceremus et graviter erraremus.

15. — Preterea cum videremus et sentiremus et a fidedignis audiremus et per famam publicam ad nostram notitiam pervenisset, quod diverse partes imperii precipue in Ytalia, sicut est manifestum toti mundo nec aliqua potest tergiversatione celari, commote erant atque turbate, immo fere destructe propter falsam inpositionem heresum, quam predictus qui se Dei dicit vicarium diversis fidelibus et devotis imperii falso inposuerat et continue inponebat et faciebat inponi, videlicet civitatibus infrascriptis et majoribus fidelibus et vasallis imperii in eisdem, videlicet civitati Mediolanen[si], civitati Cuman[e], civitati Pergamen[si], civitati Cremonen[si], civitati Verzellen[si], civitati Novarien[si], civitati Papien[si], civitati Lauden[si], civitati Mantuan[ensi], civitati Montinen[si], civitati Veronen[si], civitati Vincencie, civitati Feltren[si], civitati Bellunen[si], civitati Placen[cie], civitati Parmen[si], civitati Brixien[si], civitati Alexandrie, civitati Terdonen[si], civitati Bebien[si] et diversis aliis villis et castris et locis, que dum prius per fideles imperii tenerentur, in omni pace erant atque quiete, tandem nonnulle ex eis vexate per gentes ejusdem domini et legati ipsius per intollerabiles eis gwerras, incendia, depopulationes et cedes, que etiam requisite, quod ad mandata sancte romane Ecclesie redirent, licet omnes predicte de jurisdictione temporali sacri imperii et nullius alterius esse noscantur, dum ad dicte Ecclesie redierunt fiducialiter et spe certa eis data quod bene tractarentur mandata, expulsis inde omnibus qui nomen sacri imperii invocabant, omnino crudeliter fractaque fide traditi sunt nequiter inimicorum suorum faucibus devorandi et pro libito dominandi. Ex quibus satis patet, quod idem fieri fecisset de omnibus aliis, si ad eorum potuisset dominium pervenire quod absit, ad quod totis nisibus est conatus. Et precipue Matheo Vicecomiti et domino Galeazeo Vicecomiti vicariis imperii in civitate Mediolan[ensi] et domino Cani de la Scala vicario imperii in civitate Veronensi atque Vicen[cie] et Passerino de Malacolsis vicario imperii in civitate Mantue et Mutine supradictis, devotis etiam nostris atque fidelibus Januensibus, qui in fidelitate imperii persistentes expulsi sunt nequiter et expulsi detinentur de civitate Janue per vicinos eorum, ipso domino jubente atque mandante et in omnibus favente, prout est notorium et omnibus manifestum, eamdem heresim et fautoriam falso et perperam conatur inponere et facere

inponi et civitatibus et terris, que detinentur per ipsos, videlicet civitati Sagone, civitati Nolane, civitati Albingane et omnibus singulis faventibus quoquo modo et assistentibus et auxilium et consilium et favorem prebentibus publice vel occulte, omnibus et singulis civitatibus et terris et nobilibus et vicariis antedictis sub quibusdam verborum involucris atque generalitatibus, que conprehendunt omnes imperii devotos atque fideles, precipue civitatem Lucanam et Castrucium de Interminellis vicarium imperii in eadem et civitatem Pysanam et nobilem virum comitem Nerium regentem civitatem predictam et civitatem Aretii et devotos et fideles imperii et nostros nobiles de Petramala et nonnullos alios marchiones, marchionem precipue Montisferrati et marchionem Saluciarum et marchionem de Ceva et omnes alios comites imperii palatinos et alios marchiones, comites et barones, qui omnes sicut veri katholici fidem katholicam firmiter credunt et simpliciter confitentur. Numquid devotos et fideles imperii sic crudeliter tractatos et inmaniter de tanto et tali scelere contra Deum et justitiam judicatos deberemus deserere a tot et tantis oppressionibus, tot et tantis calumpniis contra Deum et justitiam indefensos? Certe nequaquam. Cum manifestum sit et in corpore juris redactum imperatorum et principum antiquorum, quod neque occasione religionum heresumque questionum non permittantur provincie imperii conmoveri atque turbari aut aliter quadam preceptione injungi et subjugari provincias, immo providendum esse cum conpetenti utilitate fiscalibus et que facta sunt oportet diligentissime perscrutari et nullo modo permittere circa imperii preceptiones aliquid fieri occasione religionum vel heresum. Sed predictis heresibus Deo amabilis et decens et conveniens terminus detur, ut et orthodoxa fides custodiatur illesa et indempnitas juribus fiscalibus procuretur et devoti et subjecti imperii a predictis falsis inpositionibus illesi et inviolati serventur. Quanta autem hujusmodi sit conmotio totius provincie, quanta autem turbatio tot et tantarum et talium civitatum et tot et tantorum nobilium talis et tanta calumpniosa oppressio, quilibet sane mentis advertit.

16. — Item ipse non sequens [ejus] viam, cujus se dicit vicarium, set potius contraria agens barones et prelatos regni Alamanie vasallos imperii et nostros et plures principes et vasallos imperii et nostros de Ytalie partibus excitare nixus est et inducere per litteras atque nuncios frequentes, quod nobis et imperio rebellent et rebellantibus nobis adhereant, inducendo ipsos per hoc ad transgressionem juramentorum et fidei et effusionem non modicam quem ut crudelis

crudeliter sitit sanguinis christiani, sicut nobis constat et aliis constare potest et constabit suo loco et tempore per ipsius bullatas litteras et per delationes illorum, quibus talia commisit atque conmittit, qui sicut viri probi atque fideles sacri imperii atque nostri tales commissiones abhominantur et horrent. Non sunt hec pontificis opera, non vicarii ut se nominat Jhesu Christi, sed crudelis et diri tiranni, qui in profundum malorum noscitur descendisse et ad exterminium sacri imperii et nostrum tendere toto corde.

17. — Ad hoc autem venenum plenius evomendum in predicto processu sive excessu mandare dicitur subditis nostris ecclesiasticis et mundanis et secularibus, cujuscumque status vel conditionis existant, etiamsi regali vel alia quacumque prefulgea[n]t dignitate, sub penis gravibus inflictis ac etiam comminatis, ne nobis tanquam regi vel in regem Romanorum electo pareant vel intendant neve nobis prestent auxilium, consilium et favorem. Quod constat esse manifestissime iniquissimum et omnino injustum et inpium et ad effusionem gravem pertinere sanguinis christiani et contra nostram manifestam justitiam atque jura, ut ex predictis apparet, et contra libertatem et dignitatem et utilitatem sacri imperii et principum imperii electorum et aliorum principum et omnium imperii subjectorum et contra consuetudines imperii approbatas predictas, que pro lege servantur et servate sunt ab antiquo, precipue contra illam consuetudinem approbatam atque servatam ab eo tempore, cujus memoria contrarii non existit, qua cavetur, quod si vota principum, ad quos spectat eligere, ad eligendum convenientium dividantur in plures et duo et in discordia eligantur, alter electorum, qui potentior fuerit et prevaluerit, debeat obtinere. Sicut victoriam nobis contulit plenam atque plenissimam misericors Dominus, a quo est bellorum victoria, ut victo hoste et adversario conculcato potentiorem atque victorem nos fecit per misericordiam suam.

18. — Licet electio ejusdem adversarii nulla fuerit et sibi nullum jus tribuere potuerit nec nostre in aliquo derogare, quia a minori parte principum fuit electus, videlicet a duobus, et quia facta fuit ex intervallo post primam electionem nostram et ideo nulla nullum jus sibi tribuere potuit nec nostre in aliquo derogare. Item quia electio sua facta fuit non in loco debito de Frankenfurt et sic nulla de jure et per consuetudines imperii approbatas predictas. Item quia facta fuit non in termino et die prefixo ad eligendum per eum, ad quem spectat prefigere, et sic nulla per jura communia et per consuetudines imperii approbatas, que pro jure servantur. Item quia coronatus

fuit et inunctus in regem non in loco ad hoc antiquitus deputato, videlicet Aquisgrani. Et ex pluribus aliis rationibus evidentibus atque causis, quas numerare et exprimere non expedit velut notorias et omnibus manifestas.

19. — Diffusius autem patere dicitur veneni predicti effusio in excessu prefato totaliter iniquitatibus et injustitiis pleno, dum reservare sibi dicitur, quod possit dilatione pendente contra nos procedere, prout sibi videbitur expedire. Ex quo manifestissime patet odium notorium, quod ad sacrum imperium et nos gerit, et sua maligna intentio et manifesta iniquitas et injustitia judicantis et ex animo et ex ordine et ex causa.

20.— Item manifestissime patet, quod se sacro imperio et nobis prius inimicum se constituit capitalem, nos et devotos sacri imperii ubilibet persequendo et rebelles et hostes imperii ubilibet locorum publice et notorie confovendo, inimicorum nostrorum et sacri imperii continue utendo consiliis, immo se ipsum et actus suos et opera dirigendo in omnibus et per omnia consiliis eorumdem. Et post hec judicem nostrum se constituere nititur contra antiquos canones decernentes, quod suspecti et inimici judices esse non debent.

21. — Preterea cum constet et notorium sit, omnes reges Romanorum electos etiam in discordia, licet electio nostra haberi debeat omnino ex causis evidentibus pro concordi, prout superius est narratum, et tam Lottarius quam Chunradus, tam Philippus quam Otto, tam Rychardus, quam Alffonsus, tam Adolffus quam Albertus electi fuissent in discordia, tamen administraverunt imperium semper, sicut et potuerunt de jure. Nec per quemdam Romanorum pontificem presumptum fuit, quod per istum nuper noscitur adtemptatum in prejudicium et gravamen notorium sacri imperii atque nostri et principum electorum imperii et plurium principum aliorum.

22. — Preterea electione nostra a majori parte, immo a duabus partibus principum facta et que causis evidentibus et notoriis pro concordi debet haberi, nobilis vir Fridericus dux Austrie, licet non in loco electionis nec in die ad eligendum prefixa, a longe minori parte principum, videlicet a duobus tantummodo, se eligi fecit in regem. Et ex predicta electione non solum nos, qui de jure notorio poteramus et debebamus, possumus et debemus, administravimus, immo etiam ipse Fridericus. Cui in administratione sua ipse procedens, immo verius excedens favit pro posse, sicut notorium est et manifestum nec aliqua potest tergiversatione celari. Nunquam tamen non solum nobis, sicut nec debuit nec potuit, set nec ipsi Fri-

derico, quem administrare sciebat, administrationem quomodolibet interdixit. Cum tamen et ante assumptionem suam et post ipsam jam per annos octo et ultra administraverimus et administrare nos sciret notorie ac etiam evidenter, sicut poteramus et debebamus, possumus et debemus, ut patet ex supradictis. Ex quibus manifestissime patet, quod non justitiam, non veritatem prosequitur in predictis, sed ad predicta movetur animo iniquo et malo et ad plantandum in mundo discordias et scandala, per que sanguinis humani effusio possit sequi, quas totis viribus nisus est per universa mundi climata seminare.

23. — Item per diversas mundi partes et provincias persequens imperiales ac sacrum imperium parti eos inpungnanti favit et favet, prout est notorium toti mundo, ipsos filios Ecclesie karissimos appellando et conando pro viribus subjugare devotos imperii et fideles eorum faucibus devorandos, adeo quod se jactat, quod non remanebit in brevi de omnibus imperialibus et imperio adherentibus unus, quin ipsum destruxerit et confunderit, ita quod nemo de imperialibus et imperio adherentibus atque fidelibus remanebit, quod absit. Et nos ex juramento, quod in nostra coronatione prestitimus, tenemur et obligati sumus ad resistendum viriliter et obviandum impietati et crudelitati predicte, ne manus ipsius plene sanguine et animus ejus crudeliter sitiens sanguinem christianum possint complere et implere, quod circa predicta cogitaverunt, conceperunt atque ceperunt.

24. — Item ipse est sacramentorum Christi impius prophanator atque contemptor et sacrorum canonum impius et temerarius violator atque subversor et generalis status Ecclesie subdolus et presumptuosus et temerarius inmutator multifarie multisque modis? Et de predictis monitus, quod se corrigat, omnino se corrigere non vult nec se correxit, inmo est in predictis omnino incorrigibilis et sic hereticus notorius est censendus.

25. — Item Terre Sancte est impius, et crudelis et thesauros pecuniarum, quos de diversis mundi partibus exegit et exigit et exigi facit, quos sancti predecessores sui statuerant atque decreverant in Terre Sancte subsidium convertendos et convertere consueverant, ipse in predictum subsidium non convertit, immo in effusionem impiam et crudelem sanguinis christiani et suo dolo seu lata culpa, que dolo comparanda est, dicte Terre Sancte debitum non facit subsidium et sic perditur continue et perdita est et devenit ad manus impiorum Saracenorum inimicorum Terre Sancte et Dei, hostium fidei christiane,

heu heu proth dolor, quibus in predictis et multis aliis favere videtur contra fidem catholicam et contra totum populum christianum. Et tamen pro predicto subsidio et ejus occasione per totum mundum exegit et exigi facit precipue in Alamanie partibus magnos pecuniarum thesauros de decimis duplicatis et triplicatis et de annalibus sive fructibus beneficiorum vacantium, quas et quos per totum quasi mundum exegit et exigi facit, precipue in regno Alamanie et regno Arelatensi et in diversis Ytalie partibus. Et tamen dicte Terre Sancte crudeliter non succurrit, immo proth dolor desolata omnino remanet absque aliquo subsidio vel succursu. Quod est contra fidem katholicam et contra omnes Christi fideles, qui christiano nomine decorantur, et [in] Dei contemptum et omnium Christi fidelium scandalum manifestum.

26. — Item ipse non sequens ejus viam, cujus se dicit vicarium qui nascendo pacem annuntiare fecit in terris et vivendo pacem servavit et servari mandavit et finaliter pacem suis discipulis dereliquit, cum nobiles viros de Graifspach, de Truhendingen et de Nyffen comites ad legatum in Ytaliam legatos de nostro latere mitteremus facturos ejus ope et auxilio pacem et concordiam inter partes, que illic sibi bellum et duras gwerras movebant continue, ipsarum partium invitatione et pietatis officio excitati, ipse renitebat et bellum ac obsidionem fidelibus Mediolanensibus paravit et parari mandavit, sicut hoc in istis partibus est notorie manifestum. Quod tamen sue professioni minime congruebat, dictos comites in nostrum et ipsorum vel verius ipsius vituperium dimisit nimium inhoneste.

27. — Item ille crudelis usurpator jura principum imperii privata negocio indiscusso, parte inaudita nititur usurpare. Cum enim vacante imperio comiti palatino Reni de jure et approbata consuetudine imperii observata hactenus inconcusse presertim in partibus Alamanie competat jus administrandi jura imperii, feoda ecclesiastica et temporalia conferendi et cetera alia negocia disponendi, ipse in dicti principatus et principum suorum nimiam contendit in eorum injuriam, quod in nullum casum sibi competit, ad se administrationem vacantis imperii pertinere.

28. — Item idem palam et manifeste dixit, quod ipse ad conculcandum serpentem eneum, imperium Alamannorum, omni tempore suo pro viribus laborare vellet et intendere toto posse, sicut effectu operis declarat et conprobat tota die.

29. — Item nobis electis et administrantibus jura regni et imperii vicarios constituisse dicitur, ipsum imperium sic sibi usurpare

satagit et conatur et tanquam vulpis subdola nunc nobis, nunc duci Austrie, qui se ingessit ad imperium, se favere fraudulenter ostendit, ut nos ad invicem concitaret et ipse nobis contendentibus et invicem nos extenuantibus ipse partem suam redderet pinguiorem. Ille enim inimicus pacis, hostis imperii, qui venit mittere non pacem, set gladium, pro statuendis saltem treugis inter nos vel facienda pace vel discutienda justitia nec manus assercivit nec operam ullam dedit, diligens gwerras et sitiens sanguinem, ut animam suam inebriaret sanguine innocenti et circa occupationem vel subversionem imperii suos appetitus malivolos satiaret.

30. — Non suffecit autem sibi — vere hereticus est censendus.

31. — Nos Ludewicus Dei gratia Romanorum rex semper augustus protestamur, quod predicta non proponimus nec dicimus propter odium aliquod ipsius, qui se dicit Johannem papam XXII, quia non habemus eum odio, set injustitias suas et maleficia sua predicta, nec in injuriam et infamiam ipsius, set propter zelum fidei et propter devotionem, quam habemus ad sanctam Dei Ecclesiam, cujus defensor, patronus et advocatus existimus, quam sub dicti domini presidentia periculose deprimi ac deformationem enormem et jacturam pati videmus, compatientes sibi ab intimis, et propter sanctam fidem katholicam, que proth dolor languescit omnino sub ipso, et propter relevationem sacri imperii et principum suorum et vasallorum et devotorum ipsius, quod et quos defendere et tueri ex juramento tenemur, ad quorum exterminium ipse tendit, et nostram et nostrorum justitiam confovendam, quam opprimere injuste incepit et pro posse intendit, et propter illa, que de ipso et factis ipsius audivimus et sensimus et ex verisimilibus conjecturis et probabilibus et ex factorum ipsius evidentia claret aperte et ex aliis quam plurimis articulis suo loco et tempore declarandis. Et per juramentum quod prestitimus imperio dicimus, omnia et singula supradicta nos credere esse vera, et quod de predictis talia probari poterunt contra eum, quod secundum statuta sanctorum patrum sufficienter sufficient ad eumdem hereticum judicandum. Juramus etiam, nos pro viribus contra eumdem prosecuturum predicta in concilio generali congregando in loco tuto atque securo ad honorem Dei et exaltationem fidei christiane et sancte Dei Ecclesie et sacri imperii et principum et devotorum et vasallorum ipsius conservationem et augmentum Domino concedente. In quo nos favente Dōmino intendimus personaliter interesse, supponentes sacrum imperium et principes, nos, subditos et vasallos et devotos nostros et adherentes nobis et

adherere volentes nunc et in futurum, bona sacri imperii et ipsorum et nostra et dignitates et statum sacri imperii nostra et subditorum sub protectione divina et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus et dicti sacri congregandi concilii et sancte Ecclesie et apostolice Sedis et apostolici, katholici et legitimi futuri summi pontificis. Licet enim pudenda patris proprio libenter paleo tegeremus, ob favorem tamen katholice fidei et devotionem, quam ad sanctam Ecclesiam romanam matrem nostram habere tenemur, fidei negocio et Ecclesie statui consuli cupientes, pro vitando dispendio scandali generalis nequeuntes urgente conscientia predicta et alias ipsius nequitias sub conniventia et dissimulatione transire, cum super predictis ex frequentibus et assiduis clamoribus per fidedignos sepe sepius inculcatis ejus opinio vehementer et notabiliter sit gravata, predictum concilium generale pro predictis congregari petimus et cum instantia petimus repetita. Ne autem dictus Johannes, qui animose et injuriose contra nos et sacrum imperium jam incepit procedere et processit u[t dicitur] nullo prorsus juris ordine o[bservato et] procedere gravius conminatur, [impedire sa]tagens, ne sua in luce venia[nt opera tene]brarum, convocationi hujusmodi et [congregationi] concilii generalis directe vel indi[recte inpedi]menta prestando vel alias. quin status [sacri] imperii et noster et nostrorum principum et subditorum ipsius in ipso integer existat contra sacrum imperium, nos et statum nostrum et jura imperii et nostra et terras ipsorum et nostras, ecclesias, prelatos, principes ecclesiasticos et mundanos, barones et alios fideles, vasallos et subditos nostros et terras nostras et ipsorum et contra ipsum sacrum imperium et ipsius sacri imperii statum in aliquo spirituali gladio abutendo de facto procedat excommunicando, interdicendo, suspendendo, privando, transferendo vel alias quomodolibet ordinando, pro nobis et pro nobis adherentibus et nunc et in futurum adherere volentibus, cujuscumque status [et] conditionis existant ecclesiastice vel mundane, ad predictum generale concilium, quod instanter et cum instantia repetita in loco tuto nobis et nostris convocari petimus, et ad verum legitimum futurum summum pontificem et ad sanctam Ecclesiam matrem nostram et apostolicam Sedem vel ad alios, ad quem vel ad quos fuerit appellandum, provocamus et appellamus in scriptis et appellationes prius per nos factas innovamus et apostolos testimoniales a vobis principibus nostris ecclesiasticis et mundanis et notariis publicis hic presentibus cum instantia postulamus et iterum cum instantia postulamus. Ac protestamur expresse de innovando provocationes et ap-

pellationes et protestationes predictas, ubi, quando et sicut et coram quibus nobis visum fuerit expedire et de jure tenebimur atque debebimus pro tutela [et secu]ritate sacri imperii et nostra et omnium [singulorum s]upradictorum.

Lecte et inter[posite sunt] hee appellationes anno Domini [MCCCXXIIII], ind. VII, die XXII mensis [maii hor]a circa vesperas, in cappella [domus] habitationis fratrum ordinis sancte Marie Theutonicorum in Sachsenhusen et cet. Presentibus dominis Bertholdo seniore comite de Henenberg, Cunrado dicto de Eberstein, Arnoldo dicto de Heydelberg militibus, Nycolao dicto de Mylen, Craftone de Sultz commendatore domus in Frankenvord, Bertholdo decano, Reynhardo cantore, Heyil[manno] dicto Rana plebano et canonico ecclesie Frank[envordensis], magistro Friderico dicto de Sultz doctore decretorum canonico ecclesie Babinburgen[sis], magistro Ulrico prothonotario regis, magistro Heinrico dicto de Aldendorf canonico Worm[atiensi], magistro Heinrico de Husen canonico Sancti Andree Frisingie, Ottone de Werde canonico ecclesie Pysane, Heinrico plebano de Phullindorf Const[antiensis] dyoc[esis], Bertholdo de Erdintingen canonico Sancti Viti Frisingie et Symone dicto Nodersdorfer de Monacho clerico Frisingen[sis] dyoc[esis] et cet.

LXXVI

Ludovici IV imperatoris processus[1] contra Johannem XXII. Rome, 18 avril 1328.

Ludovicus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus. Ad eternam rei memoriam.

1. — Gloriosus Deus et sublimis dominantium dominus nulli secundus, qui universa propter semetipsum operatus est, impium quoque ad diem malum, sacerdotium et imperium independenter principians et conservans, ut hoc quidem divina exerceat, illud autem humanis presideat rempublicam sibi traditam recte ac magnifice gubernando, nos Ludovicum quartum Romanorum imperatorem semper augustum in imperialis culmine majestatis constituit et in hoc quia nos in principem super hereditatem suam inunxit ut

1. On a reproduit le texte de J. Schwalm, *Constitutiones et acta publica*, Hannovre, 1914, t. VI, pars 1a, n. 436, p. 344.

de manibus inimicorum suum populum liberemus, exaltans nos super gentes et regna, ut pacis subversores disperdamus ubique, zelatores vero ejusdem plantemus et edificemus, creans fructum labiorum nostrorum pacem hiis qui longe sunt et hiis qui prope. Eapropter ex imperialis celsitudinis debito excessus enormes Jacobi de Caturco, qui nunc se papam licet mendaciter asserere non veretur, dissimulatione diuturniori nullatenus sufferre volentes, innato moti justitie zelo nunc preeminentia majestatis imperialis adaucto domum paternam filiosque nostros carissimos impuberes hostilium incursuum discriminibus jam actu expositos fortune periculis committentes celeri cursu in Italiam venimus ad sedem nostram precipuam Romam videlicet properantes. Quam divino suffulti auxilio pacifice attigimus nulla hostili resistentia prepediti, universis terrarum quas pertransivimus incolis ab omni dampno atque disturbio preservatis. In qua siquidem Urbe divina opitulante providentia cesareo diademate ac sceptro legitime susceptis per nostrum Romanum peculiarem populum Urbi et orbi Dei ac nostra potentia invincibili presidemus, ut manus nostre fortitudine triumphali rebelles, qui pro nunc a nobis suo domino naturali longe sunt, corripiamus potenter fidelesque nostros ab angariis et persecutionibus tyrannicis insuperabili potestate Dei et nostra efficaciter eruamus.

2. — Animadvertimus equidem hujusmodi transgressiones rebellium ex violenti usurpatoris se nunc papam nominantis falcem suam in alienam messem mittentis certa nequitia provenisse, quem elevatum ad instar Adonie filii Agith exemplo David hactenus non corripuimus, nunc vero perpendimus quod ferro necesse est, ut abscindantur vulnera fomentorum, que non senserunt medicinam. Prospeximus etiam quod in immensum crescit impunita temeritas et facilitas venie dicto Jacobo incentivum prestitit delinquendi, dum sibi de collectis inique thesauris currus fecit et equites adversus Christi ac sacri imperii fideles sub specie subsidii Terre Sancte, thesauris inquam jam per multos annos de omnibus finibus Ecclesie ac talliis seu questu a clero violenter extortis necnon symoniacis beneficiorum ecclesiasticorum distributionibus collatorum etate, vita et scientia penitus immeritis et indignis ac mentitis gratiis seu indulgentiis peccatorum, quas pro stipendiis pollicetur nefariis homicidis, scismata pestifera effreni rebellione non desinens in nostro sacro imperio suis dolosis astutiis seminare, utens consilio et auxilio execrabili Joab principis militie, scilicet cujuslibet fautoris dissidiorum et ex Joab interpretatione, et hoc in personis principum secularium,

precipue dolosi Joab Roberti jam dudum propter crimen lese majestatis per fel[icis] rec[ordationis] Henricum ultimum pena proscriptionis dampnati aliorumque principum quorumdam sibi toto posse et nosse faventium in sacri destructionem imperii, quod ad sublimationem cornu Christi id est libere professionis fidei catholice divinitus noscitur institutum, inherens etiam consilio et auxilio Abiathar sacerdotis, qui peccatum suscitans interpretatur, et hoc in personis ministrorum spiritualium seu ecclesiasticorum, qui ad similitudinem filiorum Hely carnis crude seu cruentate violenti exactores existunt, in effusione humani sanguinis ad mandata predicti Jacobi se papam confingentis utentes quinimmo abutentes gladio temporali, a quo tamen Dei et sanctorum patrum sanctionibus exclusi esse noscuntur, nescientes Dominum nec officium sacerdotum ad populum. Prophanat igitur in eisdem hic vir sanguinum sacerdotium Christi, manus cardinalium in Italia legatorum, patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, abbatum aliorumque inferiorum graduum sanguine replendo homicidiis infinitis. Ex quibus profecto evidenter agnoscimus sacrum imperium in defensione evangelii pacis a Deo ab eterno provisum per hunc misticum antichristum, qui se papam nominat, si quod absit effrenis ejus rabies inulta procederet, irreparabiliter exterminari.

3. — Iste nimirum vere dicitur misticus antichristus, quoniam ipse fervens secundum operationem Sathane in omni seditione, iniquitate, dissensione, que secundum apostolum antichristi adventum precedent, velut ejusdem precursor immediatus indefessus satagit accelerare ad subversionem seu extinctionem fidei orthodoxe cede crudelissima christicolarum innumerabilium, quam antichristus potestate publice violentie perficiet. Hanc iste molitur sub specie mentite justitie cum notoria violentia consumare, dum non solum in Italia, verum etiam in plerisque infidelium confiniis, Saracenorum videlicet in regno Armenie et Ruthenorum in diocesi Tevertinensi succursum a Christi fidelibus dictorum confinium in foribus palatii hujus aspidis surde Avinioni videlicet clamore valido per annos quinque miserabiliter imploratum perperam denegavit et quod proh dolor aures humane refugiunt, observationem treugarum cum infidelibus in confinio Prussie preceptori generali domus Sancte Marie districtissime injunxit, id agere in augumentum fidei christiane licet mendaciter se pretendens, quod in ejusdem fidei conceperat notorium detrimentum. Ex hoc enim pernitioso figmento quanta fuerit occisio fidelium in infantibus vagientibus in cunabulis,

in viris et mulieribus innumeris perfidorum mucronibus trucidatis multisque in perpetuam captivitatem adductis quantaque lamentatio in sanctimonialibus ac Deo dicatis virginibus defloratis, in viduis et maritatis post tergum manibus ligatis ad arbores violenter oppressis, quanta insuper ecclesiarum et sacramentorum, maxime pretiosissimi et venerandissimi sacri corporis Christi prophanatio facta fuerit, dum ipsum lanceis perforatum et elevatum Christo et omnibus christicolis blaspheme ac dementer exprobraverint dicentes : « Ecce Deus christianorum », marchia Brandeburgensis plorans filios et filias lamentabiliter querulatur. Factus est igitur persecutor iste nequissimus predo in domesticos, plebis interemptor, occisor filiorum, in proprios parricida, prout insuper facti alterius evidentia declaravit, dum galeas quam plures in subsidium catholici regis Armenie ac totius sui populi contra Sarracenos per magnificum Francorum regem transmissas in occisionem christianorum nostro subjectorum imperio, Januensium videlicet callide ac dolose pervertit et nequiter usurpavit.

4. — Numquid ergo bene iste pseudopropheta in Apocalipsi describitur sub figura sedentis in equo rufo qui exivit, ut sumeret pacem de terra et ut homines invicem se interficerent, terram proh dolor inebrians ovium Christi sanguine, venam fontis pietatis et clementie funditus arefaciens, in qua tamen vena discipline Christi summa consistit. Adhuc autem pseudo iste propheta se esse veritatis evangelice ac Dei ordinationis publicum subversorem evidentissime declaravit, dum doctrinam Christi et apostolorum verbo traditam et exemplo firmatam de superioritate ac dominio et gubernatione temporalium imperiali celsitudini debita et nostris fidelibus obedientiam legitimam transgredi precepit, ipsam superioritatem sibi superbie fastibus usurpando, attentans et satagens quamvis illicite imperialem et sacerdotalem simul dignitatem et potestatem habere, quas Christus ipse in suppositis voluit esse distinctas, dum ostenso sibi numismate Cesaris ymagine figurato ea que sunt Cesaris, dominationem videlicet temporalium in usualis numismatis redditione signatam, Cesari jussit reddi, quod quidem numisma in hujus dominationis evidentiam solum imperiali auctoritate ubique cuditur et formatur, ea vero que Dei sunt Deo reddi precepit, adjiciens « et que sunt Dei Deo ». Amplius Christus ipse se nolle imperatoris et sacerdotis officium insimul ab ullo ejus vicario seu ministro ullatenus possideri per facti evidentiam propalavit, dum ipse cui soli, quia verus Deus et verus homo, data fuit in celo et in terra universa potestas regnum seu imperium terrenum et omne dominium temporale a se penitus abdicavit,

prout Johannes evangelista testatur, ubi ait : « Jesus autem cum cognovisset, quod venturi essent, ut raperent eum et facerent eum regem, fugit iterum in montem solus », quod et alibi Christus expressius innuit ubi dicitur : « Regnum meum non est de hoc mundo », subjungens : « Si de hoc mundo esset, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judeis » et sequitur : « Nunc autem regnum meum non est hinc. » Cui etiam decretiste assentiunt dicentes papam non habere utramque jurisdictionem, quoniam a Deo ex ipsa electione jurisdictionem et potestatem in temporalibus nos solus recipimus, unde eo ipso quod sumus electi, sumus etiam confirmati, nulla prorsus confirmatione fienda per hominem indigentes. Ex quibus hic veritatis evangelice et pacis ecclesiastice emulus indefessus Jacobus antedictus notorie deprehensus est non ad voces propheticas, non ad series evangelicas, sed ad suum reprobum sensum tamquam magister erroris seu heresiarcha notorius perfide recurrere, maxime in processibus immo potius excessibus contra sacrum imperium in persona nostra productis, in quibus convincitur evangelice veritatis quantum ad potestates per Christum discretas impugnator et subversor notorius extitisse ipsosque suos vocatos processus nullos esse et nullius firmitatis efficaciam habuisse cogitur confiteri, presertim cum dictos processus vocatos ea notoria injusta occasione confinxerit, quoniam sacrum Romanum imperium quoad temporalium administrationem noluimus sicut nec debuimus recognoscere eidem fore subjectum.

5. — Sanctionibus itaque sanctorum patrum edocti, recognoscentes nos soli Deo reddituros rationem propter Ecclesiam, quam pro Christo tuendam suscepimus, si pax seu disciplina ecclesiastica solvatur aut perturbetur, universalem statum Ecclesie sancte Dei ac sacri imperii per hunc scismaticum Jacobum videlicet antedictum a pace et disciplina destitutum restituere cupientes, ne sit inter nos christicolas pacis et concordie professores radix germinans fel et amaritudinem universalis scismatis, ob reverentiam et honorem sacrosancte romane et totius Ecclesie Dei et in defensionem fidei orthodoxe quam firmiter credimus, prout eadem nostra mater Ecclesia nos hodie erudit et hactenus erudivit, necnon in succursum venerabilium patrum cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum omniumque spiritualium ministrorum ad correctionem furentis rabiei Jacobi sepedicti summe necessarium, quia dictum collegium cardinalium metu in constantem cadente totaque sacerdotum communitas metu privationis officiorum et beneficiorum hactenus efficere non potuit nec adhuc effecit per sermonem doctrine, nobisque incumbat ut eum

imperemus per debiti supplicii rigorem propter notoriam dissipationem ecclesiastice discipline, cui heresiarcha prefatus invigilat indefesse, inspicientes quod ille symoniacus electiones de pastoribus canonice factas scientia et vita seu honestate morum et dogmate decoratis frequentius annullare presumit, ipsas cathedrales ecclesias electionibus privando sueque corrupte voluntati contra Deum et juris ordinem reservando, quas etiam provisiones ideo sibi reservat, ne pastores vite irreprehensibilis inquietorum correctores bonorumque operum in doctrina et integritate exemplatores in Dei Ecclesia preficiantur, sed magis homines inhonesti, discipline ecclesiastice notorii transgressores, omne id quod legis, quod morum, sanctimonie in Christi ovibus corrumpentes, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras, dum prohibita licita et licita prohibita docent et asserunt, absolventes exemplo illius sui morbidi et vesani capitis quos Deus ligat in homicidiis ac perjuriis per fautores hujus heresiarche infinities perpetratis, adhuc autem quod et ipsi Deo et justis hominibus non modicum displicet, hanc sacratissimam gentem et urbem Romanam, videlicet quam Christus ipse in gentem sanctam, genus electum, regale sacerdotium ac populum acquisitionis incommutabiliter preelegit, sua personali presentia tota sui vicariatus duratione privavit contra expressam Christi prohibitionem in beati Petri apostoli revocatione salubriter exemplatam, dum apparente sibi Christo et Petro interrogante : « Domine quo vadis? » Christus respondit : « Vado Romam iterum crucifigi », quamvis pro habenda illius Jacobi presentia Romanus populus pluries miserit ambaxiatas sollempnes, nec hiis contentus criminator iste contra hunc Christi peculiarem populum tamquam contra perfidos crucem predicat nullo prorsus exigente delicto populi antedicti ipsumque innocentem populum iniquissimis processibus notorie diffamare presumit.

6. — Quapropter cum hic prevaricator nepharius divine dispositionis ordinem sacerdotio et imperio prestitum publice impugnaverit statu sui vicariatus abutens enormiter, dum gladio sanguinis uti precipit pro gladio spiritus quod est verbum Dei, hinc est quod nos zelo justitie atque reipublice, quam exornare et ad optima queque perducere concupiscimus, auctoritate nobis in hoc casu celitus ordinata contra quoslibet fidei ac veritatis sancte matris Ecclesie turbatores, quam siquidem auctoritatem divina voluntas Petro apostolo teste regali seu imperiali precellentie concessit in vindictam malorum, laudem vero bonorum, propter quod etiam secundum apostolum non sine causa gladium portamus, quia Dei minister sumus et judex

in iram ei qui malum agit existimus, prefatum Jacobum, cui cum sit veritatis evangelice notorius contradictor et manifeste hereticus purgatio canonica rigore juris nequaquam est indicenda, predecessorum nostrorum videlicet Ottonis primi, qui cum clero et populo Romano Johannem XII deposuit a papatu et cum prefato clero et populo de alio pastore Urbi et orbi providit, et aliorum quamplurium imperatorum vestigiis inherere volentes, ipsum Jacobum in heresi deprehensum tam ex facti evidentia, quia heresim publice predicat perfectionem altissime paupertatis in Christo penitus denegando, ex quo sequeretur Christum non fuisse perfectissimum viatorem, quam ex confessione propria, ut liquet ex iniquis ac temerariis vocatis processibus ab ipso contra sacrum imperium in nostra persona factis, in quibus profecto Dei ordinationi resistit sibique dampnationem acquirit et se ipsum pro crimine lese majestatis reatu plectendum constituit, eo quod indigne gerit et gessit vicariatus officium ab eo tempore, quo in alterum criminum predictorum dignoscitur notorie lapsus fuisse, a Christo privatum esse et fuisse denunciamus nostreque imperialis auctoritatis sententia episcopatu Romano et universali Ecclesia Dei seu papatu tenore presentium privamus et ab eodem deponimus in hiis scriptis, sententia inquam lata de communi consilio, consensu et requisitione cleri et populi Romani, nostrorum principum et Ecclesie prelatorum tam Alamanorum quam Italicorum aliorumque fidelium plurimorum, moti nichilominus et inducti supplicationibus atque instantiis plurimis syndicorum cleri et populi Romani plenam ad hoc ejusdem cleri et populi Romani habentium auctoritatem et liberam potestatem ac speciale mandatum, prout apparet ex oblatis majestati nostre sindicatus eorum publicis instrumentis sigillis sepedicti cleri et populi Romani signatis, quas quidem supplicationes et instantias propter nostre salutis eterne dispendium noluimus, sicut nec debuimus recusare. Unde sepedictum Jacobum omnis ecclesiastici ordinis prerogativa nudatum et officio ac beneficio spoliatum tenore presentium subjicimus secularis nostrorum ministrorum arbitrio potestatis, ab omnibus feudatariis et justitiariis nostri sacri imperii, ubicumque deprehensus fuerit, velut hereticum animadversione debita puniendum.

7. — Decernimus insuper auctoritate qua supra omnes vocatas sententias aut edicta, cetera quoque pronuntiata vel pronuntianda sermone vel scripto per supradictum Jacobum de Caturco aut ejus complices, legatos, officiales sive ministros adversus nostros fideles seu nobis adherentes, principes, communitates, collegia et singulares

personas tamquam per hereticum et lese majestatis crimine dampnatum aut heretici seu dampnati fautores latas vel ferendas harumque tam latarum quam ferendarum minime auctoritatem habentes nullas fuisse, nullas esse nullasque futuras nullamque sententie aut alterius scripti vel dicti quemquam obligantis habuisse vel habere aut habituras fore virtutem a tempore quo dictus Jacobus in alterum criminum predictorum noscitur incidisse. Volentes rursum, prout viis juris dirigimur et cogimur, de pastore catholico huic Urbi et orbi una cum clero et populo Romano omni more superflue dilatione postposita providere, quemadmodum nobis de jure competere plenarie demonstravimus in premissis. Prefatum vero Jacobum tamquam in heresi notorie deprehensum precipimus sub penis infrascriptis a christicolis omnibus inexcusabiliter evitari. Si qui autem deinceps quod absit ad ipsum sic dampnatum favore, consilio vel auxilio, credulitate vel obedientia declinaverint, omnes tales cujuscumque conditionis existant tam prelatos ecclesiasticos quam principes seculares, barones, nobiles et ignobiles, quocumque nomine seu titulo censeantur, qui ab hujusmodi contumacia infra unius mensis spatium quoad Italicos et infra spatium duorum mensium quoad alios nostros subjectos imperio a publicatione presentium contempserint revocare, privatione omnium feudorum, que a sacro tenent imperio, quorum una medietas imperiali fisco, reliqua vero camere urbis Romane applicabitur, nostra presenti sententia condempnamus penasque proscriptionis rerum et personarum infligimus per presentes. Omnes nichilominus libertates, immunitates atque privilegia per nos aut predecessores nostros ipsis concessa cassantes tenore presentium revocamus.

8. — Ad hujusmodi autem nostri imperialis edicti sive processus executionem efficacem sub pena privationis rerum et personarum necnon et sub pena infamie perpetue universos nostros feudatarios ac justitiarios nostri sacri imperii a publicatione presentium infra mensem quoad Italicos et infra duos menses quoad alios nostro subjectos imperio volumus, decernimus et statuimus irrevocabiliter obligari. Ad quorum omnium notitiam, testimonium atque fidem presentem processum conscribi precepimus et ipsum nostre imperialis majestatis bulla aurea signoque nostro imperiali consueto jussimus communiri, cui etiam et ad fines predictos sigilla cleri et populi Romani sunt apposita.

Publicatus est autem iste processus coram clero et populo Romano, presentibus testibus infrascriptis ad hoc specialiter vocatis, videlicet

principibus tam ecclesiasticis quam secularibus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, baronibus, ingenuis, nobilibus et ignobilibus nobis ibidem assistentibus, quorum nomina sigillatim prolixitatem evitantes presentibus noluimus explicari.

Dat. et act. extra basilicam apostolorum principis beati Petri in urbe Romana, cuncto clero et populo Romano in platea ibidem in parlamento publico congregato, decimo octavo die mensis aprilis, anno ab incarnatione Domini MCCCXXVIII, indict. XI, regni nostri anno quartodecimo, imperii vero primo.

LXXVII

SENTENTIA[1] LUDOVICI IV IMPERATORIS ADVERSUS JOANNEM CORRECTA ET EMENDATA. — Pise, 13 décembre 1328.

Ludovicus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus universis et singulis ecclesiarum prelatis, cujuscumque dignitatis, officii, ordinis, religionis, conditionis aut status existant, etiamsi locum seu statum cardinalatus sive pontificalis dignitatis aut officii quomodolibet obtinerent, necnon principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, vicariis, potestatibus, rectoribus, officialibus ac aliis presidentibus, quocumque nomine censeantur, imperii nostri fidelibus gratiam suam et omne bonum.

Pridem contra Jacobum de Caturcho hereticum notorium et manifestum, qui se papam XXII appellat, de magno et maturo consilio exigente justitia processum quemdam fecimus formam et tenorem hujusmodi continentem :

Ludovicus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus. Ad perpetuam rei memoriam.

1. — Cunctos populos, quos clementie nostre regit imperium, in tali volumus fide et religione versari, qualem divinissimos apostolos beatos Petrum et Paulum tradidisse Romanis religio usque adhuc ab ipsis insinuata declarat quamque sancti patres romani pontifices ipsius beati Petri legitimi successores, quos in omnibus sequimur, docuerunt et sancta romana Ecclesia hactenus predicavit et incon-

1. On a reproduit le texte de J. Schwalm, *Constitutiones et acta publica*, t. VI, pars 1ª, n. 528, p. 437, et n. 437, p. 350.

vulse noscitur custodisse, cujus ipse Dei filius dominus Jhesus Christus est perpetuum ac stabile fundamentum. Et in ea duo statuit genera hominum salvandorum, primum eorum qui per fidem rectam et mandatorum legis observantiam merentur ad eternam beatitudinem pervenire, de quo in evangelio dicit : « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata », secundum illorum qui cupientes etiam in consiliis evangelicis vitam Christi et apostolorum ejus perfecte sequi vivere in obedientia sine proprio et in castitate spontanea voluntate promittunt, de quo in evangelio dicit : « Si vis perfectus esse, vade et vende omnia que habes et da pauperibus et veni et sequere me. » Que tria evangelica consilia secundum sancte romane Ecclesie doctrinam adeo sunt essentialia cuilibet religioni perfecte, ut contra ea nec summus pontifex possit licentiam indulgere. Huic confessioni huic fidei quicumque contradictor extiterit, alienum a doctrina evangelii, alienum se esse ab Ecclesia catholica judicavit. Hec est illa fides et doctrina, adversus quam, ut Salvator predixit in evangelio, circa finem seculi pseudochristi et pseudoapostoli consurgent et multos seducent, per eos hereticos mentientes se vicem gerere Christi et apostolorum ejus et contra Ecclesiam et Christi doctrinam insurgentes insinuans, sed adversus eam non prevalituros, quia ipse rogavit, ut non deficiat fides ejus.

2. — Porro istis diebus novissimis pseudopapa Jacobus de Caturcho, qui se papam Johannem XXII appellat, a sollicitudine et cupiditate nimia divitiarum hujus seculi, que teste evangelio verbum Dei suffocant, exsecatus adversus hanc saluberrimam et preclarissimam christiane fidei et doctrine evangelice veritatem nequiter insurrexit. Et inter sua cetera dogmata, facta et gesta hereticalia etiam tria detestanda statuta publice edere et per universum mundum divulgare presumpsit, in quibus multos errores dogmatizat dicte fidei catholice et doctrine et vite evangelice et apostolice multipliciter adversantes. Quorum statutorum primum incipit « Ad conditorem », secundum « Cum inter nonnullos », tertium « Quia quorumdam ». Quas hereses etiam post et contra plures appellationes adversus eum ob hanc causam tam per nos quam per ordinem fratrum Minorum zelo fidei catholice legitime et sollempniter ad sanctam romanam Ecclesiam interjectas nisus est et continue nititur pertinaciter defensare. Ex quibus erroribus aliquos presentibus duximus annotandos, ut in omnium fidelium notitiam publicam deducantur.

1. Primus itaque error hereticalis, qui de dicti statuti « Ad conditorem » officina tenebrosa prorumpit, est quod religiosi, qui secundum

doctrinam evangelicam et apostolicam, ut perfecti sint, sine proprio vivere profitentur, in omnibus rebus que usu consumuntur non sunt censendi simplices usuarii sive simplicem habere facti usum a proprietate rei sive dominio separatum, quia ut in dicto statuto « Ad conditorem » dogmatizat et asserit, in talibus rebus que usu consumuntur usus juris vel facti non potest a proprietate rei seu dominio separari nec in eis jus utendi nec usus facti separata a rei proprietate seu dominio possunt constitui vel haberi. Qui quidem error scripture sacre, per quam fidei catholice probantur articuli et doctrine, et vite evangelice et apostolice et sancte romane Ecclesie obviat manifeste. Nam cum sacra scriptura testetur apostolos omnia reliquisse, dicente sancto Petro apostolo in persona omnium apostolorum, prout legitur in evangelio : « Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te », et manifestum existat, quod apostoli usum rerum consumptibilium usu, que ad vite humane sustentationem necessario requiruntur, sicut sunt alimenta et vestimenta, de quibus dicit apostolus : « Habentes alimenta et tegumenta hiis contenti sumus », nullatenus reliquerunt, quia usus rerum hujusmodi cadit sub precepto juris naturalis et divini, per quod ad esse nature conservandum est quilibet indispensabiliter obligatus, quodque ipsi apostoli eorumque discipuli jus proprietatis, per quod quis dixit « hoc meum et illud tuum », quod per iniquitatem extitit introductum, in rebus omnibus reliquerunt, prout etiam sanctus Clemens beati Petri successor testatur, cujus dictum in decretis XII causa q. I reperitur insertum, et hoc votum abdicationis proprietatis omnium rerum ipsi apostoli potentissime voverunt, prout etiam Augustinus XVII de civitate Dei aperte testatur, et qui dixit « omnia reliquimus » nichil quod licite relinqui possit excepit, unde sanctus Gregorius Ecclesie sancte doctor exponens illud evangelii : « relictis retibus secuti sunt eum », dicit : « multum reliquit qui sibi nichil retinuit, qui quantumlibet parum totum deseruit », concluditur evidenter ex hiis, quod apostoli et ceteri religiosi secundum doctrinam apostolicam sine proprio vivere profitentes, qui testante canone figuram tenent apostolorum et eorum vitam veraciter imitantur, in omnibus rebus usu consumptibilibus et non consumptibilibus simplicem usum facti licitum habuerunt et habent absque proprietate et dominio sive a proprietate et dominio separatum. In Actibus etiam apostolorum II et III cap. tantum reperitur de multitudine illa credentium, que in vivendo sine proprio doctrinam et vitam apostolorum sequebatur, quod ipsi res usu non consumptibiles, videlicet possessiones, agros, domus et substantias

vendebant et sic nec in speciali nec in communitate eorum res ipsas aliquatenus retinebant. Illas autem res, quas lex de rebus usu consumptibilibus esse testatur, scilicet pecunias pro pretio rerum venditarum acceptas offerebant et ponebant ante pedes apostolorum et dividebatur singulis, prout cuique opus erat, et panes frangebant circa domos sumentes cibum cum exultatione. Et tamen nullus eorum de hiis rebus usu consumptibilibus scilicet pecunia et panibus, de quibus ibi habetur mentio specialis, aliquid suum esse dicebat, quod verbum scilicet « suum » exponentes sancti doctores Ecclesie dicunt, quod nullus ex eis aliquid sibi fore proprium asserebat. Et etiam glos. or. ibidem dicit : « Indicium fraterni amoris est nichil proprium habere et omnia possidere. » Ex quo manifeste patet quod quilibet illorum de multitudine predicta habebat usum rerum usu consumptibilium absque proprietate et dominio seu a proprietate et dominio separatum ac per consequens, quod in talibus rebus usus facti haberi potest licite absque proprietate et dominio sive a proprietate et dominio separatus. Sancta etiam romana Ecclesia in sacris canonibus manifeste testatur et docet, quod religiosi servi et persone in aliena potestate constitute etiam in rebus usu consumptibilibus habent simplicem usum facti licitum absque proprietate et dominio sive a proprietate et dominio separatum. Unde contrarium dicere scripture sacre et vite evangelice et apostolice et doctrine sancte Ecclesie obviat et repugnat et omnem religionem, que vovit vivere sine proprio, destruit et confundit.

II. Secundus error, qui in dicto statuto « Ad conditorem » continetur, est quod rebus usu consumptibilibus non potest quis uti, quia eis uti non contingit, sed abuti, quod ei opponitur, quod est uti, cum abuti ut dicit nichil aliud quam contra naturam uti in hac materia proprie dici possit. Qui quidem error scripture sacre et sanctorum doctorum ac doctrine sancte romane Ecclesie obviat manifeste. Quod ex eo colligitur evidenter, quia ubicumque sacra scriptura de usu predictarum rerum loquitur, semper ostendit, quod rebus usu consumptibilibus potest quis uti et eis proprie et veraciter uti contingit, sicut per apostolum patet qui ad Timotheum scribens dicit : « Utere modico vino propter stomacum tuum et frequentes tuas infirmitates » et per illud quod II Reg. dicitur : « Filie regis virgines hujusmodi vestibus utebantur » et Numer. XVIII : « Universa frugum initia, que gignit humus et domino deportantur, cedent in usus tuos » et parum post : « Carnes vero in usum tuum cedent » et Judic. XVIII : « Habentes paleas et fenum, panem ac vinum in meos et ancille tue usus »

et per illud quod legitur Levit. VII et XXIIII. et Deuter. XXIIII, Judic. XVIIII et Josue V et in multis aliis locis sacre scripture hoc ostenditur manifeste. Sancti etiam doctores et Ecclesia in sacris canonibus veritatem hujusmodi manifestant, unde Augustinus in libro de doctrina christiana, cujus dictum ponitur in decretis XL[I] di., dicit sic : « quod sapiens sine aliquo vitio pretiosissimo cibo uti potest » et Ambrosius, et ponitur XXXV. di., dicit sic : « Sexto die bestie sunt create et cum bestiis orta est edenti potestas et usus escarum » et Extra de vita et honest. cler. penult. cap. dicitur : « Pontifices autem in publico et in ecclesia superindumentis lineis omnes utantur. » Quas omnes auctoritates de rebus usu consumptibilibus loqui manifestum existit. Ex predicto etiam errore sequitur quod Christus et apostoli et alii sancti viri, quotiens actus comedendi, bibendi et induendi exercuerunt, totiens rebus hujusmodi sunt abusi. Et quotiens fideles christiani sumunt sacramentum corporis et sanguinis Jesu Christi sub speciebus illis, sub quibus sacramentum predictum veraciter continetur, quas fore de rebus usu consumptibilibus manifestum existit, totiens illis speciebus accidentium abutuntur. Quod dicere vel sentire cuilibet catholico impium videbitur et blasphemum.

III. Tertius error in sepedicto statuto contentus est quod carentia dominii omni temporali commodo denudati ad perfectionem non pertinet nec pauperiorem efficit non habentem, adjiciens quod tale dominium omni temporali commodo denudatum verbale, enigmaticum et simulatum existit. Qui error scripture sacre et doctrine evangelice et apostolice et sancte romane Ecclesie obviat et repugnat. Nam ut ex scriptura divina superius est ostensum, apostoli et eos sequentes viri perfecti ex consilio Christi proprietatem et dominium omnium rerum temporalium reliquerunt usu rerum necessariarum ad vite humane substentationem, cui non est licitum renunciare, contenti. Constat autem quod dominium, quod apostoli in rebus omnibus temporalibus, quarum usum habebant, ex consilio Christi reliquerunt, fuit omni temporali commodo, usu scilicet utili denudatum, sicut manifeste patet in retibus, quorum proprietatem et dominium usu retento, prout evangelica testatur ystoria, reliquerunt, cum in consilio Christi dato de rebus temporalibus abdicandis abdicatio proprietatis et dominii earum et non usus, ut superius ostenditur, includatur. Si ergo carentia talis dominii ad perfectionem non pertinet nec pauperiorem efficit non habentem, ut dictus hereticus dogmatizat, sequitur quod Christus simulatam et fallacem doctrinam tribuit volentibus ad perfectionem attingere, quod omnia temporalia quoad do-

minium et proprietatem relinquerent consulendo, et quod Augustinus et Hieronimus doctores Ecclesie et alii sancti patres religionum institutores erraverunt, qui dictum Christi consilium sequi volentes abdicationem proprietatis et dominii rerum omnium temporalium sunt professi. Preterea scriptura sacra Levitici ultimo dicit : « Omnes decime terre sive de frugibus sive de pomis arborum Domini sunt et illi sanctificantur » et Numer. XVIII loquens de perfectione Levitarum dicit : « Nichil aliud possidebunt decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum et necessaria separavi », in usus inquit et non in dominium. Ex qua scriptura patet quod dominium omnium decimarum sive de pomis sive de frugibus terre, quas res de usu consumptibilibus esse constat, est Dei et usus ministrorum ipsius et liquet quod tale dominium Dei est omni temporali commodo denudatum. Ergo secundum dictam hereticalem doctrinam hujusmodi dominium Dei verbale, simulatum et enigmaticum est censendum, quod dicere vel sentire est hereticum vel insanum. Preterea Ecclesia romana in sacris canonibus docet, quod dominium rerum Ecclesie est Dei sive corporis ejus mystici quod est Ecclesia et usus et dispensatio earum est prelatorum Ecclesie et Augustinus in libro de facultatibus Ecclesie dicit, quod Dei sunt que Ecclesie conferuntur et quod ipse res, sive sint vestes sive alia vasa, sunt ad usum ministrorum ejus. Romani etiam pontifices qui actenus fuerunt in rebus temporalibus usu consumptibilibus et non consumptibilibus, que fratribus minoribus offeruntur, dantur vel conceduntur, dominium Ecclesie reservaverunt et retinuerunt, usu tantummodo simplicis facti ipsis fratribus derelicto, diffinientes quod carentia talis dominii est meritoria, sancta et perfecta et quod Christus et apostoli viam perfectionis ostendentes hujusmodi abdicationem dominii docuerunt et quod retentio sive reservatio talis dominii omni temporali commodo denudati cum concessione usus facta pauperibus non est infructuosa domino, cum sit meritoria ad eterna et professioni pauperum oportuna, quodque tanto censetur utilior, quanto commutat temporalia pro eternis, sicut clare patet in determinatione et diffinitione Ecclesie in decretali « Exiit qui seminat » in libro VI sub titulo de verborum significatione inserta et ab universali Ecclesia recepta et etiam per generale Viennense concilium approbata, prout in declaratione per ipsum Viennense concilium super hoc edita que incipit « Exivi de paradiso » plenius continetur. Ex predicto igitur errore sequitur quod Ecclesia catholica in predictis erravit ac per consequens in articulum fidei « et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam », sub quo continetur quod Ecclesia

catholica non potest errare in fide vel in moribus, error predictus vehementer impingit. Unde dicta doctrina est heretica merito judicanda, tum quia sacre scripture, per quam fidei probantur articuli, contradicit, tum quia errorem Ecclesie catholice imponit et ejus doctrine et diffinitionibus manifeste obviat et repugnat.

IV. Quartus error in dicto statuto « Cum inter nonnullos » sumitur ex eo quod ipse pronuntiavit sive declaravit hereticum fore censendum affirmare deinceps dominum Jhesum Christum ejusque apostolos non habuisse aliqua in speciali nec etiam in communi, insuper hereticum fore censendum affirmare Christo et ejus apostolis in hiis que eos habuisse sacra scriptura testatur non competiisse jus utendi nec illa vendendi seu donandi jus habuisse aut ex hiis alia acquirendi. Que quidem dicta de habere et competere jure proprietatis et dominii civilis et mundani, per quod contenditur et in judicio litigatur, se intellexisse ex pluribus manifestat, tum quia in dicto statuto « Quia quorumdam » expresse improbat sententiam asserentium, quod abdicatio juris in cujuscumque rei proprietate et in ejus usu, per quod potest sic utens pro usu hujusmodi quomodolibet contendere et in judicio litigare est meritoria et sancta et a Christo in se ipso servata apostolisque imposita et ab ipsis sub voto assumpta, et pertinaciter asserit in eodem, quod neque Christus hujusmodi expropriationem omnis juris in cujuscumque rei proprietate et in ejus usu in se ipso servavit nec etiam apostolis imposuit neque ab eis sub voto fuit recepta, adjiciens quod evangelica seu apostolica ystoria hujusmodi expropriationem non docet, set ut asserit contrarium evidentius manifestat, tum quia in hoc statuto « Cum inter nonnullos » evidenter includit, quod Christus et apostoli in hiis rebus, quas habuisse eos sacra scriptura testatur, jus vendendi et donandi et alia ex ipsis acquirendi habuerunt, quod jus a jure humano fuisse introductum manifestum existit, tum quia in dicto statuto « Ad conditorem » asserit et dogmatizat expresse, quod in rebus usu consumptibilibus usus juris vel facti non potest a proprietate seu dominio separari nec absque proprietate et dominio constitui vel haberi, quod jus proprietatis testante canone a jure civili et mundano extitit introductum, unde cum scriptura sacra quemlibet eorum habuisse alimenta et vestimenta testetur sive supponat expresse, sequitur secundum eum quod Christus et apostoli non solum in communi, sed etiam in speciali habuerunt proprietatem et dominium civile et mundanum in rebus, quas ipsos eos habuisse sacra scriptura testatur, tum quia in pluribus aliis de tali jure habendi se intellexisse apertissime declaravit. Ex quibus in duas

hereses incidisse deprehenditur evidenter. Prima est quia intellexit quod Christus et apostoli non solum in communi, set etiam in speciali proprietatem et dominium rerum temporalium habuerunt, quod dictum omnem religionem, qua volens doctrinam apostolicam sequi vovet vivere sine proprio et testante canone in hoc figuram tenet apostolorum, destruit et confundit et omnes religiosos facit proprietarios etiam in speciali et sui voti per consequens transgressores et doctrine evangelice et apostolice et sancte romane Ecclesie et omnium doctorum Ecclesie et sanctorum patrum institutorum religionum obviat manifeste. Secunda est quod ipse determinationem et diffinitionem sancte romane Ecclesie in preallegata decretali « Exiit » positam et insertam et per dictum generale Viennense concilium totius Ecclesie catholice conprobatam hereticam deinceps censendam judicavit, in qua decretali ipsa romana Ecclesia in hec verba diffinivit : « Dicimus quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi propter Deum meritoria est et sancta, quam et Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit et exemplo firmavit quamque primi fundatores Ecclesie militantis, prout ab ipso fonte hauserant, in volentes perfecte vivere per doctrine ac vite ipsorum alveos derivarunt. » Unde cum testante canone Ecclesia a recta fide et apostolice doctrine traditione deviare non valeat nec errare et hoc ut dictum est ad articulum fidei « et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam » reducatur, sequitur quod ipse hereticus in ipsum articulum fidei vehementer impingit, nec predicte diffinitioni Ecclesie evangelica seu apostolica historia contradicit, ut asserit hereticus antedictus, sed potius consonat et alludit. Nam cum beatus Petrus simpliciter et absolute pro se et omnibus apostolis aliis viam perfectionis assumpte demonstrans responderit : « Ecce nos reliquimus omnia », ut evangelica historia protestatur, et simpliciter et absolute dictum sit generaliter accipiendum, cum ex aliis precedentibus quod aliter accipi debeat nullatenus reperitur, et utramque proprietatem, scilicet singularem et collegialem collegii specialis, quam alteram tantum relinquere perfectius censeatur, sequitur quod integre et perfecte de utroque modo relinquendi, scilicet tam in speciali quam in communi, qui perfectior est, debet intelligi auctoritas supradicta. Nec hiis obviare dignoscitur, quod in Actibus apostolorum dicitur, quod erant illis omnia communia, quia sicut ibidem patet, loquitur de communitate generali et universali credentium et non de speciali communitate sive collegio apostolorum. Nec enim specialis communitatis apostolorum erant illa communia,

sed generalis et universalis communitatis fidelium sive credentium. Quod etiam evidenter probat preallegatum capitulum sancti Clementis [c.] XII quod incipit « dilectissimis », cum dicit : « Communis vita omnibus est necessaria, maxime hiis qui Deo inreprehensibiliter militare cupiunt et vitam apostolorum eorumque discipulorum imitari volunt. Communis enim usus omnium que sunt in hoc mundo omnibus esse debuit. Sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, et alius istud et sic inter mortales facta est divisio. Et sicut non potest dividi aer nec splendor solis, ita nec reliqua que data sunt hominibus ad habendum dividi debere, sed habenda omnia communia. Istius consuetudinis more retento apostoli eorumque discipuli, ut predictum est, una nobiscum et vobiscum communem vitam duxerunt. » Ex quo liquet quod illa que in Actibus apostolorum leguntur fuisse communia, erant communia communitatis generalis et universalis credentium sive fidelium et non specialis communitatis sive collegii apostolorum. Si enim apostoli, qui in dicta multitudine credentium sicut nobilior portio ipsius multitudinis comprehendebantur, habuisse aliqua ipsorum collegio speciali appropriata, constat quod illa toti multitudini credentium communia non fuissent, quia quod est partis, totius non existit. Et cum in illa multitudine nullus haberet proprium, sequitur quod apostoli, qui erant de ipsa multitudine sicut pars eorum, aliquid proprium in singulari vel in ipsorum apostolorum speciali collegio non habebant. Nec excusat dictum hereticum, quod ipse in dicto suo statuto « Quia quorumdam » dicit Christum etiam quoad proprietatem loculos habuisse infirmis condescendendo, quia ut dicit si Christus in loculis habuisset tantummodo usum facti simplicem, frustra diceretur quod in persona infirmorum ipse Christus loculos habuisset, quia non est verum quod Christus condescenderit infirmis in eo, quod propter iniquitatem extitit introductum, scilicet in appropriando sibi res aliquas temporales, ex quo divisiones inter homines nate sunt et in judicio litigatur, et quod implicat ad peccatum, cum ipse Christus, ut legitur in Johanne, de se loquens dicat : « Venit enim princeps hujus mundi et in me non habet quicquam. » Quod exponens glosa ordinaria dicit : « Noluit Dominus habere quod perderet. Pauper venit, ne haberet diabolus quod auferret. » Sed si Christus habuisset loculos quoad proprietatem, princeps hujus seculi, qui fuit principium omnis iniquitatis, habuisset in eo quod auferre et ipse quod perdere potuisset. Unde non condescendit infirmis in habendo proprietatem, sed quoad actum provisionis in futurum, sicut faciunt infirmi, qui res temporales sollicite congregant, timentes ne eis defi-

ciant in futurum. Et quod Christus proprietatem in loculis non habuerit, probat Hieronymus egregius sancte Ecclesie doctor super illud Matthei XVII : «reges terre a quibus accipiunt tributum », sic inquiens : « Tante paupertatis fuit Dominus, ut unde tributa solveret non haberet. » Judas communia habebat in loculis, sed res pauperum in suum usum expendere nephas duxit. Ex quo patet quod Christus loculos quoad proprietatem non habuit, sed quoad dispensationem. Quod etiam insinuat Augustinus, cujus dictum insertum est in decretis in dicta XII causa, dicens sic : « Habebat Dominus loculos a fidelibus oblata conservans et suorum necessitatibus et aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum ecclesiastice pecunie forma est instituta. » Constat autem secundum doctrinam Ecclesie in sacris canonibus traditam, quod papa, qui Christi vicem gerit in terris, et episcopi, qui in locum succedunt apostolorum, in pecuniis ecclesiasticis, que loculorum formam gerunt, proprietatem non habent, sed dispensationem. Non enim, ut idem Augustinus testatur, ille res nostre sunt, sed pauperum, quorum procurationem gerimus, non proprietatem nobis usurpatione dampnabili vendicamus. Preterea dato sine prejudicio quod Christus condescendendo infirmis proprietatem in loculis habuisset, per hoc a dicta heretica determinatione non posset aliqualiter excusari. Nam cum pronuntiaverit propositionem sive assertionem, que regulariter continet veritatem catholicam in dicta decretali « Exiit qui seminat » diffinitam videlicet asserere Christum et apostolos non habuisse aliquid jure proprietatis in speciali nec in communi hereticum fore censendam, hereticus est censendus, esto quod in casu excepto a regula, scilicet infirmis condescendendo Christus et apostoli in loculis proprietatem habuissent, cum exceptio non annullet regulam, sed potius preterquam in casu excepto confirmat, quam ipse velut hereticam reprobat et condempnat. Ex quo etiam facto se ipsum condempnat, cum alias dudum, antequam hoc statutum hereticum edidisset, orta materia questionis coram eo inter fratres dicti ordinis super quibusdam verbis in dictis decretalibus « Exiit qui seminat » et « Exivi de paradiso » contentis, ipse pronuntiavit easdem decretales salubriter editas, solidas, lucidas multaque maturitate digestas, prout in constitutione per ipsum super hoc edita que incipit « Quorumdam » deprehenditur evidenter.

V. Quintus error est quia ipse dogmatizat, quod actus utendi rebus temporalibus in Christo et apostolis et aliis non potuit nec potest esse justus absque jure utendi civili et mundano, contentioso et liti-

gioso. Quod patet quia dicto prius in statuto « Cum inter nonnullos », quod asserere Christo et apostolis in rebus, quas eos habuisse sacra scriptura testatur, non competiisse jus utendi, vendendi et donandi et cet. est hereticum, ex eo quia, ut dicit talis assertio ipsorum Christi et apostolorum usum et gesta evidenter includit non fuisse justa, postea in statuto « Quia quorumdam » recitans sententiam sive assertionem dicentium, quod propter abdicationem juris in cujuscumque rei proprietate et in ejus usu usus ad sustentationem nature in Christo et apostolis non fuit injustus, sed tanto justior atque perfectior et mundo exemplarior, quanto plenius renuntiatum est omni juri, per quod potest sic utens pro usu hujusmodi quomodolibet contendere et in judicio litigare, respondet idem hereticus, quod dictum hujusmodi impossibilitatem et errorem evidenter includit, adjiciens quod absurdum et erroneum est dicere, quod actus aliquis non habentis jus actum hujusmodi faciendi sit justior et Deo acceptior quam habentis. Qui quidem error scripture sacre et sanctorum patrum sententiis obviat manifeste. Nam Christus in evangelio apostolis et suis discipulis eum perfecte sequi volentibus inhibuit contendere et in judicio litigare propter hujusmodi actuum imperfectionem, dicens Matth. v : « Qui vult tecum in judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium » et Luc. vi : « Ab eo qui aufert tibi vestimentum et tunicam noli prohibere, et qui aufert que tua sunt, ne repetas », qui actus contendendi et litigandi implicant ad peccatum. Unde apostolus I ad Corinth. vi scribens dicit : « Jam quidem omnino delictum est in vobis, quia judicia habetis inter vos. » Ex quibus clarius luce patet quod iter perfectionis aggredi volentibus expedit a se penitus abdicare omne jus civile et mundanum, per quod potest quis in judicio litigare, et per consequens constat quod ex abdicatione hujusmodi juris actus utendi rebus temporalibus in ipsis viris perfectis non fuit nec est censendus illicitus vel injustus. Unde et apostoli jus hujusmodi civile et mundanum in rebus omnibus reliquerunt cum dictum : « Ecce nos reliquimus omnia » sunt professi. Ex predicto igitur errore sequitur quod aut doctrina Christi fuit fallax et deceptoria aut ipse, si tale jus habuit, fuit imperfectus, quod de Christo sentire nephas est et blasphemia manifesta. Ex predictis etiam constat eum in tanta cecitate fore prolapsum, quod se ipsum dampnat. Nam in statuto « Ad conditorem » ut dictum est sententiat et diffinit, quod in rebus usu consumptibilibus non reperitur jus utendi nec ipsis uti contingit, sed abuti. Et hic asserit et diffinit, quod actus sine jure utendi non potest aliqualiter esse justus et quod oppositum

dicere hereticum est censendum. Et sic se ipsum fore hereticum proprio judicio manifestat.

VI. Sextus error est quia in dicta constitutione « Quia quorumdam » in dubium revocat sive negat, quod Christus precepit apostolis ne portarent pecuniam, quando misit eos ad predicandum, asserens quod apostoli post red tum a predicatione pecuniam portaverunt et quod hoc evangelica veritas et apostolica dicta testantur. Qui error scripture sacre et sanctorum doctorum Ecclesie sententiis obviat manifeste, sicut patet Mathei x ibi : « Hos XII misit precipiens eis et dicens : Nolite possidere aurum et argentum neque pecuniam in zonis vestris », et Marci vi ibi : « Et precepit eis, ne quid tollerent in via, non peram nec in zona es », et Luc. viii ibi : « Nichil tuleritis in via neque peram neque pecuniam. » Et doctores Ecclesie asserunt quod apostoli ex hujusmodi precepto constricti etiam post reditum a predicatione pecuniam non portaverunt. Unde Augustinus in libro de mirabilibus sacre scripture dicit sic : « In excusatione elemosyne et paupertatis professione Petrus paralitico dixit : « Surge et ambula », illud magistri preceptum servans : « Nolite possidere aurum neque argentum. » Hec Augustinus. Et Ambrosius super illud « Nichil tuleritis in via » dicit sic : « Petrus apostolus dominice executor sententie ostendens non in vacuum effusa Domini precepta, cum posceretur a paupere, ut aliquid ei pecunie largiretur, ait : « Argentum et aurum non habeo. » Et tamen non tam in hoc gloriatur Petrus, quod aurum et argentum non habeat, quam quod servet Domini mandatum qui precepit : Nolite possidere et cet. » Hec Ambrosius. Et glosa ordinaria super illud Actorum iii : « Argentum et aurum non est michi » dicit sic : « Memor[es] illius precepti « Nolite possidere aurum, etc. » et pecuniam que ad pedes apostolorum ponebatur non sibi recondebant, sed ad usus pauperum qui sua patrimonia reliquerant reservabant. » Hec glosa. Et super illud Actorum iiii : « Joseph agrum vendidit et pretium posuit ante pedes apostolorum » glosa ordinaria dicit sic : « Destituendum probat quod tangere devitat et docet calcandum esse aurum, quod subdit gressibus apostolorum. » Ex quibus auctoritatibus clare patet quod Petrus apostolus non solum post reditum a predicatione ad quam Christus apostolos misit, sed etiam post resurrectionem, quando non ibat actu ad predicandum, sed ad orationem in templum, sicut Actorum iii dicitur, ascendebat, ex dicto precepto Christi astrictus pecuniam non portabat. Et per consequens quod non solum quando ibant ad predicandum, sed simpliciter et absolute, ne pecuniam portarent, fuit apostolis sub pre-

cepti districtione prohibitum. Et Chrysostomus super illud Johannis « Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jhesus : Eme que necessaria sunt » dicit sic : « Nimirum quia nullus apostolorum pecuniam deferebat. Sed per hoc quod hic dicit occulte insinuat, quod quedam mulieres eum de suis facultatibus nutriebant. Qui autem non peram, non es jubet deferre, loculos habebat ad inopum ministerium, ut discas, quoniam valde pauperem et mundo crucifixum hujusmodi oportet partis multam facere procurationem. Multa enim ad nostram dispensans doctrinam agebat. » Hec Chrysostomus. Hoc asserunt etiam et probant alii doctores Ecclesie, sicut ex ipsorum auctoritatibus habetur, que brevitatis causa dimittuntur.

VII. Septimus error est quia idem hereticus de clavibus Ecclesie male sentiens in dicto suo hereticali statuto « Quia quorumdam » in dubium revocat sive negat clavem scientie Ecclesie catholice fore clavem, maxime cum recitet super hoc opiniones contrarias et diversas nec affirmet et asserat in Ecclesia esse clavem scientie, ymo ad partem quod non sit in Ecclesia clavis scientie declinare videtur, cum dixit quod Salvator noster in promissione clavium facta beato Petro hoc sentisse videtur expresse, cum immediate post illam promissionem subjunxerit : « Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in celis » et cet., nulla de scientia habita mentione. Hec verba ipsius, que sacre scripture et sanctorum doctorum Ecclesie sententiis et doctrine catholice contradicunt, quod evidenter patet Luce XI, ubi Salvator dicit : « Ve vobis legisperitis, qui tulistis clavem scientie, ipsi non introistis et eos qui introibant prohibuistis », et Rabanus exponens illud evangelii « Et tibi dabo claves regni celorum » dicit sic : « Claves autem regni celorum ipsam discretionem et potentiam nominat, potentiam, qua liget vel solvat, discretionem, qua dignos vel indignos discernat. » Hec Rabanus. Et in decretis XX dist. dicitur sic : « In negociis diffiniendis non solum est necessaria scientia, set potestas. Unde Christus dicturus Petro « Quodcumque ligaveris et cet. » prius dedit sibi claves regni celorum, in altera dans ei scientiam discernendi inter lepram et lepram, in altera dans sibi potestatem ejiciendi aliquos ab Ecclesia vel recipiendi. » Hec ibi. Ex quibus clare liquet quod clavis scientie est una clavis Ecclesie distincta a clavi potentie et quod contradicere scripture divine et doctrine Ecclesie catholice obviat manifeste.

VIII. Octavus error est quia ipse in dicto statuto « Quia quorumdam » etiam dogmatizat, quod summus pontifex in hiis que ad fidem et mores pertinent potest suorum predecessorum diffinitiones et

dicta revocare et ejus contrarium statuere, quod decernitur in eisdem. Qui error expresse doctrine sanctorum patrum et sacrorum canonum et fidei catholice obviat et repugnat, sicut patet per ea que legimus in decretis ca. XXV cap. « Contra statuta patrum » et cap. « Si ea destruerem » et in pluribus aliis capitulis hoc poterit reperiri, et XV dist. cap. « Sicut sancti » et Ext[ra] de statu monachorum cap. « Cum ad monasterium » in fine. Ex quo errore totius fidei et auctoritatis Ecclesie destructio sequeretur, quia sequeretur quod quilibet romanus pontifex posset revocare et destruere omnia in fide et moribus a suis predecessoribus diffinita et sic tota auctoritas Ecclesie vacillaret et in fide et moribus foret instabilis et infirma. Unde dicta doctrina est heretica judicanda, quia in articulum fidei « et unam sanctam Ecclesiam catholicam » evidenter impingit. Et si in decretali « Exiit qui seminat » et in doctrina et vita Christi et apostolorum et in approbatione status et regule fratrum Minorum et in concilio Viennensi, quod ipsam decretalem approbavit, concederetur erratum, sequeretur quod tota Ecclesia erravit in fide male de vita et doctrina Christi et apostolorum ejus diffiniendo et in moribus statum secundum eumdem hereticum illicitum et simulatum ac fundatum in doctrina evangelice veritati contraria approbando et sanctum Franciscum et alios sanctos de ordine fratrum Minorum, qui in hujusmodi vite et doctrine professione finierunt dies suos, approbando tamquam sanctos et sanctorum cathalogo solenniter ascribendo.

3. — Plures etiam alie hereses tam in dictis statutis hereticalibus quam in aliis assertionibus factis atque gestis heretici sepedicti continentur, quibus esse convincitur irretitus, que in ordinationibus nostri super hiis editis ac etiam in appellationibus tam per nos quam pro parte totius ordinis fratrum Minorum ac notabilium magistrorum in sacra pagina ipsius ordinis consilio et assensu contra dictum hereticum et ejus statuta, gesta et facta solemniter interjectis seriosius explicantur et in allegationibus divini et humani juris super hiis factis rationibus efficacibus convincuntur, quas omnes seriatim presentibus explicare prolixum nimium videretur. Quamobrem ex quo incepit dicta hereticalia statuta condere et publice divulgare et pertinaciter defensare, in heresim est prolapsus et fuit omni ecclesiastica dignitate, auctoritate et potestate ipso facto privatus nec est necesse quod accusetur vel dampnetur per aliquem. Nam sicut legitur in decretis XXIIII. cap. : « Dicimus omnes hereticos nichil habere potestatis ac juris » et « Quicumque in heresim dampnatam labitur, in ipsa dampnatione se ipsum involvit », ubi dicit glos. or. : « Hic enim

casus est, in quo etiam papa canonem late sententie incidit ipso jure. » Nec hiis obviat illa regula : « Par parem non potest solvere vel ligare », quia papa hereticus minor est quocumque catholico. Lex enim ipsum factum notat et condempnat, et in eadem causa dicitur quod « ex quo aliquis cepit publice predicare aliquid contra fidem, nec dejicere quemquam valet nec dampnare ». Liquido enim constat eum, qui ab integritate fidei recessit, maledicendi vel benedicendi potestatem minime habere, catholicum utpote se superiorem maledicere etiam non valet, alienum a fide tanquam sibi equalem. Ipso enim facto sententiam excommunicationis et condempnationis incurrit etiam per sacrum generale concilium Ecclesie catholice sub titulo « de hereticis » positum adversus omnem heresim et credentes, defensores et fautores pravitatis heretice promulgatam omnesque catholici ab ipsius communione heretici non expectata alia dampnatione recedere sunt astricti. Unde legitur in decretis, quod Anastasius papa II natione Romanus fuit temporibus Theodorici regis et eodem tempore multi clerici se ab ejus communione abegerunt, eo quod communicasset Fotino qui communicaverat Achatio heretico, et quia voluit occulte revocare Achatium et non potuit, divino judicio fuit percussus. Nec talis apostolicus sed apostaticus proprie loquendo dici debet licetque non solum clericis, sed etiam laicis talem apostolice Sedis invasorem etiam humano auxilio ab apostolica Sede repellere tanquam invasorem et illicitum detentorem. Manifesta etiam notoria clamore accusatoris non egent et manifestus hereticus dicitur, qui contra fidem catholicam publice predicat, profitetur vel docet aut defendit errorem.

4. — Zelus igitur fidei et fervor compassionis animarum excitare debent corda omnium, qui Christi nomine gloriantur et sancte romane Ecclesie finibus continentur, ut contra dicti heretici insaniam quasi publicam pestem valenter exurgant nec eum patiantur in Sede apostolica permanere, quem adversus fidem catholicam conspiciunt insanire et sanctam romanam Ecclesiam matrem fidelium erroribus, blasphemiis, divisionibus, guerris, seditionibus et persecutionibus conturbare ac etiam pro viribus cotidie laniare, qui divitias ad christianitatis destructionem etiam per symoniacam pravitatem et diversos dolos in saccum pertusum congregat, qui veris catholicis et christianis fidelibus falso et malitiose crimen heresis aut favoris seu defensionis hereticorum seu heretice pravitatis indifferenter imponit et eos de facto excommunicat, dejicit et condempnat et pravis suis exemplis et gestis multos ad exorbitandum a fide et ab Ecclesia im-

pellit et inducit et testante canone pari modo censeri debet a veritate fidei catholice deviare, cum aut in se exorbitat a fide aut alios exemplo vel verbo dejicit aut ad exorbitandum inducit. Frustra igitur christiano nomine uti videntur, qui talibus impietatibus non resistunt, cum error cui non resistitur approbetur et negligere, cum possis perturbare perversos turpius sit quam fovere nec careant scrupulo societatis occulte, qui manifesto facinori desinunt obviare, et non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt, participes judicantur.

5. — Nos igitur ad culmen imperialis dignitatis disponente Domino sublimati, attendentes sacris canonibus fore cautum, quod per regnum terrenum celeste regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem et disciplinam insurgunt, rigore principum conterantur ipsamque disciplinam, quam utilitas Ecclesie exercere non prevalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat, et non valentes neque volentes tales ac tam graves insolentias, errores pestiferos, detestabiles blasphemias et scismata et dampna ac pericula universali Ecclesie ex predicti Jacobi heretici erroribus et pravis oppositionibus eminentia in Creatoris injuriam et populi christiani pernitiem aliquatenus tollerare, de communi consilio et assensu cleri et populi Romani et Ecclesie prelatorum nostrorumque principum tam Alamannorum quam Ytalicorum et copiose multitudinis fidelium nobis assistentium, inducti etiam ex pluribus supplicationibus et requisitionibus nobis cum instantia sepe factis per syndicos ipsius cleri et populi Romani habentes ad hoc plenam et liberam potestatem et speciale mandatum, sicut constat per publica documenta sigillis auctenticis prefati cleri et populi communita, quas supplicationes et requisitiones tanquam rationabiles et in favorem fidei catholice factas duximus admittendas, denunciamus et declaramus, pronuntiamus et publicamus prefatum Jacobum de Caturcho, ex quo ut dictum est contra fidem catholicam publice asseruit et statuit predicta et ea manifeste et notorie promulgavit et publicavit et pertinaciter pro viribus defensavit, fuisse et esse censendum hereticum notorium et manifestum et tam pontificali quam omni alia dignitate ecclesiastica, potestate et auctoritate privatum et omnibus sententiis et penis contra hereticos per constitutiones canonicas et civiles prolatis, statutis et impositis subjacere et ipsum Jacobum tanquam hereticum notorium et manifestum et excommunicatum ab omnibus catholicis evitandum. Et quia de facto se gerit pro papa, ipsum privamus et deponimus sive privatum et depositum nuncianus et omnes sententias et processus omniaque per ipsum auctoritate

papali sive pontificali a dicto tempore citra facta et gesta nullos et nulla fuisse nulliusque roboris et firmitatis existere.

6. — Insuper universis et singulis sub nostro imperio degentibus, cujuscumque status, dignitatis aut conditionis existant, districte precipimus et mandamus, quatinus nullus dictum Jacobum de Caturcho hereticum excommunicatum et omni dignitate, potestate et auctoritate privatum de cetero habeat, reputet sive teneat sicut papam nec eidem pareat sive obediat tanquam pape nec in hoc prestet sibi auxilium, consilium et favorem publice vel occulte nec ejus processus aut sententias, precepta vel interdicta a dicto tempore citra prolata presumat observare nec eidem tanquam pape aut ejus nuntiis obedire. Qui autem contra facere presumpserit vel venire, eum omnibus feudis que ab imperio tenet ac omnibus gratiis, privilegiis, libertatibus et immunitatibus a nobis vel predecessoribus nostris eidem concessis privamus. Ad quas penas omnes contra facientes post mensem a publicatione presentium quoad Italicos et post duos menses quoad alios nostro subjectos imperio astringi volumus et artari.

In quorum omnium testimonium atque fidem presentem processum conscribi precipimus et nostre imperialis majestatis bulla aurea signoque nostro imperiali solito jussimus communiri.

Dat. et act. in urbe Roma in platea publica extra basilicam Sancti Petri, presentibus clero et populo Romano ac multis aliis principibus tam ecclesiasticis quam secularibus, episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus et baronibus ibidem nobis assistentibus, XVIII die mensis aprilis, anno Domini millesimo trecentesimo XXVIII, indictione XI, regni nostri anno XIIII, imperii vero primo.

Volentes itaque processum predictum et contenta in eo, ne populus christianus per astutias, fraudes, calliditates et malitias dicti Jacobi de Caturcho heretici manifesti et complicum ejus circumveniri valeat, ubilibet publicari et inviolabiliter ab omnibus christifidelibus observari, vos omnes et singulos monemus et hortamur attente ac omnibus imperio nostro subjectis sub penis in dicto processu contentis districte precipientes mandamus, quatinus per vos vel alium vel alios in civitatibus et dyocesibus sive locis et terris, in quibus quomodolibet presidetis, dictum processum et contenta in eo sollenniter publicetis quodque ipsa servetis et faciatis ab omnibus vestris subditis inviolabiliter observari. Et etiam specialiter sub penis editis contra fautores hereticorum et heretice pravitatis vos monemus, quatinus dictum Jacobum hereticum manifestum et ex-

communicatum penitus evitare et ab ipsius communione omnino recedere studeatis quodque nullum eidem Jacobo heretico per vos vel alium seu alios directe vel indirecte prebeatis auxilium, consilium vel favorem et ad idem faciendum et observandum omnes vobis subditos inducere, etiamsi opus fuerit compellere juris remediis, sollicite procuretis. In testimonium autem premissorum presentes litteras conscribi mandavimus et nostro imperiali sigillo jussimus communiri. Et ut predicta omnia et singula in omnium deducantur publicam notitiam et ne aliquis de premissis per ignorantiam se valeat excusare, dictas litteras bullatas bulla aurea ad fores majoris ecclesie civitatis Pisane publice appendi et appensas per multas dies in conspectu omnium ibidem jussimus permanere.

Dat. in civitate Pisana, anno ab incarnatione Domini millesimo CCCXXVIII, indictione XII, idibus decembris, regni nostri anno quinto decimo, inperii vero primo.

LXXVIII

Epistola[1] B. abbatis monasterii Gellonensis ad Raymundum de Mostuejolis cardinalem. — S. Guilhem du Désert, 29 mai 1328.

Reverendissimo in Christo patri et domino suo domino Raymundo divina providentia sacrosancte romane Ecclesie tituli Sancti Eusebii presbytero cardinali sui humiles et devoti B. permissione divina humilis abbas monasterii Sancti Guillelmi de Deserto una cum conventu ejusdem monasterii se ipsos cum recommendatione humili et devota. Licet in ecclesia nostra pro fidelibus omnibus generaliter sit orandum, pro hiis tamen fidelibus devotius noscitur insistendum qui eamdem Dei Ecclesiam presidio tuentur consilii sanioris. Hinc est enim quod nos predicti abbas et conventus in capitulo dicti monasterii existentes et ad infrascripta specialiter congregati, attendentes quam pie et utiliter jam dictum monasterium vestra reverenda paternitas..... protexit et dilexit ab antiquo, vosque, reverende pater et domine, sepedictum monasterium pio vestro patrocinio juveritis de preterito, et speramus vestram..... quia etiam protegetis amplius in futuro, ideirco nos predicti abbas et conventus de pari consensu

1. Ex archivo monasterii Gellonensis, *Bal.*

omnium fratrum tenore presentium vobis, reverende pater et domine, concedimus unam missam de Spiritu Sancto semel in anno decantandam solempniter in conventu et etiam unam specialem orationem dicendam pro salute vestra quotidie in missa matutinali, [547]ut Deus Spiritus Sanctus dono sue pietatis feliciter et diutius salvet et conservet in Ecclesia sancta sua per tempora longiora, concedentes nichilominus vobis..... unam missam pro defunctis semel in anno in conventu solempniter perpetuo decantandam et die qualibet unam specialem orationem dicendam sub silentio per hebdomadarium post commemorationem misse matutinalis..... pro suffragiis anime vestre In cujus rei testimonium nos, predicti abbas et conventus, presentes litteras sigillis et signis nostris fecimus communiri. Datum in dicto nostro monasterio XXIX maii, anno Domini MCCCXXVIIJ.

LXXIX

Bulla[1] Joannis XXII pro Pictavino de Montesquivo, episcopo Vasatensi. — Avignon, 25 avril 1333.

Johannes etc. dilectis filiis archidiacono Montaldensi,.... de Fargis et B. de... canonicis ecclesie..., salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis venerabilis frater noster P... de... episcopus... petitione monstravit quod eo episcopo existente, abbas et conventus monasterii Case Dei, Premonstratensis ordinis, Auxitanensis dyocesis, asserentes quod P... de..., clericus ejusdem dyocesis, super terris, debitis, possessionibus et rebus aliis injuriatur eisdem, et quod ejusdem clerici potentiam perhorrescentes, eum infra civitatem seu dyocesim Auxitanensem non poterant convenire secure, contra eumdem clericum super hiis nostras ad B... de.... canonicum Tholosanum in communi forma litteras impetrarunt, dictumque episcopum super quibusdam terris et possessionibus tunc expressis, super quibus eumdem episcopum eis injuriari falso dicebant, fecerunt coram eodem canonico pretextu dictarum litterarum ad judicium evocari. Ex parte vero ipsius episcopi fuit coram eodem canonico ex[548]cipiendo propositum quod cum dicte littere contra P... de..., clericum dicte

1. D'après le ms. latin *4163* (ancien Colbert *2270*), fol. 54 r° (Bibliothèque nationale de Paris); les deux lettres suivantes n'existent pas dans les registres du Vatican.

Auxitanensis dyocesis, impetrate fuissent, prout ex earum tenore liquido apparebat, dictus P. episcopus per litteras ipsas, que ad ipsum episcopum se minime extendebant, conveniri de jure non poterat nec *(a)* debebat. Et quia dictus canonicus eum super hoc audire contra justitiam recusavit, pro parte ipsius episcopi sentientis exinde [in]debite se gravari fuit ad Sedem apostolicam appellatum. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus, vocatis qui fuerint evocandi, et auditis hinc et inde propositis, quod justum fuerit appellatione remota decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Avinioni, VIJ *(b)* kal. maij, pontificatus nostri anno decimo septimo.

LXXX

Ejusdem papae bulla[1] pro fratribus ejusdem episcopi Vasatensis — Avignon, 23 mai 1333.

Johannes, etc., dilectis filiis archidiacono Montaldensi et Bertrando de Fargis, ac Bertrando de Senis, canonicis ecclesie Agennensis, salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii nobilis vir Gentilis de Montesquivo, dominus terre Anglesii, et Bertrandus, ejusdem *(c)* nobilis frater, domicellus Auxitanensis dyocesis, petitione monstrarunt quod cum olim .. abbas et conventus monasterii Case Dei, Premonstratensis ordinis, dicte dyocesis, falso asserentes quod dicti nobilis et domicellus super quibusdam terris et possessionibus injuriabantur eisdem, et quod eorumdem nobilis et domicelli potentiam perhorrescentes, eos in ta civitatem seu dyocesim Auxitanensem non poterant convenire secure, contra dictos nobilem et domicellum nostras super hiis ad Bernar[549]dum de Pareria, canonicum Tolosanum, in communi forma litteras impetrasse[n]t, dictosque nobilem et domicellum fecissent super premissis coram dicto canonico, auctoritate dictarum litterarum, ad judicium evocari, et in libello pro parte ipsorum in hujusmodi causa oblato inter cetera proposuissent dictas terras et possessiones eis fuisse donatas, prout

a) ut, *ms.* — *b)* VI, *Bal.* — *c)* eidem *(sic)*, *ms.*

---

1. *Ut supra*, fol. 54 v°

in instrumentis super hoc confectis dicebant plenius contineri, ex parte dictorum nobilis et domicelli fuit coram eodem canonico propositum quod in dicto libello de hujusmodi instrumentis [nulla] mentio habe[b]atur, prout ex ipsorum *(a)* tenore liquido apparebat, ac humiliter postulatum ab eo ut dictos .. abbatem et conventum ante omnia compelleret ad exhibendum instrumenta hujusmodi, que habebant in promptu. Et quia dictus canonicus eos super hoc audire contra justitiam denegavit, pro parte dictorum nobilis et domicelli sentientium exinde indebite se gravari *(b)* fuit ad Sedem apostolicam appellatum. Quocirca discretioni vestre per apostolica, etc. Testes, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Avinioni, x kal. junii, pontificatus nostri anno decimo septimo.

LXXXI

Acta venditionis[1] villae Machliniensis in Brabantia factae Ludovico, comiti Flandriae. — Entre le 28 juin et le 21 octobre 1333.

Universis et singulis presentes litteras visuris et audituris Ludowicus, Flandrie, Nivernensis ac Regitestensis comes, salutem in Domino sinceram. Litteras a reverendo in Christo patre ac domino nostro domino Adolpho, Dei gratia Leodiensi episcopo, ejusque venerabili capitulo ecclesie Leodiensis super alienatione et translatione opidi Machliniensis, Cameracensis dyocesis, et pertinentiarum ejusdem in nos et successores nostros comites Flandrie [550] factas pro certa pecunie summa nos recepisse et habere noveritis in hec verba.

Universis presentes litteras inspecturis Adolphus, Dei gratia Leodiensis episcopus, totumque capitulum majoris ecclesie Leodiensis, salutem in Domino sinceram cum notitia veritatis. Noveritis quod nos considerantes quod oppidum nostrum Machliniense cum suis pertinentiis et juribus universis Cameracensis dyocesis extra nostram potestatem et districtum in medio quasi Brabantie situatum taliter aliorum principum et dominorum temporalium jurisdictionibus,

a) ipsius *(sic), ms.* — *b)* gravati *(sic), ms.*

---

1. Ex codice *730* Bibliothecae Colbertinae, *Bal.*; référence inexacte; j'ai reproduit le texte de Bormans et Schoolme, *Cartulaire de l'église Saint-Lambert de Liége*, Bruxelles, 1898, t. III, p. 427-428.

potestatibus *(a)*, territoriis et districtibus inclusum sit et constrictum quod ad illud nobis et nostris precipue temporibus guerrarum, que, proh dolor, in partibus illis frequenter insurgunt, securus non patet aditus nec egressus, quodque dicto opido et habitatoribus ipsius debite preesse eorumque servitiis et subsidiis nobis et ecclesie nostre debitis libere gaudere non valuimus nec valemus, prout nec nostri predecessores bone memorie poterant temporibus retroactis, unde gravia dampna et dira pericula nobis et nostris sepius emerserunt, quodque tam propter premissa quam propter nonnullas graves et indebitas rebelliones hominum et habitatorum predictorum contra nos et predecessores nostros motas dictum oppidum cum dictis suis juribus et pertinentiis nobis et ecclesie nostre quasi sterile semper fuerit et infructuosum, et ob hoc premissis et quampluribus aliis que nos movere poterant et debebant, possunt et debent, in considerationem sollicitam deductis, diligenti tractatu non tantum semel sed pluries inter nos propter hoc in capitulo nostro congregatos prehabito, providaque deliberatione premissa, ut ecclesie nostre Leodiensi *(b)* meliora et utiliora prospiceremus, nobili et potenti principi nobis in Christo dilecto domino Ludovico Flandrie, Nivernensi, ac Regitestensi comiti, oppidum nostrum Machliniense predictum cum appenditiis, accessoriis et pertinentiis suis universis, necnon cum [551] omni districtu, honore, potestate, mero mixto imperio, omnimoda jurisdictione, feodis, homagiis, gardiis, fructibus, redditibus, obventionibus, exitibus, emolumentis et aliis juribus quibuscumque, vendidimus, tradidimus et deliberavimus, vendimus, tradimus et deliberamus, pro certo et competenti pretio, videlicet pro centum millibus librarum turonensium nigrorum, grosse turonensi pro sedecim denariis turonensibus computato, de quo nobis est congrue satisfactum, et quod in ecclesie nostre Leodiensis utilitatem jam convertimus et profectum; ipsumque opidum cum dictis appenditiis, accessoriis et pertinentiis, necnon districtum et omne dominium *(c)*, honorem, potestatem, merum mixtum imperium, omnimodam jurisdictionem, feoda, homagia, gardia, fructus *(d)*, redditus, obventiones, exitus, emolumenta, et omnia alia que nobis et ecclesie nostre Leodiensi competunt seu competere possunt quoquo modo conjunctim vel divisim in ipso opido, ejus appenditiis, accessoriis et pertinentiis in ipsum comitem per se et sucessores suos comites Flandrie perpetuo

a) omis par Bal. — *b)* Leodiensis, *Bal.* — *c)* et omne dominium, districtum, *Bal.* — *d) omis par Bal.*

possidenda et tenenda *(a)* transtulimus irrevocabiliter et transferimus per presentes sub modis et forma qui sequuntur. Videlicet quod dictum opidum cum appenditiis, accessoriis, et pertinentiis, honore, districtu, potestate, et aliis, ut predictum est, universis, una cum Geralmont et Bornehem cum eorum appenditiis, accessoriis et pertinentiis, que idem comes et sui predecessores a nobis in feodo tenuerunt et tenent, per dictum comitem et suos successores predictos a nobis episcopo et successoribus nostris episcopis Leodiensibus de cetero in et sub uno feodo et homagio tenebuntur, ita quod ab ipso comitatu ratione terre Imperii nullis unquam temporibus alienari valeant nec in alium quemlibet quam in comitem Flandrie transferri; hoc excepto quod Bornehem cum pertinentiis suis ab ipso comite ulterius in feodum dari vel jam [552] datum teneri valeat et esse retrofeodum nostrum et ecclesie nostre predicte, conventione qualibet hactenus in contrarium habita non obstante. Et ut ipsum feodum dicti opidi Machliniensis cum Geralmont et Bornehem sic unitum perpetuis temporibus cum dicto comitatu Flandrie, ut predictum est, firmius et fortius conjungatur et uniatur, volumus et consentimus quod comes Flandrie qui nunc est et ejus successores comitis *(b)* Flandrie qui erunt pro tempore, dato quod ipsorum aliquem vel aliquos absque herede masculo vel nullo prorsus herede ex propria carne relicto futuris temporibus decedere contingeret et ingredi viam universe carnis, prefatum feodum ipsius opidi cum Geralmont et Bornehem sic unitum, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus, usibus, legibus, juribus vel statutis civitatis vel dyocesis Leodiensis vel aliarum partium quarumcumque contrarium forsan innuentibus, statuentibus vel tenentibus, ad illum qui in dicto comitatu comiti premortuo legitime succedet libere transmittant. Et tenebuntur tam dictus comes qui nunc est quam ejus successores comites Flandrie dictum feodum a nobis episcopo et successoribus nostris episcopis Leodiensibus relevare et homagium *(c)* et alia *(d)* de eo facere que boni et legales vassalli dominis suis facere tenentur. Non tamen intendimus per inhibitam *(e)* separationem predicti opidi a predicto comitatu seu unionem ipsius ad predictum comitatum ipsum opidum conjungere feodo vel retrofeodo quod nos vel ipse tenemus ab Imperio, a rege Francie vel Alemanie. Nec etiam est intentionis nostre quod ab ipso comite vel ejus successoribus pro relevio vel ratione relevii

a) possidendum et tenendum, *Bal.* — *b) omis par Bal.* — *c)* et homagium, *omis par Bal.* — *d)* alias, *Bal.* — *e)* inhabitam, *Bal.*

quicquam exigatur vel solvatur. Et debemus nos et successores nostri dictum feodum sic unitum cum Geralmont et Bornehem cum juribus et pertinentiis suis, ut est dictum, universis ipsi comiti et ejus successoribus comitibus Flandrie predictis erga quoscumque ut bonus dominus feodi defendere et garandisare. Et [553] quamvis intentionis nostre non existat quod virtute translationis universalis dicti opidi Machliniensis cum juribus et pertinentiis suis, de quo superius mentio habetur, transferatur in ipsum comitem et ejus successores predictos jus conferendi, providendi seu disponendi de abbatia seculari seu prepositura dicti opidi et juribus ejusdem, de qua nulli potest nisi canonicis ecclesie nostre Leodiensis *(a)* provideri, tamen per eam in dictum comitem et prefatos ejus successores omnia que in ipso opido, ejus appenditiis, accessoriis et pertinentiis ad nos, alterum nostrum, seu ecclesiam Leodiensem communiter vel divisim spectant vel spectare possunt quoquo modo, sic universaliter transferre volumus et intendimus quod preter superius expressa nichil penitus retinemus in eisdem, constituentes ipsum comitem traditione presentium *(b)* omnium et singulorum predictorum que ibidem habuimus et habere potuimus sub modis et forma superius expressis ex nunc verum et legitimum juris et facti possessorem. Et promittimus bona fide quod nos et successores nostri premissa omnia et singula firmiter et inviolabiliter tenebimus et observabimus, et quod contra ea ullis unquam temporibus non faciemus nec veniemus per nos vel per alium tacite vel expresse, qualibet arte, cavillatione vel ingenio, directe vel indirecte, nos et bona nostra ac ecclesie nostre Leodiensis ubilibet existentia presentia et futura tenore presentium ad hoc efficaciter obligantes; renuntiantes in hoc facto exceptioni doli mali, vis, metus, circumventionis, rei non sic geste, exceptioni non numerate pecunie, non tradite, non solute, in utilitatem ecclesie non converse, solempnitatis et forme que in alienationibus rerum ecclesiasticarum necessarie sunt aut requiruntur de consuetudine vel de jure, non observatis authenticis *Hoc jus porrectum legi jubemus*, capitulo *sine exceptione*, constitutioni *Hoc consultissimo*, restitutioni in integrum, privilegio crucis sumpte et sumende, ac [554] omnibus aliis privilegiis, gratiis et indulgentiis sub quacumque forma verborum nobis vel ecclesie nostre a romanis pontificibus aut prelatis aliis, seu ab imperatoribus, regibus, aut aliis quibuscumque principibus impetratis, datis vel concessis, seu in posterum impetrandis, dandis vel conce-

a) ecclesie nostre Leodiensis, *omis par Bal.* — *b)* presenti, *Bal.*

dendis, et quod eis contra premissa vel aliquod premissorum uti non poterimus, etiamsi gratis concederentur vel darentur, ac omnibus aliis exceptionibus juris et facti, omnibus cavillationibus, subterfugiis, consuetudinibus, legibus, usibus, cautelis et statutis per que premissa seu eorumdem effectus in toto vel in parte impediri possent quomodolibet vel tardari, juri dicenti generalem renunciationem non valere, ac omnibus aliis que nobis et ecclesie nostre Leodiensi prodesse possent quomodolibet in hac parte et ipsi comiti seu ejus successoribus aliquatenus obesse. Et ad majorem securitatem omnium et singulorum premissorum supplicamus reverendo in Christo patri ac domino domino Waleramo, Dei gratia Coloniensi archiepiscopo, quatinus premissa omnia et singula, que ad tam evidentem utilitatem et profectum nostre Leodiensis ecclesie cum multa deliberatione et maturo consilio facta sunt et provisa, laudare velit et approbare ac sua auctoritate metropolitana confirmare, decretum suum super hiis interponendo, et defectum, si quis sit, eadem auctoritate supplendo. In quorum omnium testimonio et munimine sigilla nostra presentibus litteris sunt appensa. Datum et actum in capitulo nostro predicto vigesima octava die mensis *(a)*... anno Domini millesimo tricentesimo trigesimo tertio.

Hinc est quod nos Ludovicus, comes predictus, opidum Machliniense predictum sub modis et forma superius expressis nobis venditum esse recognoscentes, ipsum cum Geralmont et Bornehem unitum et conjunctum, ut premittitur, ab eisdem domino episcopo et ejus successoribus episcopis Leodiensibus qui pro [555] tempore fuerint successive in feodum relevare sibique homagium ac alia de ipso feodo facere que dominis suis boni vassalli facere tenentur, et a comitatu Flandrie dictum feodum sic unitum non alienare vel disjungere nec in alium vel in alios quam in nos et successores nostros comites Flandrie transferre, ceteraque omnia ac *(b)* singula superius in dictis litteris expressa, in quantum nos tangunt et tangere possunt quoquo modo, facere, tenere, adimplere et inviolabiliter observare pro nobis ac nostris successoribus predictis promittimus bona fide, nos et ipsos successores nostraque et cujuslibet eorum bona omnia et singula mobilia et immobilia tam presentia quam futura, ubicumque fuerint, ad hec specialiter et efficaciter obligando, renuntiantes in hoc facto exceptioni doli mali, vis, metus, circumventionis, lesionis, deceptionis, rei aliter geste quam scripte, quibuscumque privilegiis, be-

a) Baluze supplée à l'omission du ms. et met julii. — *b)* et, *Bal.*

neficiis, gratiis, indulgentiis a romanis pontificibus, imperatoribus, regibus, aut quibuscumque principibus ac prelatis, et aliis sub quacumque forma verborum impetratis, datis, concessis, impetrandis, dandis et concedendis, omnibus cavillationibus, subterfugiis, ac cautelis, et generaliter ceteris auxiliis et remediis tam juris quam facti que nobis et successoribus nostris predictis prodesse prefatisque dominis episcopo et capitulo sive futuris successoribus episcopis Leodiensibus aut ecclesie Leodiensi obesse possent in premissis vel aliquo premissorum, et per quas ea vel eorum aliqua impediri valeant aut in aliquo retardari, ita quod valeat hujusmodi renuntiatio generalis quemadmodum specialis fieret et expressa. In quorum omnium testimonium et munimen nos Ludovicus, comes predictus, pro nobis et nostris successoribus presentes litteras eisdem *(a)* domino episcopo et capitulo contulimus sigillo nostro majori quo utimur et uti consuevimus sigillatas. Datum anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo tertio.

LXXXII

[556] Bulla[1] Joannis XXII qua confirmat fundationem ecclesiae collegiatae factam apud Villamnovam, Avenionensis diocesis, ab Arnaldo de Via cardinale. — Avignon, 23 octobre 1333.

Johannes, episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Hiis que ad laudem Dei et ejus pii cultus augmentum et pro animarum salute pia dispositione fidelium ordinantur libenter robur adjicimus apostolice firmitatis. Sane petitio dilecti filii nostri Arnaldi, Sancti Eustachii dyaconi cardinalis, nobis exhibita continebat quod ipse, dudum attendens et agnoscens multitudinem gratiarum, quas ei contulit dominus noster Jhesus Christus, ac cupiens quantum potest evitare vitium ingratitudinis, et eidem, si dignetur aspicere et in aliquo complacere, ad honorem ipsius domini nostri Jhesu

a) eidem, *Bal.*

---

1. Archives du Gard *G 1241*, fol. 62 et 63. Il existe un autre exemplaire au musée de Villeneuve-lez-Avignon. Je n'ai pu vérifier l'exactitude des lectures de Baluze, communication des documents ne m'ayant pas été faite.

Christi et beatissime Marie virginis, ejus dignissime matris, pro utilitate anime nostre ac sue, ac parentum et benefactorum suorum, et omnium fidelium defunctorum, de licentia, auctoritate et assensu nostris, per nos ei specialiter super hoc prestitis, datis et concessis, quamdam ecclesiam construi fecit et etiam ordinavit in solo suo proprio, in loco de Villanova Sancti Andree, Avinionensis dyocesis, in honore et sub titulo ejusdem beatissime Marie virginis gloriose, ipsamque de suis bonis propriis dotavit, eamque fecit et constituit et esse voluit collegiatam secularem, et in ea duodecim canonicorum capitulum facientium et tredecim prebendarum numerum statuit et etiam ordinavit, sic quod de dictis duodecim canonicis unus sit decanus, qui caput ipsius ecclesie censeatur, primum locum in dextera parte chori primamque vocem, que pro duabus habeatur, et duas prebendas obtineat in eadem, ac curam et regimen animarum habeat et exerceat per se vel [557] per alium seu alios de ipsa ecclesia quos elegerit, quoties sibi placuerit, canonicorum, presbiterorum, et omnium servitorum ecclesie et collegii predictorum, etiamsi layci existant, et quod decanatus dignitas sit et esse reputetur, quodque de dictis duodecim canonicis sit unus precentor, et alter sacrista, et sint precentoria et sacristia officia simplicia sine cura : qui quidem precentor et sacrista post decanum loca in choro et voces in capitulo habebunt, et deinde ceteri canonici secundum provisionum suarum ordinem loca et voces post predictos etiam obtinebunt; sedebitque precentor primus a sinistra parte chori, et sacrista a dextera parte juxta sedem prefati decani. Voluit insuper et etiam ordinavit quod ultra predictos sint in eadem ecclesia duodecim presbiteri, duo dyaconi, et duo subdyaconi, duo clerici acolythi perpetui, et quatuor pueri temporales : qui pueri puniri, poni et amoveri valeant per decanum, cum ei videbitur expedire. Qui omnes chorum et horas canonicas continuare habeant certo modo pro divinis officiis celebrandis. Idem quoque cardinalis multa alia dictum collegium tangentia circa ipsius divini cultus augmentum et alias per canonicos et alias personas predictas ejusdem collegii salubriter observanda statuit et etiam ordinavit; prout hec et alia in instrumento publico inde confecto ejusdem cardinalis sigillo signato, cujus tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius et seriosius continentur. Quare nobis idem cardinalis humiliter supplicavit ut premissa et alia omnia et singula per eumdem cardinalem statuta, facta et etiam ordinata, in eodem instrumento contenta, apostolico fulcire presidio dignaremur. Nos igitur ejusdem cardinalis pium in hac parte ac lau-

dabile propositum quamplurimum in Domino commendantes, illudque quantum cum Deo possumus opportunis favoribus prosequi cupientes, ipsius cardinalis supplicationibus inclinati, premissa et om[558]nia alia et singula per eumdem cardinalem statuta et etiam ordinata in eodem instrumento contenta rata et grata habentes, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si quis forsitan in premissis fuerit de apostolice plenitudine potestatis. Ceterum cupientes ut eadem ecclesia, tanquam nova plantatio, ad laudem divini nominis et ejus assidui cultus augmentum, de bono semper in melius prosperetur, volentesque illam propterea specialibus privilegiis communire, auctoritate predicta concedimus per presentes ut predicta ecclesia pro personis ipsius ecclesie et earum servitoribus cimiterium habeat et liberam sepulturam, quodque decanus et capitulum ipsius ecclesie, qui erunt pro tempore, fidelium oblationes quascumque et quomodocumque provenientes ad ipsam ecclesiam, et ex quacumque causa fiant in ea et cimiteriis supradictis, libere et licite recipere et retinere possint absque contradictione cujusquam, ita quod ad restitutionem aliquam de ipsis cuiquam faciendam ab aliquo non cogantur nec etiam cogi possint occasione quacumque. Concedimus insuper quod de fructibus terrarum vel vinearum aut aliorum quorumcumque bonorum que prefata ecclesia nunc obtinet, licet pro eis hactenus solvi consueverint, cuique deinceps decimam sive primitiam vel aliam portionem loco seu nomine decime vel primitie decanus et capitulum, qui erunt pro tempore, persolvere nullatenus teneantur. Tenor autem dicti instrumenti talis est :

In nomine Domini nostri Jhesu Christi. Amen. Ad cujus laudem et gloriam et divini cultus augmentum, Deo auctore, sonorius propagandum nos, Arnaldus de Via, miseratione divina Sancti Eustachii dyaconus cardinalis, attendentes et agnoscentes, licet minus debite, gratiarum multitudines, quas nobis immeritis contulit Dominus Deus noster, ac cu[559]pientes, quantum possumus, evitare vitium ingratitudinis, et eidem, cujus abundat continua gratia, si dignetur aspicere, in aliquo complacere, ideirco ad honorem ipsius Domini nostri Jhesu Christi et beatissime Marie virginis, ejus dignissime matris, pro utilitate anime sanctissimi patris et domini nostri domini Johannis, divina providentia pape XXIJ, ac nostre, et parentum ac benefactorum nostrorum et omnium fidelium defunctorum, de licentia, auctoritate et assensu prefati domini nostri pape, vive vocis oraculo, per eum nobis specialiter et gratiose prestitis, datis et conces-

sis ad omnia et singula infrascripta quamdam ecclesiam construi fecimus et ordinavimus in solo nostro proprio, in loco de Villanova Sancti Andree, Avinionensis dyocesis, in honorem ejusdem beatissime Marie virginis gloriose, et in ea certum numerum canonicorum et presbiterorum et aliorum servitorum inferius designandorum deputavimus, ac ipsam ecclesiam dotavimus in modum, qui sequitur, et dotamus. In primis dictam nostram ecclesiam facimus et constituimus et esse volumus collegiatam ecclesiam, et in ea duodecim canonicorum capitulum facientium et tredecim prebendarum numerum statuimus et etiam ordinamus. Item quod de dictis duodecim canonicis unus sit decanus, qui caput ecclesie censeatur, primumque locum in dextera parte chori et primam vocem in capitulo, que pro duabus vocibus habeatur, et duas prebendas obtineat in eadem, ac curam et regimen animarum habeat et exerceat per se, vel alium seu alios, de ipsa ecclesia, quos elegerit, quotiens sibi placuerit, canonicorum, presbiterorum, et omnium servitorum ecclesie et collegii predictorum, etiamsi layci existant, et quod decanatus sit dignitas et reputetur. Item quod de dictis duodecim canonicis sit unus precentor et alter sacrista, et sint precentoria et sacristia officia simplicia sine cura, qui post decanum loca in choro et voces in capitulo habebunt, [560] deinde ceteri canonici, secundum provisionum suarum ordinem, loca et voces post predictos etiam obtinebunt; sedebitque precentor primus a sinistra parte chori, et sacrista a dextera parte juxta sedem decani. Item volumus et ordinamus quod ultra predictos sint in eadem ecclesia duodecim presbiteri, duo dyaconi, duo subdyaconi, duo clerici acolythi perpetui, et quatuor pueri temporales, qui puniri, poni et amoveri valeant per decanum, cum ei videbitur expedire : qui omnes chorum et horas canonicas continuare habeant pro celebrandis et dicendis divinis officiis, prout inferius declaratur. Item quod omnes supradicti in cibo et potu vitam habeant in communi et in eodem refectorio comedendo et vivendo in prandio et in cena, nisi eos notabilis infirmitas excusaret vel alia justa causa. Item decanus coquum, hortolanum, fornerium et alios servitores necessarios et utiles pro se et dicto collegio ponere habeat et amovere, quando sibi videbitur expedire. Item quod decanus in predictis omnibus supradictis de dicto collegio habeat et debeat providere, ut dictum est, decenter de communibus ecclesie predicte et collegii proventibus et omnia onera supportare et etiam distributiones per nos inferius declarandas solvere canonicis et aliis servitoribus ipsius ecclesie, quousque creator omnium Deus manum suam munificam ampliaverit ta-

liter quod de bonis per nos, ut optamus, seu ipsos decanum et capitulum seu alios acquirendis possint pinguiores distributiones fieri et prebende aliter augmentari. Item quod omnes canonici, presbiteri, et alii servitores ipsius ecclesie personalem residentiam et continuam faciant in eadem, nisi ex causa legitima necessaria seu honesta se haberent absentare. Quo casu, petita licentia a decano et capitulo, ipsi eam, prout sibi expediens vel utile videbitur, possint dare, pro uno tamen mense decanus solus, et pro duobus diebus in mense, decano absente vel [567] ejus locum tenente, precentor dictam licentiam possit dare. Item quod omnes intersint horis et servitiis diurnis pariter et nocturnis. Et ut hec libentius facere et continuare velint et valeant volumus quod quilibet ex dictis canonicis habeat annuatim et recipiat per modum distributionum quotidianarum in pecunia vel alia re equivalenti, donec aliter, prout optamus, ordinaverimus, duodecim libras turonensium parvorum, quilibet vero ex presbiteris sex libras turonenses, quilibet vero ex dyaconis sexaginta solidos, quilibet ex subdyaconis sexaginta solidos, quilibet ex clericis acolythis quadraginta solidos in monetis predictis recipiant ultra victum superius dictum. Item quod de predictis summis pecunie satisfiat predictis omnibus per decanum in fine cujuslibet mensis pro rata. Si tamen quolibet mense solutiones hujusmodi non possent commode fieri, in mensem secundum nec ulterius, si necessitas aut utilitas evidens dicte ecclesie exegerit, prorogentur. Item quia multum desideramus quod in dicta nostra ecclesia divinum officium augeatur et sollemniter celebretur, quia sepe timor amissionis lucri temporalis quamplures ad peragenda spiritualia excitat et inducit, idcirco volumus quod canonicus, etiamsi precentor vel sacrista existat, qui cessante infirmitate notabili, vel alias in negotiis ecclesie non occupatus, in matutinis in choro non interfuerit, duos denarios, in missa matutinali unum denarium, in missa majori unum denarium, et pro qualibet aliarum horarum, prima excepta, in quibus qui non interfuerit, unum denarium amittat, et de parte summe que sibi solvi debebit, ut dictum est, mense quolibet detrahatur. Presbiter vero si non interfuerit justa causa cessante, ut supra de canonicis dictum est, in matutinis unum denarium, in missa majori unum denarium, in vesperis unam denarium, in missa matutinali et aliarum horarum obolum amittat. Dyaconus in matutinis unum [568] denarium, in missa matutinali obolum, in missa majori obolum, in vesperis unum denarium amittat. Subdyaconus vero in matutinis unum denarium, in missa matutinali obolum, in missa majori obo-

lum, in vesperis denarium amittat. Clericus autem acolythus in matutinis obolum et in missa majori obolum amittat. Pro aliis horis et defectibus et etiam dyaconi et subdyaconi cum pueris puniantur arbitrarie per decanum vel, eo absente, per precentorem. Et si illud quod dicti presbiteri, dyaconi, et subdyaconi lucrabuntur quolibet mense non sufficeret ad penas, quas propter absentias et defectus suos incurrerint persolvendas, tantumdem deducatur de hoc quod lucrabuntur in mense vel in mensibus sequentibus. Si vero aliquis de predictis presbiteris, dyaconis, subdyaconis et clericis per mensem continuum vel ulterius, cum licentia tamen, absens fuerit, pro illo mense nichil amittat ultra hoc quod esset alias lucraturus, si presens fuisset et horis interesset. Et idem intelligimus si per duos dies vel plures continuos absens fuerit ab ecclesia et mensa, et de victualibus portionem non receperit aliqualem. Quicumque vero de predictis, cessante predicta causa vel necessitate corporali naturali, in matutinis ante finem psalmi *Venite exultemus* et in ultima lectione et ultima oratione et in omnibus horis ante finem primi psalmi et in oratione et missa ante finem introitus, et in elevatione corporis Christi, et in oratione ultima in choro presens non fuerit, hoc quod presens lucratus fuerat eum volumus amisisse. Item quia consecrationem corporis et sanguinis Domini nostri Jhesu Christi speciale et singulare remedium et auxilium esse credimus firmiter animabus, nos ipsius mysterii affectantes participes existere dictum dominum papam et nos ipsos, idcirco volumus et statuimus quod omnes prebende predicte nostre ecclesie sacerdotales existant, ita quod quicumque factus fuerit canonicus ipsius ecclesie, si pres[569]biter non fuerit, infra annum a die adepte possessionis pacifice prebende sue computandum se faciat et facere teneatur ad sacerdotium, si alias tamen fuerit etatis legitime, et interim, si etiam sufficientem etatem habuerit ad hoc, in dyaconum promoveri. Quod si facere neglexerit, justo impedimento vel rationabili causa cessante, ipso facto ipsum talem volumus et ex nunc decernimus id omne quod in dicta prebenda habuerat et sibi aliquatenus competierat amisisse et eo fore privatum absque ulla cause cognitione judiciaria ordinaria vel extraordinaria ac etiam delegata. Et idem intelligimus de precentore et sacrista predictis. Ita quod donec ipsi et alii canonici presbiteri fuerint, vocem non habeant in capitulo, nec distributiones recipiant, nisi prout ordo quem habuerint acquiret, videlicet quod donec fuerit subdyaconus, recipiat ut unus de clericis acolythis, et cum fuerit subdyaconus vel dyaconus, recipiat sicut est de talibus superius ordinatum. Volumus tamen quod

decanus, si presbiter non esset tempore sue electionis, vocem habeat et alia exerceat que ad suum spectabunt officium per se vel alium anno primo, et omnia recipiat ad eum pertinentia; proviso tamen quod infra annum, justo impedimento cessante, se faciat in presbiterum ordinari, prout est de aliis canonicis supra ordinatum. Item volumus et obsecramus in Domino omnes tam canonicos quam alios sacerdotes dicte nostre ecclesie ut omni die ad hoc apto, si commode et honeste valeant, quilibet ipsorum missam habeat et debeat celebrare. Missas autem eis commissas in tabula seu cartello studeant celebrare. Quod nisi fecerint cessante causa legitima, per decanum corrigantur et puniantur. Item quod per precentorem omni die sabbati scribatur in tabula seu cartello et ordinetur quod omni die, exceptis diebus dominicis et festis sollemnibus, tres misse pro mortuis specialiter celebrentur ad minus. Item quod om[570]nes canonici vicissim unus post alium sint hebdomadarii, qui missam majorem celebrent, omnes horas in choro incipiant et finiant, ex causa vero necessaria vel opportuna possint per alium de canonicis et de presbiteris hebdomadariis, quantum ad horas, officium hujusmodi exercere. Item quod in festis sollemnibus et majoribus duplicibus decanus missam majorem cantet et officium faciat illa die et alias quandocumque placuerit sibi. In decani vero absentia precentor vel sacrista vicem ipsius tenebunt. Et si predicti decanus, precentor, et sacrista cessante causa legitima hoc facere recusaverint, emolumento careant quod essent in missis et in horis hujusmodi recepturi. Item quod ex dictis duodecim presbiteris quatuor eligantur per decanum, qui sint hebdomadarii non perpetui, sed temporales, qui missas matutinales et alias cum nota celebrent, excepta missa majori, quam, ut predictum est, per canonicum, si fieri poterit, volumus celebrari et horas dici. Item quod in dicta nostra ecclesia perpetuo misse et alia divina officia secundum morem et usum sancte romane Ecclesie et juxta ordinationem nostram celebrentur et fiant. Item quod qualibet die mane pulsato ad primam, et ea dicta et cantata, celebretur in ipsa ecclesia per illum qui ad hoc deputatus fuerit una missa cum nota, in qua sint omnes presentes, ut dictum est supra, videlicet in die dominico de trinitate vel de die, die lune et mercurii pro defunctis, die martis et jovis et die sabbati de beata Maria, et die veneris de sancta cruce. Hoc autem intelligimus fieri, nisi ex causa rationabili vel necessaria cessaretur, prout decano vel capitulo faciendum videbitur. Item quod omnibus diebus sabbati totius anni, exceptis quadragesime et adventus, celebretur totum officium de beata Maria,

nisi festum duplex vel generale vel habens propria responsoria impediret vel aliud rationabile, prout videbitur expediens precentori vel canonico hebdomadario [571] illius septimane. Item quod cum dicta missa die sabbati et alie aliis diebus cum notis, ut supra dictum est, dici non poterunt, dicantur secrete per illos quibus commisse fuerint; qui si in hoc deficiant, puniantur per decanum. Item quod missa major et alie de quibus expediens decano videbitur semper cum dyacono et subdyacono indutis sacris vestibus celebretur, et quod tunc canonicus habeat celebrare, ut est superius ordinatum. Item quod semper cum missa celebrabitur in majori altari vel in alio dicte ecclesie cum nota, due facule ardeant in altari. In majoribus vero festis duplicibus duo cerei ponderis quilibet unius libre de novo ponentur. In festis vero solemnibus quatuor cerei ardeant predicti ponderis ad minus. In aliis vero festivitatibus et semper in vesperis et matutinis provideatur de cereis, faculis vel candelis, prout decano et capitulo videbitur expedire. Item quod in ecclesia sint ad minus tres lampades, que in missis, matutinis et vesperis accense sint, et una semper accensa sit die ac nocte continue. Item quod in omnibus missis, nisi esset festum duplex vel pro defunctis, dicatur una specialis oratio, videlicet *Deus omnium*, pro domino nostro papa Johanne. Item quod pro nobis alia specialis oratio, scilicet *Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo, etc.* dicatur in missis predictis, excepta majori. Item cum Deo placuerit ad se dictum dominum nostrum papam Johannem evocare, volumus et ordinamus ac precipimus quod in omnibus missalibus et martyrologiis ac kalendariis ecclesie nostre predicte et alibi, ubi videbitur expediens, ad perpetuam rei memoriam scribatur dies obitus ipsius domini nostri pape, et quod tali die, si commode fieri possit, alioquin alia sequenti proxima non impedita, perpetuis temporibus cum vigilia et officio totali defunctorum missa major sollemniter pro ejus anima specialiter celebretur. Item quod eodem die omnes canonici, presbiteri, et alii servitores dicte ecclesie, [572] si presentes fuerint, distributiones pecunie habeant duplicatas. Item quod omnes presbiteri, undecumque venerint, qui illa die in dicta nostra ecclesia missam pro anima ipsius domini nostri pape voluerint celebrare, celebrent, et habeat quilibet eorum refectionem in prandio et ultra hoc sex denarios turonenses. Item volumus quod post decessum dicti domini nostri pape in omnibus missis ceteris defunctorum una specialis oratio et specialis memoria per celebrantem in dicta ecclesia dicatur et fiat. Item quod semel in die post comestionem a canonicis et aliis servitoribus dicte

nostre ecclesie gratie reddantur, et dicatur ab ipsis psalmus *De profundis*, cum *Requiem eternam* et una oratio specialis pro anima ipsius domini nostri pape. Item idem dici per omnia pro nobis et fieri etiam volumus que in quinque articulis supra proxime scriptis continentur, quandocumque Deo placuerit nos migrare ad eum. Psalmus vero *De profundis* cum una oratione communi post comestionem, et in missa oratio pro ambobus dicatur. Item volumus quod quandocumque continget vel exiget necessitas quod una die misse cum nota debeant celebrari vel dici officium defunctorum, processiones fieri aliqua de causa vel alia debita et honesta per decanum et capitulum superius ordinata vel ordinanda, quod omnes tam canonici quam alii talibus intersint. Quod si facere cessante causa legitima recusaverint, per decanum et capitulum puniantur. Item volumus quod pro omnibus defectibus et transgressionibus faciendis in dicta nostra ecclesia et collegio per quemcumque de quibus in presenti nostra ordinatione nulla pena vel penitentia statuta vel ordinata est, per decanum et capitulum, quandocumque et quotiescumque eis expedire videbitur, hujusmodi pena vel penitentia statuatur; et eisdem decano et capitulo super illis volumus obediri. Item volumus quod omnes canonici et presbiteri et alii servitores dicte nostre ecclesie in [573] ea specialiter sint et stent in habitu mundo et integro et honesto, videlicet a vigilia Pasche incipiendo in missa usque ad vigiliam Omnium Sanctorum inclusive in superpelliciis tantum uniformiter factis, scilicet cum longis manicis, maxime de die. Item quod canonici et presbiteri a festo Omnium Sanctorum incipiendo ad matutinas usque ad predictam vigiliam Pasche sint cum superpelliciis et cappa nigra de saya vel alio panno nigro; que cappa sit usque ad pectus competenter aperta cum grandi capucio, et sit longa usque ad terram, et non habeat caudam acutam, sed in circuitu rotunda sit et equalis. Canonici vero, si voluerint, portare poterunt longiores et aumussias de feuvollis. Alii vero, scilicet presbiteri, dyaconi, subdyaconi, de alia pelle nigra a parte exteriori vel panno honesto portent, et chorum sic induti intrent, et stent in eo. Item quod omnes, antequam divinum officium incipiatur, in ecclesia studeant esse presentes, et per hebdomadarium major pars per spatium competens exspectetur. Item quod postquam chorum, ut predicitur, intraverint, inde non exeant quamdiu ibi dicetur et fiet divinum officium donec finitum fuerit et completum, nisi necessitate naturali vel alia justa causa. Item quod omnes induti predicto habitu intrent ecclesiam cum ad horas venient vel ibi dicentur, et non aliter, et induti recedant habitu predicto.

Dyaconi vero, subdyaconi, clerici acolythi, et pueri cum superpellicio esse poterunt sine cappa. Item quod nullus predictorum tonsuram deferat angularem vel minus parvam. Quod si fecerit, per precentorem corripiatur, et si necesse fuerit, aliter puniatur per decanum. Item quod nullus chorum intret sine caligis decentibus et sotularibus presertim de die, nec de nocte sine sotularibus, vel patinis tempore hyemali vel bottis. Item ut canonici et omnes servitores dicte nostre ecclesie bona que agent, propitio Deo, per incautam custodiam, procurante ini[574]mico humani generis, non amittant, monemus et hortamur omnes in Domino et singulos ut continenter et caste vivere studeant universi, presertim in sacris ordinibus constituti, ad aleas vel taxillos non ludant, nec ludis hujusmodi intersint, nec tabernas aut loca suspecta frequentent. Quod si fecerint, per decanum et capitulum, prout culpa exiget, corrigantur et puniantur. Vestes deferant honestas in habitu et colore, prout decet statum ordinis clericalis; sotulares consutitios non deferant, sed per omnia in pace et caritate continua studeant gratum Deo et beate Marie obsequium interius et exterius exhibere. Item ordinamus quod officium precentoris sit officiare in ecclesia per se vel per alium qui refutare non valeat. Ordinare etiam habebit de cantoribus, qui psalmos ab utraque parte chori incipient, prout in cantu necessarium fuerit, in missis et horis canonicis, in tabula vel cartello scribere et in choro ponere qualibet die sabbati, et ibi ordinare de illis qui in ipsa septimana missas celebrabunt, ut supra dictum est, legent et cantabunt, et etiam punctare vel scribere absentias omnium servitorum, et referre et notificare decano in fine cujuslibet mensis dictas absentias, pecunias quas pro anniversariis dari vel assignari continget levare et accipere et inter presentes dividere juxta ordinationem legantis, decani et capituli. Et predicta jurabit dictus precentor decano et capitulo facere per se vel alium de ecclesia, qui jurabit etiam eo modo fidelitatem et quantum commode poterit diligenter et sine fraude premissa facere, cessante odio, amicitia vel favore. Item volumus quod dicto precentori in hiis que in ecclesia et choro ex suo officio ordinabit et precipiet ab omnibus pareatur, nisi causa rationabilis obstaret. Item quod dictus precentor ultra prebendam suam pro labore suo et officio habeat centum solidos turonenses annuatim sibi solvendos per decanum duobus anni terminis, videlicet in festis Paschatis [575] et Omnium Sanctorum. Item volumus quod si dictus precentor officium suum predictum negligenter ageret, nisi ad monitionem decani et capituli se emendare voluerit, per substractionem dicte summe centum soli-

dorum vel partis illius vel gravius, si culpa exigeret, prout decano et capitulo videbitur, puniatur. Et idem fieri volumus de sacrista. Item quod officium sacriste sit libros, calices, cruces simplices, vestimenta sacerdotalia, et alia ornamenta ecclesie que sibi tradentur custodire, et de omnibus necessariis circa servitium ecclesie curare et providere pro horis nocturnis et diurnis, et alias quandocumque necessarium fuerit, tempore congruo campanas pulsari facere, oblationes quascumque recipere et conservare, et de hiis in fine cujuslibet mensis vel septimane, si decanus voluerit, rationem reddere et assignare integre dicto decano et tradere sine fraude. Et quod predicta, quantum poterit commode, fideliter faciet prestet dicto decano corporale juramentum. Item volumus quod dictus sacrista habeat centum solidos turonenses in duobus terminis anni solvendos sibi, ut de precentore est dictum. Item volumus quod dicto sacriste in campanis pulsandis et aliis omnibus que spectabunt ad suum officium a dyaconis et aliis servitoribus pareatur. Item volumus quod in quolibet generalium capitulorum inferius ordinandorum sacrista predictus teneatur exhibere decano et capitulo libros, calices, et alia que sibi tradita fuerint custodienda, de quibus fieri volumus inventarium cum sibi tradentur; et si quid per incuriam vel negligentiam vel per factum ipsius sacriste vel culpam amissum fuerit vel destructum, dictus sacrista de proprio emendare et restituere teneatur. Quod si facere noluerit, juxta ordinationem decani et capituli per ipsos custodia ipsa alii committatur, et ipse sacrista compellatur ad satisfactionem plenarie faciendam, prout eisdem decano et capitulo videbitur faciendum, et cum satisfecerit re[576]stituatur sibi custodia predictorum, et quod interim provideatur arbitrarie de summa dictorum centum solidorum illi cui dicta custodia fuerit commissa. Item volumus quod uno die in qualibet septimana, videlicet die mercurii, vel alio die, si illo commode vacare non possent, per decanum et canonicos, dicta missa matutinali, capitulum congregetur ad sonum campane ac teneatur per eosdem, in quo tractatum habeant de negotiis et utilitatibus dicte ecclesie et necessitatibus quibuscumque, ita tamen quod ipsis congregatis ante omnia dicant psalmum *De profundis* cum *Requiem eternam*, *Pater noster*, et tres orationes, scilicet *Deus qui inter apostolicos sacerdotes*, *Deus venie largitor*, et *Fidelium Deus*, pro cunctis fidelibus defunctis, et in ea sedeant et in agendis procedant, prout sibi Dominus ministrabit. Item volumus et concedimus eisdem decano et capitulo quod arcam communem habeant et sigillum, in qua arca teneantur et reponantur sigillum ipsum, instrumenta, carte et littere,

privilegia, scripture, thesaurus, et alia de quibus decano et capitulo videbitur expedire, que ponatur in certo loco per eosdem; et in ipsa arca sint tres claves, quarum unam teneat decanus, et aliam precentor uno anno et sacrista alio vicissim, tertiam vero unus de aliis canonicis per capitulum annis singulis eligendus; et quod nullus tres omnes claves predictas aut duas simul tenere presumat, nec cum sigillo predicto communi aliquid sigillare, nisi de scientia et consensu decani et capituli vel majoris partis et sanioris ejusdem. Item volumus quod per decanum predictum precentori predicto, sacriste, canonicis, presbiteris et aliis servitoribus dicte ecclesie provideatur de pane, qui fiet de blado, et vino proveniente ex redditibus, proventibus, terris ac vineis ipsius ecclesie, ita quod omnes de eodem pane sufficienter et de eodem dolio vini ac eadem pitancia fruantur et ipsis provideatur, canonicis vero ali[577]quantulum quam presbiteris pinguior portio de pitancia assignetur, dyaconi vero et subdyaconi et alii servitores portione que eis prestabitur contententur. Volumus tamen quod ille qui ad hoc ministrandum et dividendum per decanum deputatus fuerit equaliter, ut melius poterit, secundum personarum equalitatem pitanciam dividat cessante fraude, odio vel favore, et hoc teneatur jurare. Item volumus quod provideatur diebus dominica, martis et jovis, si in eis carnes comedantur, de carnibus mutoninis vel bovinis vel porcinis competenter in prandio et in cena, diebus vero lune et mercurii de eisdem carnibus. Ipsis autem diebus lune et mercurii, veneris et sabbati in cena providebitur de caseo competenti. Dictis autem diebus veneris et sabbati et vigiliis jejunalibus in prandio de recentibus piscibus vel salsis, si commode inveniantur, et in defectu piscium ova et caseus ministrentur. In quadragesima vero ministrabuntur duo pulmenta et de piscibus, ut supra dictum est. Et provisiones hujusmodi fiant juxta ordinationem et arbitrium decani et capituli et etiam ministrentur pueris. Illis autem jejunare non valentibus ministretur panis et vinum ultra refectionem communem. Item quod illi qui extra refectorium comedere voluerint cessante infirmitate notabili, cum causa tamen rationabili, panis et vinum dumtaxat ministrentur in quantitate quam decanus et capitulum ordinabunt. Infirmantibus autem dabitur portio quam essent in refectorio accepturi vel aliud equivalens, prout infirmitatis qualitas exposcet. Item quod in festis Natalis Domini, sancti Stephani, Circumcisionis Domini et Epiphanie, ac dominica in quinquagesima, necnon in Resurrectionis dominice cum die sequenti, Ascensionis Domini, Pentecostes, Corporis Christi, nativitatis beati Johannis

Baptiste, apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum, ac quatuor beate Marie virginis festivitatibus, in prandio portio carnium et piscium [578] augmentetur juxta ordinationem decani et capituli. Nolumus autem quod die lune et die martis ante quartam feriam cinerum carnes sed cibaria quadragesimalia eis administrentur, nec in refectorio per aliquem comedantur. Item quia decanus in omnibus, ut predictum est, ut subsequitur providebit et providere habebit, volumus et ordinamus quod ab omnibus tam canonicis quam aliis sibi in omnibus licitis et honestis, utilibus et necessariis per omnia pareatur, et quod distributiones quotidianas libere recipiat insistendo negotiis ecclesie et in ea personaliter etiam residendo. Item volumus, concedimus et ordinamus quod ipse decanus liberam administrationem habeat omnium et singulorum redditum, obventionum, bonorum et rerum dicte ecclesie et collegio datorum et concessorum et etiam concedendorum ac acquirendorum per nos vel quemcumque seu quoscumque in futurum per se vel alium seu alios suo et capituli nomine, et omnes redditus et proventus, emolumenta quecumque levet et percipiat, congreget et conservet, arrendet et vendat. Alienationem tamen bonorum immobilium sibi penitus interdicimus. Item si contingeret quod pro victualibus vel propter aliam necessitatem inevitabilem seu dampnosam vel evidentem utilitatem ipsius ecclesie et collegii oporteret vel expediret sumi mutuum vel ecclesiam obligari, et notum esset capitulo quod decanus non haberet de communi unde posset illi necessitati vel utilitati providere, nolumus quod decanus illi necessitati providere teneatur donec capitulum consenserit in obligatione facienda vel mutuo contrahendo. Et idem intelligimus de quibuscumque aliis necessitatibus, quibus ad providendum ipsum decanum ultra facultates communium redditum capituli nolumus obligari seu teneri. Item volumus et ordinamus quod dictus decanus quolibet anno in capitulo generali, quod fieri et teneri volumus anno quolibet per dictos canonicos die [579] mercurii post festum Omnium Sanctorum, nisi illa die fuerit festum animarum, et tunc in sequenti die mercurii post festum animarum, et absentes vocari, si infra diocesim Avinionensem seu in certo loco et noto capitulo extiterint, et non extra, ante diem predictam, et si non venerint, minime expectentur, ostendat et rationem reddat per se, et cum absens fuerit extra diocesim sine malitia, per alium de administratis et receptis per eum anno illo. Et si reperiatur quod ipse decanus expensas inutiles vel nimium excessivas in notabili quantitate et in negotiis ad ecclesiam non pertinentibus fecerit anno illo, ad ar-

bitrium capituli vel majoris partis ejusdem, considerata qualitate negotiorum et temporum, per eum satisfiat, super quibus expensis faciendis ejus conscientiam oneramus. Item volumus quod aliud capitulum generale fiat die mercurii post festum Resurrectionis Domini, si commode fieri valeat, ut de alio dictum est; in quorum quolibet tractatus habeatur diligens de reformandis et ordinandis tam spiritualibus quam temporalibus que necessaria vel expedientia vel utilia videbuntur, et quod si ad hec agenda non sufficiat illa dies mercurii, teneatur capitulum ipsum alia die sequenti vel pluribus, si expedire videbitur decano et canonicis supradictis. Item quod quicquid per decanum vel ejus vicegerentem, canonicum tamen ipsius ecclesie, et capitulum vel majorem partem et saniorem ipsius fuerit in dictis capitulis definitum, statutum, seu modo quolibet, honeste tamen et laudabiliter, ordinatum, debeat ab omnibus et singulis ipsius ecclesie et collegii firmiter observari ac si nunc per nos fuisset ordinatum, donec per eosdem decanum et capitulum mutatum fuerit in totum vel in parte seu etiam revocatum; ita tamen quod per illa statuta effectui presentis nostre ordinationis nullum prejudicium generetur, nisi esset evidens utilitas ipsorum seu ecclesie vel necessitas. Quo casu omnes et singuli canonici de dicto capitulo vel [580] major pars ac sanior hoc asserere et affirmare habeat per proprium juramentum. Item volumus et ordinamus quod resta que omnibus et singulis pro omnibus servitoribus et ministris superius deputatis et deputandis et quibuscumque expensis et oneribus impositis et imponendis integraliter persolutis contigerit superesse in thesauro ecclesie predicte una cum pecunia que supererit, propter absentias illorum qui horis officiis divinis non intererint, juxta ordinationem nostram predictam, applicentur in necessitatibus emergentibus ac in redditibus acquirendis convertenda; quod tam de ipsis quam de aliis quibuscumque thesauro ipsius ecclesie deputatis et deputandis canonici aut aliqui alii ipsius ecclesie ministri nullatenus audeant inter se dividere aut sibi vel alii appropriare, in usus alios quam supra dictum est ipsam pecuniam vel aliquid aliud convertendo. Qui vero tradendo vel recipiendo vel retinendo contrarium fecerit, duplum infra mensem a die monitionis decani computandum restituere teneatur. Quod si non fecerit, ab officio et beneficio eum decernimus ipso facto fore suspensum quousque de duplo hujusmodi thesauro ipsius ecclesie plenam satisfactionem impenderit. Item volumus quod de illis que acquirentur de predictis vel aliis medietas thesauro applicetur, et alia medietas cedat in augmentum decanatus,

precentorie, sacristie, ac prebendarum ipsius ecclesie juxta ordinationem superius expressam. Item volumus quod cum aliqua bona fuerint acquisita que ad hoc augmentandum sufficiant, quod ante omnia in festis sollemnibus et duplicibus supradictis et duodecim apostolorum et aliorum duplicium constituendorum per nos vel per decanum et capitulum supradictos distributiones omnium servitorum ecclesie duplicentur, et donec illud fieri possit, volumus quod pecunia que proveniet de dictis absentiis in dictis festis duplicibus expendatur dividenda inter presentes secundum quod summa ipsius [581] pecunie sufficiet. Item volumus quod decanus, ut supra dictum est, unam vocem habeat, que pro duabus reputetur et habeatur, et duas prebendas recipiat, et de omnibus ut duo canonici secundum ordinationem nostram predictam. Et ultra hoc volumus quod ipse decanus habeat et recipiat de bonis communibus quadraginta libras turonenses annuatim in duobus terminis, videlicet in festo Omnium Sanctorum et Pentecostes ratione decanatus sui predicti. Item volumus quod canonici sine decano vel ejus vicegerenti seu vicario, quem deputare valeat quandocumque et quotiescumque voluerit loco sui, canonicum tamen ipsius ecclesie, capitulare non valeant nec aliqua circa statum ecclesie ordinare, nisi evidens necessitas vel utilitas in decani et vicarii sui absentia hoc deposcat, vel nisi malitia evidens decani vel ejus locumtenentis appareret. Item volumus et precipimus quod singuli decani, precentores, sacriste et canonici qui pro tempore fuerint in sua nova creatione et receptione in capitulo habeant et teneantur jurare et jurent ad sancta Dei evangelia corporaliter per eos tacta manibus suis se observaturos pro posse inviolabiliter omnia et singula in presenti nostra ordinatione contenta et ab aliis facere observari prout ad eos pertinebit, necnon bona, jura et libertates ipsius ecclesie conservare et procurare, ac deperdita et alienata, si que fuerint quandocumque, ad jus et proprietatem ipsius ecclesie reducere ac pro viribus revocare, ac se servaturos etiam constitutiones et statuta per nos vel dictum decanum et capitulum vel alium seu alios ad hoc potestatem habentes factas legitime ad utilitatem dicte ecclesie vel augmentum cultus divini et servitii et etiam faciendas. Et idem jurabunt presbiteri, dyaconi, et subdyaconi, clerici et acolythi se servaturos pro viribus, secundum quod ad eos pertinebit, in eorum nova institutione decano et capitulo supradictis. Et quod de juramentis hujusmo[582]di fiat scriptura publica vel alia, prout expediens videbitur decano et capitulo, que penes ipsos decanum et capitulum perpetuo remaneat et custodiatur diligenter. Et nullus de dictis

beneficiandis aliquid de bonis ipsius ecclesie recipiat, donec predictum prestiterit juramentum. Item quia multum desideramus videre quod in dicta nostra ecclesia sint persone secundum cor nostrum Deo laudabiliter servientes, idcirco collationem decanatus, precentorie, sacristie, canonicatuum et prebendarum, ac beneficiorum omnium predictorum, necnon institutionem et destitutionem decani, precentoris, sacriste, canonicorum et aliorum beneficiatorum qui pro tempore fuerint, cum et quotiens opus fuerit, nobis pleno jure reservamus ac etiam retinemus quamdiu vitam duxerimus in humanis. Item volumus quod post decessum nostrum, quotiescumque dictum decanatum vacare continget, electio decani ad capitulum pertineat ad tres menses a die notitie obitus decani in dicta nostra ecclesia continue computandos, vel alterius cujuscumque vacationis. Qui decanus de canonicis eligatur, si ibi inveniatur ydoneus. Alioquin undecumque. Quod si infra tres menses predictos ejusdem decani electio non fuerit per decanum celebrata, eo ipso ad presbiteros dicte ecclesie ea vice devolvatur potestas eligendi decanum de canonicis dicte ecclesie, si ydoneus repertus fuerit, per unum mensem : qui si infra dictum mensem non elegerint, ad episcopum Avenionensem, qui erit pro tempore, devolvatur potestas, qui ea vice solum cum consilio peritorum infra unum mensem alium continuum sequentem a tempore notitie debeat providere de canonico dicte ecclesie, si inveniatur ydoneus. Alioquin undecumque. Item volumus quod nominatio et presentatio ad precentoriam, sacristiam, ac canonicatus et prebendas predictas quotiescumque et quandocumque post decessum nostrum vacare contigerit, ad heredem vel heredes [583] nostros vel illum seu illos cui vel quibus hoc concesserimus, etiamsi laici existant, pertineat, et eis concedimus et ordinamus et ad eum vel eos spectare volumus; ita quod decanus, si ibi fuerit, et capitulum, vel capitulum per se decano deficiente presentatos, ydoneos tamen, ad dicta officia et canonicatus et prebendas per dictos heredem vel heredes vel alios quibus hoc concesserimus recipere possint, habeant, et teneantur et in corporalem possessionem inducere et de dictis officiis providere et de canonicatibus et prebendis investire, stallum in choro et locum in capitulo cum plenitudine juris canonici assignare, et alia facere et assignare que ad hec necessaria fuerint, seu etiam opportuna. Item volumus et precipimus dictis heredi vel heredibus nostris vel aliis quibus hoc concesserimus, et super hoc eorum conscientias oneramus, quod ad dictas precentoriam, sacristiam, canonicatus et prebendas personas sufficientes

et ydoneas nominent et presentent et quod ipsi hoc facere habeant, debeant et teneantur. Quod nisi, ut predictum est, facerent, precipimus decano et capitulo ipsius ecclesie, qui erunt pro tempore, quod alium nisi sufficientem et ydoneum non recipiant nec recipere teneantur. Item volumus quod si heres vel heredes nostri vel alii predicti, infra tempus debitum, ad officia et canonicatus et prebendas, cum vacabunt, ydoneas personas, ut premittitur, non presentaverint, per decanum et capitulum provideatur illa vice de personis ydoneis infra unum mensem, legitimo impedimento cessante; post mensem vero ad presbiteros dicte ecclesie per unum mensem, et post ipsum mensem ad dictum episcopum Avinionensem ea vice provisio hujusmodi devolvatur. Item volumus quod collatio et provisio presbiteratuum, dyaconatuum, subdyaconatuum et clericatuum dicte ecclesie et ad eos personarum institutio pertineat et per decanum et capitulum fiant intra menses de personis di[584]cte ecclesie, si ydonee reperiantur ibidem, alioquin undecumque. Quod si infra dictum terminum, cessante justo impedimento, per eosdem decanum et capitulum, ut predicitur, provisum non fuerit, ad decanum, precentorem, et sacristam solos vel duos ipsorum, si tertius presens non fuerit, ea vice hujusmodi provisio devolvatur, qui infra unum alium mensem continue computandum debeant providere, alioquin solus ea vice debeat providere. Item quod ad electionem decani omnes canonici absentes in diocesi Avinionensi in loco certo et noto capitulo existentes, et non alibi, vocari debeant, et per quatuor dies a tempore vacationis computandos solummodo expectari. Et idem fieri volumus in aliis negotiis in quibus erit necessarium eos vocare. Sed in hiis nonnisi per biduum expectentur. Item damus et concedimus dicte ecclesie nostre de Villanova et collegio, ecclesiam ipsam dotando, in dotem et peculium edificia, redditus, bona, res inferius designandas; que quidem si ad predicta non sufficiant solvenda vel facienda ut superius continetur, et omnia onera incumbentia supportanda, volumus et ordinamus quod per nos et heredes et successores ac executores nostros augmententur, perficiantur, et compleantur integre et abundanter et sine diminutione quacumque. Et ad hoc nos, heredes et successores nostros, et bona nostra omnia mobilia et immobilia et per se moventia, actiones et jura, et nomina ac debita ubicumque existentia, et quocumque nomine censeantur, specialiter et ex certa scientia obligamus, hypothecamus, et esse volumus valide et specialiter obligata. Et hanc obligationem omnium bonorum nostrorum durare volumus et intelligimus quousque bona

et res inferius contenta et data dicte ecclesie nostre firma, rata, firmata, et ratificata eisdem ecclesie et collegio fuerint et ab omni impedimento amortisationis et litis exonerata, et etiam quousque omnia et [585] singula supradicta per nos ordinata legitime fuerint assignata, perfecta et completa. Item in primis damus et concedimus dicte ecclesie nostre Beate Marie de Villanova et collegio ibidem per nos ordinato unum hospitium nostrum quod fuit Petri Lombardi hostalerii. Item viridarium nostrum seu hortum magnum ecclesie Sancti Pontii cum hospitiis nostris eidem viridario contiguis. Item damus omnia casalia, census, loqueria, et alia deveria que habemus in dicto loco Villenove, exceptis duobus magnis hospitiis nostris et viridario magno eisdem hospitiis contiguo. Item unam vineam nostram magnam cum terris et olivetis sibi vicinis, que sunt prope fontem Montis alti. Item unam aliam vineam nostram magnam que est juxta oratorium seu crucem Montis alti. Item quoddam nemus nostrum prope castrum de Angulis. Item omnes redditus, servitia, census et bona per nos acquisita in pertinentiis dicti loci de Villanova, de Angulis, a quodam vocato Cabessa et Bertrando Arnaldi et Moteta et ab aliis quibuscumque, in quibuscumque rebus consistant. Item omnes vineas, terras, nemora, possessiones et redditus per nos acquisita apud Pontem Sorgie et in ejus pertinentiis a Johanne Bocassii et aliis quibuscumque. Item unam vineam nostram quam habemus in territorio Novarum. Item redditus nostros, census, tasquas, domos, et omnia bona per nos acquisita in castro Aramonis et ejus pertinentiis a decano de Mestraga et fratribus et Bertrando Baconis domicellis et aliis quibuscumque. Item terras, vineas et possessiones per nos acquisitas in territorio castri de Remolinis a Raymundo Rostagni et aliis quibuscumque. Item totum factum, domos, et terras, redditus, et possessiones per nos acquisitas in castro de Theziers et ejus pertinentiis a Stephano de Sancto Quintino, domicello, et aliis. Item terras, vineas et redditus per nos acquisitos in territorio de Volobrica a Guillelmo Guigonis. [586] Item unum mansum apud Bellamgardiam, Arelatensis diocesis, cum omnibus dominiis et pertinentiis per nos acquisitis a Jacobo Radulphi, de Bellocadro. Item mansos, hospitia, terras, possessiones, et alia omnia per nos acquisita apud Arelatem et ejus pertinentias in loco vocato en Bagnoles, in Camargiis, a Raymundo Bergonhon et ejus uxore, in loco vocato al Portalas ab eisdem et aliis quibuscumque. Que omnia et singula superius contenta, nominata et expressata, prout in instrumentis emptionum et acquisitionum omnium et singulorum predictorum

latius et plenius continetur, ac omne jus levandi et sibi applicandi ea omnia et singula, salvis et retentis nobis inferius expressatis, ad honorem Dei et beate Marie virginis et totius celestis curie, augmentum divini cultus, eisdem ecclesie et collegio donamus, tradimus, et concedimus perpetua donatione et irrevocabili inter vivos, necnon foriscapia et laudimia cum toto dominio quod nobis competit et competere potest quomodolibet in predictis et singulis predictorum, et omne jus quod habemus et habere debemus et nobis competit quoquo modo cedimus et transferimus in ecclesiam, collegium et capitulum supradictos, de jure, dominio et proprietate que habemus et habere debemus in predictis et singulis predictorum penitus nos exuentes, dictam ecclesiam, capitulum et collegium investimus de ipsis et singulis predictorum, et in plenam juris et facti possessionem seu quasi premissorum et ipsum capitulum inducimus et constituimus per presentes, cedentes dicto capitulo et irrevocabiliter transferentes in eum omnia jura omnesque actiones, petitiones, defensiones reales, personales, mixtas, utiles et directas, nobis competentes et competituras in predictis omnibus et singulis adversus quascumque personas actione ipsorum: de quibus quidem juribus et actionibus ac petitionibus ipsum capitulum et actorem facimus et constitui[587]mus, ut supra dictum est, sine fine; et amodo liceat dicto capitulo et omnibus aliis et singulis qui causam habebunt ab eodem predicta jura, tascas, laudimia, census, foriscapia, agraria et tenementa, necnon possessiones et proprietates supradictas, et alia que intendimus emere, acquirere, et edificare et donare dicto capitulo percipere et apprehendere tanquam sua, ac si nunc specificata fuissent. Retinemus tamen expresse nobis in dicta donatione et contentis in ea, quamdiu vixerimus in humanis, quod pro dictis bonis et juribus per nos dicte ecclesie nostre donatis et in futurum donandis possimus per nos vel alios agere, expedire, defendere in judicio et extra pro nostre libito voluntatis, dictaque bona et jura per nos et alios ministrandi et fructus et ipsorum bonorum proventus et jurium levandi et percipiendi et dicto collegio providendi, sic et prout nostre placuerit voluntati et nobis videbitur faciendum. Hanc autem ordinationem sic salubriter Dei gratia de licentia predicti domini nostri pape, ut supra dictum est, per nos factam, ut premittitur, ad Dei laudem et gloriam ac beatissime virginis Marie gloriose et ecclesie prefate decorem perpetuis durare et valere temporibus et robur incommutabilis firmitatis volumus et cupimus obtinere.

In quorum omnium premissorum fidem et testimonium requirimus

vos magistros Geraldum de Lalo et Johannem Durandi, auctoritate apostolica publicos notarios, ut de presenti nostra ordinatione et contentis in ea faciatis unum, duo, tria aut plura publica instrumenta. Quam ordinationem legi et publicari fecimus per eosdem notarios coram nobis et testibus infrascriptis et eorumdem notariorum subscriptionibus et signis jussimus roborari; nostrumque sigillum in pendenti presenti instrumento seu litteris ad perpetuam rei memoriam et majorem roboris firmitatem duximus apponendum, volentes et expresse con[588]sentientes quod nostro dicto sigillo apposito vel non apposito durante vel non durante nichilominus presenti instrumento fides plenaria exhibeatur tam in judicio quam extra et perpetuis temporibus tribuatur.

Actum et datum in hospitio nostro Villenove, Avinionensis diocesis, die sabbati septima mensis augusti, anno Domini MCCCXXXIIJ, indictione prima, pontificatus prefati sanctissimi patris et domini nostri domini Johannis divina providentia pape XXIJ anno decimo septimo, presentibus venerabilibus viris dominis Genselino de Cassagnies, Biterrensis, Olivario de Sergetto, Pictavensis ecclesiarum canonicis, domini pape capellanis, et ipsius sacri palatii causarum auditoribus, Guillermo de Rupe, archipresbitero de Briva, Lemovicensis diocesis, magistris Johanne Pictoris de Masseriis, canonico ecclesie Sancti Petri de Masseriis, Remensis diocesis, et Johanne Dominici, clerico Veturrensis [?] diocesis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Johannes Durandi, Albiensis diocesis, sacrosancte romane Ecclesie auctoritate publicus notarius, premissis omnibus et singulis una cum magistro Geraldo de Lalo, notario, et testibus suprascriptis presens fui, et suprascriptam ordinationem et omnia et singula in ea contenta ad mandatum reverendi patris et domini domini Arnaldi, divina gratia Sancti Eustachii dyaconi cardinalis, et requisitionem legi et publicavi, et de ipsis omnibus et singulis publicum instrumentum in notam recepi, et in hanc publicam formam redegi, manuque mea propria scripsi, et signo meo solito quo instrumenta consigno publica et nomine roboravi in testimonium omnium premissorum sub anno, die, indictione, loco et pontificatu predictis.

Et ego Geraldus de Lalo de Monte viridi, clericus Sancti Flori diocesis, publicus apostolica auctoritate notarius, premissis omnibus et singulis una cum magistro [589] Johanne Durandi, notario, et testibus suprascriptis presens fui, meque presenti publico instrumento ad requisitionem reverendi in Christo patris domini Arnaldi, Sancti Eu-

stachii dyaconi cardinalis subscripsi, et signo meo solito quo instrumenta consignare consuevi publica signavi in testimonium premissorum sub anno, die, indictione, loco et pontificatu predictis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum confirmationis, suppletionis, voluntatis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinioni, x kalendas novembris, pontificatus nostri anno decimo octavo.

LXXXIII

LITTERAE ARNALDI DE VIA CARDINALIS QUIBUS PHILIPPO VI, REGI FRANCORUM, ET SUCCESSORIBUS EJUS TRIBUIT AUCTORITATEM CONFERENDI CANONICATUS ET PRAEBENDAS ECCLESIAE COLLEGIATAE VILLENOVAE ALTERNIS VICIBUS CUM DECANO EJUSDEM ECCLESIAE. — Villeneuve-lez-Avignon, 13 juillet 1335.

Excellentissimo domino Philippo, Dei gratia Francorum regi illustri, Arnaldus de Via, ejusdem miseratione Sancti Eustachii dyaconus cardinalis, diu et feliciter cum omni sua posteritate regnare ac thronum regni piis operibus decorare. Cum ad honorem celestis regis, sub titulo gloriose genitricis ejus beate Marie semper virginis, collegiatam secularem ecclesiam in solo nostro proprio et sub vestro dominio in loco Villenove Sancti Andree, Avinionensis diocesis, ut privata persona duxerimus dedicandam, in qua duodecim canonicorum numerum deputamus ad divini cultus augmentum et nonnullos alios servitores, jure nobis inibi patronatus retento, et omnia alia subsecuta Sedis apo[590]stolice confirmaverit auctoritas, nos Arnaldus de Via predictus, fundator et patronus dicte ecclesie collegiate, gerentes in desideriis ut vestra regalis majestas, que inter ceteros reges catholicos ipsi celesti regi semper fidelius et obsequiosius militavit, ibi dignetur militantium consors esse, volumus et ordinamus et tenore presentium concedimus quod ad vos et vestros successores reges Francie et decanum ipsius nostre ecclesie collegiate qui est et erit pro tempore alternis vicibus post decessum nostrum collatio et provisio canonicatuum et prebendarum, cum et totiens quotiens deinceps vacabunt, pertineat et pertinere debeat pleno jure, servata ta-

men confirmatione super hoc facta per sanctissimum dominum Johannem papam XXIJ, ita quod cum in ipsa ecclesia canonicatus et prebendas vacare contigerit post nostrum decessum, ad vos seu successorem vestrum primo et post ad dictum decanum collatio pertineat, ut prefertur, et sic successive unus post alium perpetuo conferatis canonicatus et prebendas hujusmodi, quotiens opus erit. Collationem vero officiorum precentorie et sacristie dicte nostre ecclesie ad decanum et capitulum ipsius ecclesie volumus pertinere cum et totiens quotiens vacare contigerit, et hoc eisdem decano et capitulo concedimus per presentes, servata etiam super hoc confirmatione predicta. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri fecimus et nostri sigilli appensione muniri. Datum in hospitio nostro dicti loci Villenove, die XIIJ mensis julii, anno Domini MCCCXXXV indictione IIJ, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Benedicti pape XIJ anno primo.

LXXXIV

[591] INSTRUMENTUM[1] PLENARIAE SECURITATIS CONCESSUM JOANNI, COMITI DE ARMANIACO, PRO QUADAM SUMMA PECUNIAE QUAM DEBEBAT CARDINALI DE MOSTUEJOLIS. — 14 mars 1338 *(a)*, n. st.

Noverint universi presentes pariter et futuri hujus publici presentis instrumenti seriem inspecturi, visuri, et etiam audituri quod anno ab incarnatione Domini MCCCXXXVIJ et die XIV mensis martii, domino Philippo, rege Francorum et principe illustrissimo regnante, ego, Marquesius de Mostuejolis, dominus castri et castellanie de Pineto, pro me et tutorio nomine, et ut tutor Guillermi de Mostuejolis, filii Raymundi de Mostuejolis quondam, impuberis, heredisque universalis dicti Raymundi et totius hospitii de Mostuejolis, et pro aliis heredibus et successoribus, ad quos hereditas seu successio dicti hospitii de Mostuejolis pertinet et pertinere potest vel poterit in futurum ex quibuscumque institutionibus, substitutionibus, seu successionibus, vel alio quoquo modo, non inductus ad infrascripta

a) Anno 1337 *(sic)*, *Bal.*

---

1. Ex archivo regio Ruthenensi, *Bal.*; pièce non retrouvée.

vi, dolo, fraude, metu, machinatione alicujus persone, sed gratis et mea mera spontanea et gratuita voluntate, certus de facto meo, et de jure meo et impuberis predicti certioratus, do, dono, cedo, et concedo, plenoque jure transfero, remitto et transporto in spectabilem et magnificum virum dominum Johannem de Armanhaco, comitem Armanhaci, Fesensiaci et Ruthene, licet absentem, tanquam presentem, et in vos dominum Guillermum d'Escoralha, militem, et senescallum dicti comitatus Ruthene presentem et recipientem ejus nomine et in vos, notarium infrascriptum, ut in publicam personam, vice et nomine dicti domini comitis, stipulantem et eidem, licet absenti, acquirentem et acquirere volentem, [592] videlicet omnia omnino jura, actiones reales et personales atque mixtas, civiles et pretorias, utiles et directas et rei persecutorias michi ac impuberi et heredi predicto acquisita seu acquisitas, et alias ad me et dictum impuberem ex successione reverendi in Christo patris ac domini domini Raymundi bone memorie quondam Dei gratia tituli Sancti Eusebii presbiteri sancte romane Ecclesie cardinalis quomodolibet pertinentia ex testamento vel aliter, et ad me et dictum impuberem quomodocumque spectantia contra prenominatum dominum comitem vel suos antecessores vel successores et heredes post eum et contra reverendum in Christo patrem et dominum dominum Rotgerium, Dei gratia Vaurensem episcopum, occasione cujusdam summe pecunie, videlicet mille et quingentorum florenorum per dictos dominos episcopum et comitem seu eorum alterum domino Raymundo cardinali predicto debitorum et ab eodem ex causa mutui receptorum, in quantum ad me, dictum Marquesium et heredem predictum, spectabant et pertinebant, spectare et pertinere poterant ex successione dicti domini cardinalis vel aliter quomodocumque. Quam quidem cessionem, donationem, remissionem et quittationem jurium et actionum premissarum ego, idem Marquesius, pro me et nominibus quibus supra, facio dictis dominis episcopo et comiti, licet absentibus, et vobis dicto domino Guillermo d'Escoralha, militi, et senescallo comitatus Ruthene, pro dicto domino comite, et vobis notario infrascripto ut publice persone pro dictis domino Rotgerio episcopo et domino comite et quolibet eorumdem firmiter stipulanti. Quas quidem cessiones, remissiones et donationes jurium et actionum predictarum ego, idem Marquesius, pro me et nominibus quibus supra, dictis domino episcopo et comiti et cuilibet eorum et vobis, dicto domino Guillermo, et vobis, notario infrascripto, pro eis, ut premittitur, stipulantibus, facio [593] pro multis variis et diversis beneficiis,

concessionibus, et etiam aliis bonis michi, dicto Marquesio, et dicto heredi et predecessoribus nostris factis, illatis et impensis, et pro mulctarum seu penarum remissionibus in quibus ego, dictus Marquesius, et heres predictus dicto domino comiti teneri dicebamur. De quibus quidem juribus, actionibus realibus vel personalibus, civilibus vel pretoriis, utilibus ac directis, et nichilominus de pecunie summa mille et quingentorum florenorum dicto domino cardinali debitorum, in quantum ad me et dictum heredem spectant et pertinent, spectare et pertinere possunt ex successione ejusdem domini cardinalis, et de omnibus aliis et singulis in quibus occasione premissorum vel aliter quomodolibet ipsi dominus episcopus et comes vel eorum bona et successorum eorumdem michi, dicto Marquesio, et heredi predicto teneri poterant quomodocumque ex successione dicti domini cardinalis, eosdem dominos comitem et episcopum et eorum quemlibet et bona sua et successorem eorumdem pro me et nominibus quibus supra perpetuo quitto et solto, et quittos et immunes et soltatos esse volo, et pactum solemni stipulatione vallatum eisdem facio de amplius et ulterius aliquid non petendo ab eisdem ratione et occasione premissorum, vobis domino Guillermo, senescallo predicto, et vobis, notario infrascripto stipulantibus pro eisdem. Promittens ego, dictus Marquesius, nomine quo supra, per firmam stipulationem quod nunquam per me nec per dictum heredem nec per successores nostros aliquid petetur a dictis dominis episcopo vel comite nec a successoribus eorumdem occasione predicta. Et si dictos dominos episcopum vel comitem vel alterum ex eis vel successores eorumdem aliqua damna pati contingeret seu aliquod interesse sustinere vel aliquas expensas facere occasione premissorum, si per me ac dictum heredem seu successores nostros peteretur, totum illud et omnia illa promitto [594] ego, idem Marquesius, pro me et nomine quo supra, dictis dominis episcopo et comiti et utrique eorum emendare et plenarie resarcire, et teneri volo ad refectionem damnorum omnium, modo et forma predictis, et sub hypotheca et obligatione omnium bonorum meorum et heredis predicti presentium et futurorum; et specialiter et expresse obligo et hypotheco pro premissis castrum meum de Pineto cum omnibus fructibus et emolumentis ejusdem. Et renuntio in et super premissis exceptioni doli mali et in factum actioni, et quod metus cause, condictionibus ob turpem, nullam et injustam causam, et exceptioni pecuniarum et florenorum non receptorum, non numeratorum, et non recuperatorum, et errori calculi, et restitutioni in integrum, et clausule si

qua michi justa causa videbitur, et omni alii juri scripto et non scripto, usui et consuetudini, canonico vel civili, per quod contra premissa venire possem vel aliqua premissorum. Et hec omnia tenere et servare, attendere et complere, et non contra facere vel venire per me vel alium, directe vel per obliquum, promitto et ad sancta Dei evangelia juro per me manutacta. Volens et concedens ego, idem Marquesius, quod predicta omnia et singula dictari possint et valeant ad sensum sapientis, semel et pluries, et eo meliori modo et forma quibus dictari poterunt ad utilitatem et commodum dicti domini comitis et dicti domini episcopi et suorum. Acta fuerunt hec in villa Sancti Romani de Tarno, in hospitio Johannis de Mostuejolis, domicelli. Testes interfuerunt ad hec specialiter vocati et rogati Galhardus de Pradinis, notarius dicti comitis sepedicti, dominus Raymundus Roverii presbiter, Arnaldus Vesiani, Johannes de Mostuejolis, domicelli. Et ego, Raymundus Seguini, publicus auctoritate regia notarius, qui vocatus premissis omnibus et singulis interfui, et de eisdem requisitus et rogatus notam recepi, et inde hoc presens publicum instrumentum grossavi, [595] scripsi, et abstraxi, et signo meo consueto signavi.

LXXXV

Nobilitatio[1] pro Guillelmo Bertrandi, alias Maletonis. Maubuisson [N.-D.-la-Royale], mars 1339.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, dilecto nostro Guillelmo Bertrandi, alias Maletonis, domino castri Sancti Romani salutem. De regalis benivolentie largitate motu nostro proprio te et posteritatem tuam perpetuo nobilitamus et nobilitatis titulo decoramus, et ut militie dignitatem recipere a quocumque quandocumque tibi vel posteritati tue placuerit valeatis, quodque omnibus immunitatibus, privilegiis et libertatibus, et aliis juribus quibuscumque quibus gaudent nobiles regni nostri omni integritate plenissima gaudeatis concedimus de nostre plenitudine potestatis. Datum in abbatia regali Beate Marie prope Pontisaram, anno Domini millesimo CCC tricesimo nono, mense martii.

1. D'après *JJ 71*, n. 313, fol. 222 r° (Archives nationales).

LXXXVI

BULLA[1] BENEDICTI XII ADVERSUS EOS QUI NICOLINUM DE FLISCO CEPERANT ET IN CARCEREM CONJECERANT. — Avignon, 17 avril 1340.

Benedictus, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Bonifacio, episcopo Mutinensi, et dilectis filiis magistris Philippo de Ancilla, priori Sancti Petri Scheradii Florentinensis, et Carbono de Montelupone, scolastico Ispalensis ecclesiarum, capellanis nostris, salutem et apostolicam benedictionem. Olim nonnulli romani pontifices, predecessores nostri, attendentes et provida circumspectione pensantes quod ad romanam curiam, que communis patria existere noscitur, et ad quam cuncti fideles de universis mundi partibus pos[596]sunt recurrere, securus haberi debet *(a)* accessus, adversus omnes et singulos qui venientes ad ipsam curiam vel recedentes ab ipsa impedire, capere, aut bonis seu rebus suis spoliare presumerent, per processus suos inde factos et in festivitatibus cene dominice diversis *(b)* temporibus, presente multitudine copiosa fidelium *(c)*, adhibita solempnitate, ut moris est, ejusdem romane curie publicatos, excommunicationis et anathematis sententias promulgarunt *(d)*. Nos quoque, dudum consideratione moti simili, et advertentes attente quod ad cohercendos *(e)* ausus malignantium, qui dierum crescente malitia plus solito, spreto juris et rationis moderamine, contra bonos mores et utilitatem rei publice ad illicita prosilire non desinunt, erat ultra provisionem predecessorum hujusmodi aliquod medicine salutaris *(f)* antidotum adhibendum, in omnes et singulos, qui venientes ad dictam *(g)* Sedem vel recedentes ab ea seu in eadem romana curia moram trahentes capere temeritate propria, spoliare, vel detinere *(h)* presumerent, aut talia fieri facerent vel mandarent, cujuscumque preeminentie, dignitatis, ordinis, conditionis aut status existerent, predicta vel eorum aliqua committentes, excommunicationis et anathematis sententias duximus promulgandas, non obstantibus quibuscumque privilegiis et indulgentiis eis vel eorum alicui seu aliquibus

a) debet haberi, *Bal.* — *b)* universis, *Bal.* — *c)* fidelium copiosa, *Bal.* — *d)* promulgarent, *Bal.* — *e)* coercendum, *Bal.* — *f)* salutare, *Bal.* — *g)* ipsam, *Bal.* — *h)* retinere, *Bal.*

1. D'après le registre d'Avignon *54*, fol. 23 v° (Archives vaticanes); cf. J.-M. Vidal, *Lettres communes de Benoît XII*, Paris, 1906, t. II, n. 8236.

a predicta Sede sub quacumque forma vel tenore concessis, quod excommunicari non possent, seu per que contra hujusmodi sententias et processus quominus includerentur in eis valerent quomodolibet se tueri, queve quoad hec sustulimus et omnino duximus revocanda; volentes nichilominus quod ab eisdem sententiis nullus per alium quam per romanum pontificem posset, nisi dumtaxat in mortis articulo constitutus, nec tunc nisi de stando mandatis Ecclesie satisfactione vel sufficienti cautione premissis, absolvi; eos vero, cujuscumque forent preeminentie, dignitatis, ordini, con[597]ditionis vel status, qui talibus excommunicatis et anathematizatis ab hujusmodi sententiis absolutionis beneficium secus presumerent impertiri voluimus excommunicationis et anathematis sententia innodari, eis nichilominus predicationis, lectionis, administrationis sacramentorum, et audiendi confessiones officium interdicentes expresse, sicut in litteris nostris inde confectis et tunc in portis majoris ecclesie *(a)* Avinionensis, ut ad communem omnium notitiam premissa plenius deducerentur, affixis seriosius continetur. Sane, cum pridem dilectus filius nobilis vir Nicolinus de Flisco, de Janua, venisset ad romanam curiam pro certis negotiis, et moraretur in ea, quidam perditionis filii et iniquitatis alumpni, clerici et layci, Deum, ac nos et Sedem prefatam graviter offendere proximumque *(b)* ledere, in suarum animarum salutis dispendium et grave multorum scandalum, non verentes nocte festivitatis Cene dominice proximo preterite, dum idem nobilis in lecto quiesceret, domum, quam ipse inhabitabat, circa noctis medie silentium, cum armis, sicut rumor detestabilis in eadem divulgat curia et infamia notoriat publica, subintrantes *(c)*, et non sine temeritatis horribili audacia et proditionis nefandissimo scelere securitatem et immunitatem ejusdem curie frangendo et violando, vimque publicam committendo, eumdem nobilem violenter de lecto, in quo jacebat, ut premittitur, extrahentes, tam ipsum quam dilectos filios nobiles viros Gabrielem, ejus filium, et Andream de Janua, domicellum, familiarem suum, captivarunt, et eos extra dictam curiam, nonnullis bonis ipsorum raptis et nequiter asportatis, duxerunt captivos et detinent captivatos. Nos igitur scelerosa crimina et facinora hujusmodi detestanda, que mentes fidelium horrore non indigne concutiunt, et non solum curiam ipsam et curiales in eadem morantes, sed uni-

a) ecclesie majoris, *Bal.* — *b)* proximeque, *Bal.* — *c)* publica notoriat, intrantes, *Bal.*

versos fideles qui, ut expressum est superius, ad eam possunt habere recursum, contingere dinos[598]cuntur, nolentes nec, sicut debemus etiam, sub dissimulationis neglectu relinquere incorrecta, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus, tam ex officio quam alias, sicut rationabiliter videritis expedire, vos vel duo aut unus vestrum super predictis et eorum singulis eaque quomodolibet tangentibus, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, veritatem diligentius inquirentes, adversus omnes et singulos tam clericos quam laycos cujuscumque preeminentie, dignitatis, ordinis, status vel conditionis *(a)* existant, de premissis culpabiles vel suspectos, aut qui super eis committendis seu detentione dictorum captivorum et cujuslibet eorumdem prestiterint vel prestabunt deinceps auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, generaliter et specialiter, tam exequendo, publicando et aggravando processus nostros predictos, ad locum seu loca in quo vel quibus detinentur extra prelibatam curiam predicti Nicolinus *(b)*, Gabriel et Andreas, vel aliquis ipsorum, aut in posterum detinebuntur captivi, supponendo auctoritate apostolica ecclesiastico interdicto, et tam diu illa et alia, ad que ipsos transferri contigerit, sub interdicto hujusmodi detinendo et detineri faciendo, quousque plene in eadem curia pristine restituti fuerint libertati et pro premissis competens satisfactio sit impensa, quam alias eadem auctoritate ratione previa, modo et forma quibus melius fieri poterit, procedatis et exhibeatis justitie complementum; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo; non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis quibuscumque personis aut locis ecclesiasticis vel secularibus, generaliter vel specialiter, sub quacumque forma vel expressione verborum concessis, etiamsi de illis eorumque totis *(c)* tenoribus esset de verbo ad verbum in presentibus specialis et expressa mentio facienda, que quoad hec nulli volumus quomodolibet suffragari, [599] seu si alicui vel aliquibus, cujuscumque preeminentie, dignitatis aut status ecclesiastici vel mundani fuerint, ab eadem Sede indultum existat quod excommunicari, suspendi, vel eorum civitates, castra, dominia, terre, vel loca eidem interdicto subjici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Ceterum volumus quod excommunicationis et anathematis sententie predicte, quam incurrerunt premissorum

a) conditionis vel status, *Bal.* — *b)* nihilominus, *Bal.* — *c)* vobis, *Bal.*

patratores et eis prestantes super hiis *(a)* auxilium, consilium vel favorem, processibus hujusmodi non obstantibus, quousque aliud inde per nos ordinatum extiterit, in sui roboris efficacia perseverent, quodque apud Sedem apostolicam vel alibi, ubi expedire cognoveritis, super premissis et eorum singulis procedere, necnon illos clericos et laycos, de quibus vobis videbitur, citare *(b)* seu citari facere coram vobis, ubicumque, tam de duabus dietis quam quibuscumque aliis constitutionibus nequaquam obstantibus, per publice citationis edictum vel alias, prout et quotiens expediens vel oportunum extiterit, valeatis, decernentes ex nunc hujusmodi citationis edictum, in loco seu locis publicis affigendum, perinde valere ac citatos per illud artare ac si citatio ipsa eos presentialiter et personaliter apprehendisset, quacumque constitutione contraria non obstante. Rursus volumus quod processus, incepti per vos aut duos vel unum ex vobis, alius vel alii prosequi ac procedere super eis valeant, quamvis inchoantes vel inchoans impediti *(c)* legitime non existant. Datum Avinioni, xv kalendas maii, pontificatus nostri anno sexto.

LXXXVII

[600] Legitimatio [1] Joannis, Guillelmi et Raymundi de Auxio fratrum. — Paris, août 1340.

Philippus, Dei gratia Francorum rex. Dignum et rationi consonum arbitramur ut illi regie benignitatis affectu sentiant se refectos qui per servitiorum exhibitionem utilium student se reddere nobis gratos et aliter sibi vendicant premia meritorum. Notum itaque facimus tam presentibus quam futuris, quod licet Johannes, Guillelmus et Raymundus de Aux, fratres, ex copula detestanda, de pontifice videlicet in pontificali dignitate, gradu, seu ordine constituto et soluta, ortum habuisse dicantur, nos attendentes quod, sicut relatio fide digna testatur, ipsi ad proborum imitanda vestigia ferventer intenti sic affluunt ubertate virtutum quod hujusmodi geniture maculam sic eorum probitatis decor abstergit ut eos attolli favoribus gratiosis debitum reputemus, ac propterea et intuitu certi servitii per

a) hoc, *Bal.* — *b)* citetis, *Bal.* — *c)* impediri, *Bal.*

---

1. Ex archivo regio Parisiensi, *Bal.*; pièce non retrouvée.

eos nobis impensi suis supplicationibus annuentes, de certa scientia ac speciali gratia ac plenitudine regie potestatis dictos Johannem, Guillelmum et Raymundum de copula predicta genitos ad honores seculares actusque legitimos quoslibet quoad temporalia tenore presentium legitimationis titulo decoramus, hujusmodi geniture maculam quoad premissa penitus abolentes, et concedentes eisdem ac cum eis et eorum quolibet tenore presentium dispensantes de scientia, potestate et auctoritate predictis ut ipsi tanquam legitimi succedere valeant et succedant personis quibuscumque in bonis omnibus temporalibus mobilibus et immobilibus in quibus succederent de consuetudine vel de jure, si essent de legitimo matrimonio procreati, in quibus jus non est alteri vel aliis jam quesitum, et ea tanquam legitimi valeant [601] jure successorio vendicare, adipisci, retinere, et jure hereditario pacifice possidere, ac de ipsis disponere tanquam successores seu heredes legitimi in eisdem, dum tamen aliud quam defectus predictus natalium non repugnet, defectu hujusmodi, seu constitutione, statuto, vel lege, edicto, et consuetudine seu usu generali vel locali regni nostri ad hoc contrariis non obstantibus quibuscumque; firmiter inhibentes universis et singulis justiciariis regni nostri presentibus et futuris ne quis eos aut prolem suam vel heredes, successores aut posteros suos in bonis quibuslibet acquisitis vel acquirendis seu undecumque obvenientibus occasione defectus natalium predictorum Johannis, Guillelmi et Raymundi impetere, turbare vel molestare quoquo modo presumat. Et quia prefati Johannis merita promerentur ut ipsum gratia et benevolentia amplioribus prosequi debeamus, unde in se et suis se sentiat honoratum, eumdem Johannem de potestate, gratia et scientia supradictis nobilitamus et nobilem facimus et reddimus, ut militie decoro cingulo valeat decorari, concedentes eidem ut ipse cum omni sua posteritate tam procreata quam procreanda in universis et singulis actibus, rebus, possessionibus, personis et bonis suis nobilitate et quacumque nobilitatis prerogativa cum aliis nobilibus regni nostri plenarie, libere et quiete letetur pariter et utatur, constitutione qualibet, edicto, et constitutione vel usu in contrarium non obstante. Quod ut firmum et stabile perseveret, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum, salvo in aliis jure nostro et in omnibus alieno. Datum Parisius, anno Domini MCCCXL, mense augusti.

LXXXVIII

[602] Nobilitatio[1] Joannis du Bosquet de Caturco. Février 1342, n. st.

Philippe par la grace de Dieu roy de France. Sçavoir faisons à tous presens et à venir que comme Jehan du Bosquet de Caours desirant pour le grant renommé estat de noblesse et franchise estre annobly nous ait humblement supplié que nous de nostre puissance et auctorité royale le voulsissions et sa posterité née et à naistre annoblir et associer en la compagnie et estat des nobles, nous considerans la bonne volonté et le bon tesmoignage fait à nous et à nos gens de lui, et aussi le bon service qu'il nous a fait és parties de la langue d'Oc, inclinans à sa supplication, icelui Jehan et toute sadite posterité née et à naistre masles et femelles avons annobly et par la teneur de ces letres de certaine science, de grace speciale, et de la pleinté de nostre puissance royale annoblissons et adjoustons, voulons et decernons estre adjoustez en la compagnie et ou nom des nobles en telle maniere que il et toute sa dicte posterité jouissent et usent en personnes et en biens presents et à venir et en tous autres cas de toutes libertez, franchises, honeurs, droits, et privileges desquiex joyssent et usent les autres nobles de nostre royaume, et qu'ils puissent recevoir honeur et estat de chevalerie de ceux qu'ils vouldront toutesfois qu'il leur plaira, et soient tenus et traictiez en jugement et dehors en tous cas comme nobles tout ainsy comme sont ceux qui d'ancienneté ont esté procréez et issus de noble lignée; nonobstant quelconque coutume, droict escrit, usage ou stil au contraire. Et pour que ce soit chose ferme et estable à tousjours, nous avons fait mettre nostre seel à ces presentes. Ce fut fait l'an de grace MCCCXLI, ou mois de février.

1. Ex archivo regio Parisiensi, *Bal.*; pièce non retrouvée.

LXXXIX

[603] Litterae[1] Rogerii Bernardi, comitis Petragoricensis, quibus castrum et castellaniam de Burdelia donat Talayrando, cardinali, fratri suo. — 13 avril 1342.

Universis presen[tes litt]eras inspecturis Rotgerius Bernardi, Dei gratia comes Petragoricensis, ac Raymondus de Marsilhaco *(a)*, clericus, judex major ac locumtenens domini senescalli Petragoricensis et Caturcensis, salutem et fidem presentibus litteris adhibere. Noveritis quod nos, dictus comes, attendentes grata servitia ac liberalitates immensas nobis et hospitio Petragoricensi hactenus impensas per reverendissimum in Christo patrem ac dominum dominum T[aleyrandum], divina providentia tituli Sancti Petri ad vincula presbiterum cardinalem, carissimum dominum, germanum nostrum, volentes et affectantes eumdem remunerare in parte, licet in toto ad presens nequeamus, gratis et sponte et ex certa scientia nostra damus, concedimus et quittamus prefato domino, germano nostro, tanquam private persone, et intuitu et contemplatione persone ejusdem, castrum et castellaniam de Burdelia, Petragoricensis dyocesis, una cum suis pertinentiis universis, ad nos spectantibus, ratione assignationis nobis facte per gentes ac commissarios illustris principis domini nostri Francie regis, virtute cujusdam compositionis dudum facte et habite inter dictum dominum nostrum regem et nos super terra Brageriaci ac nonnullarum litterarum regiarum *(b)* emanatarum exinde, et omne jus, actionem, petitionem, proprietatem et dominium ad nos spectantia in dictis castro et castellania, causis et rationibus supradictis, dicto domino, germano nostro, licet absenti, tanquam presenti, concedimus, cedimus, et quittamus, et in ipsum transferimus [604] pleno jure, titulo donationis predicte, ad habendum, tenendum, et pacifice possidendum, et aliter faciendum tanquam de sua re *(c)* propria suam omnimodam voluntatem. Et devestientes nos de premissis donatis, cessis et quittatis, dictum dominum, germanum nostrum, investimus, tenore presentium litte-

a) Marsiliaco, *Bal.* — *b)* regis, *Bal.* — *c)* re sua, *Bal.*

1. D'après les archives des Basses-Pyrénées, *E 704*.

rarum, de iisdem, dantes in mandatis omnibus et singulis vassallis feodatariis, tenenciariis ac habitatoribus dictorum castri et castellanie, et aliis quorum intererit, ut eidem domino, germano nostro, ut domino vero eorumdem ex nunc *(a)* pareant efficaciter et intendant, prout facere tenebantur et consueverant. Et si contingeret nos ex nunc *(b)* aliquid tenere de dictis bonis et rebus donatis, ea non nostro, sed dicti domini, germani nostri, nomine tenere recognoscimus ac etiam constituimus possidere, volentes et concedentes quod idem dominus, germanus noster, per se vel per alium, possessionem premissorum donatorum, quandocumque eidem *(c)* placuerit et expediens videbitur, auctoritate propria nanciscatur ac etiam apprehendat, ipsum actorem procuratorem verum dominum, proprietarium et possessorem constituentes in premissis donatis, nichil nobis in iisdem retinentes, quittantes ex nunc *(d)* omnes et singulos vassallos, feodatarios, et tenenciarios ac habitatores dictorum castri et castellanie de omnibus et singulis deveriis exinde nobis debitis, dum tamen dicto domino, germano nostro, respondeant et satisfaciant de eisdem, et ad illum finem quod hoc faciant, et non aliter. Et renuntiamus ex nostra certa scientia super premissis omni exceptioni doli mali, deceptioni levis et enormis conditionis, ob causam, cum causa et sine causa, et de uno acto et alio scripto, et omni juri immensas donationes fieri prohibenti, et juri per quod donatio causa ingratitudinis vel immensitatis potest revocari, et omnibus aliis juribus, exceptionibus et defensionibus quibus nos juvare possemus ad veniendum contra premissa vel aliquod premissorum, [605] de non veniendo contra premissa fide a nobis loco juramenti prestita corporali. In quorum premissorum testimonium presentes litteras dicto domino, germano nostro, damus et concedimus nostro sigillo magno sigillatas, volentes insuper ac requirentes dictum judicem ac locumtenentem ut predicte donationi auctoritatem suam interponat pariter et decretum. Et nos, dictus judex ac locumtenens, in cujus presentia dicta donatio facta fuit et per dictum dominum comitem nobis insinuata, ad requestam ipsius domini comitis, predicte donationi, in modum predictum facte, auctoritatem nostram interponimus et decretum, ac sigillum nostrum duximus presentibus litteris apponendum in testimonium premissorum. Actum et datum in castro de Radulfia XIIJ die mensis aprilis, anno Domini MCCCXLII.

a) exinde, *Bal.* — *b)* exinde, *Bal.* — *c)* ei, *Bal.* — *d)* exinde, *Bal.*

APPENDIX

NICOLAI EPISCOPI BOTRONTINENSIS [1]

RELATIO

DE ITINERE ITALICO HENRICI VII IMPERATORIS AD CLEMENTEM V PAPAM

EDITA EX CODICE LATINO 6027 BIBLIOTHECAE NATIONALIS PARISIENSIS (ANTEA 9920 BIBLIOTHECAE REGIAE) XIV SAECULO SCRIPTO

[1147] Sanctissime Pater! Infra scripta sunt que acta sunt in Ytalia pos[t]quam dominus imperator felicis recordationis montes transivit, prout ego frater Nicholaus, Dei et vestri gratia episcopus Botrontinensis, possum testimonio mee conscientie melius recordari ad presens.

1. Botrontum sive Buthrotum oppidum Corcyrae, uti vocatur in libro tertio commentariorum Caesaris de bello civili, cujus celsam arcem commendat Virgilius in libro quarto Aeneidos, colonia fuit olim populi Romani in ingressu portus Pelodis, testimonio Strabonis et Plinii. Botrontinam urbem vocat Guillelmus Apuliensis. Auctor anonymus chronici Barensis a Camillo Peregrinio editi scribit Corfo, id est, Corcyram, et Bothronto captas fuisse anno MLXXXI, a Roberto duce Apuliae. Botrontum ergo oppidulum est Epiri sive Albaniae in litore maris Ionii, episcopale sub archiepiscopo Naupactensi.

Auctor istius operis fuit citramontanus et, ut opinor, Germanus. Instituto fratrum Praedicatorum se addixit. Inde factus est episcopus Botrontinensis in Albania. [*Adnotatio Baluzii.*]

Nicolas, nommé évêque de Butrinto le 23 mai 1311, n'était pas allemand, comme l'a supposé Baluze, mais originaire d'un pays de langue française, Belgique ou Luxembourg. Le récit de l'expédition italienne d'Henri VII, destiné à Clément V, a été rédigé entre le 24 août 1313 et le 20 avril 1314. Il est impartial, quoique favorable à l'empereur. R. Mahrenholtz a vainement attaqué la sûreté de l'information de Nicolas. *Ueber die Relation des Nicolaus von Butrinto,* Halle, 1872. Les inexactitudes du récit sont très rares. La dernière édition, due à E. Heyck (*Nicolai episcopi Botrontinensis. Relatio de Heinrici VII imperatoris itinere Italico,* Innsbruck, 1888), est de beaucoup inférieure à celle de Baluze. — Sur

In Taurino venit rex Romanorum mense octobris [30 octobris 1310]. Tunc cum eo pauci [1] erant. Illuc venerunt Romani [2] ad eum, qui in ambassiata veniebant ad vestram sanctitatem. Ibi omnes qui in ambassiata erant ab eo honores receperunt et munera, et aliqui eorum consilium suum in[tr]averunt. Non credo, prout ego recordor, per verba eorum que primo protulerunt quod intentionis populi Romani fuerit eos mittere ad petendum quod sanctitas vestra alicui vel aliquibus committeret coronationem sui, sed quod vos personaliter veniretis. Qui tamen in sua ambassiata habebant unam generalem propositionem : quod quicquid esset utile pro eorum ambassiata facerent ; si [1148] viderent quod sanctitas vestra se excusaret, quod venire non possetis propter plures rationes quas possetis allegare, ipsi de consilio decani Treverensis et meo vellent petere quod alii vel aliis sanctitas vestra coronationem committeret, et nos nomine dicti regis hoc idem peteremus [3]. Ista fuerunt in Taurino ordinata.

Eo existente ibidem, in Mediolano, in Versellis et in omni liga eorum ordinatum fuit per eos qui tunc dominabantur sub pena gravissima quod suum episcopatum nullus exiret Et hoc factum est malitiose, ut publice dicebatur, ne aliquis Guebelinus se jungeret ei, et ipse cum tam parva gente modicum posset facere. Et quod hoc sit verum satis apparet, quia dominus Guido de Turre priorem et suppriorem fratrum Predicatorum Mediolanensium [4] misit Spiram, significans ei quod Lausane vellet sibi occurrere cum filiis suis et mille armatorum, et quod gentem non curaret adducere magnam, quia cum uno falcone sine armis ipsum duceret per totam Lumbar-

l'auteur et sa relation, voir E. Heyck, *op. cit.*; Dahlmann-Waitz, *Quellenkunde der deutschen Geschichte*, Leipzig, 1912, n. 5904, et U. Chevalier, *Répertoire des sources historiques du M. A.*, Paris, 1907, t. II, col. 3325. — Sur les diverses éditions de la relation, voir Heyck, *op. cit.*, p. XXIII. — Les annotations de la présente édition ont été surtout empruntées à J. Schwalm, *Monumenta Germaniae historica, Legum, Constitutiones et acta publica imperatorum et regum*, Hannovre, 1906-1911, t. IV, 1re et 2e parties. On s'est contenté de citer les éditions de Dino Compagni par I. del Lungo, Città di Castello, 1913; de Giovanni da Cermenate par L. A. Ferrai, Rome, 1889, et d'Albertus de Bezanis par Holder-Egger, Hannovre, 1908. Les *Regesta imperii, 1273-1313*, de F. Böhmer, donnent toutes les références désirables aux chroniques italiennes éditées par Muratori.

1. G. da Cermenate, *op. cit.*, p. 33 et n. 2.

2. Les ambassadeurs romains parvinrent en Avignon, vers le mois de novembre 1310. Schwalm, *op. cit.*, n. 466-467.

3. Sur le voyage de Nicolas, voir *infra*, p. 497.

4. G. da Cermenate, *op. cit.*, p. 25-26.

diam. Dominus autem rex [1149], me presente[1], petivit hoc a predictis priore et suppriore, utrum crederent quod dominus Guido intenderet facere quod mandabat. Responderunt in animas suas quod ita credebant. Dominus autem omnino verbis fratrum confidens, specialiter cum unus eorum diceret se esse suum confessorem, sic inpreparatus festinavit, credens quod omnia ista *(a)* essent vera. Et ista fuit una causa, quia consilium domini regis Francie, licet sanctitati vestre tunc videretur expediens, minime expectavit.

In illo loco dominus Ricardus de Tiscionibus de Versellis expulsus, non obstante prohibitione quod nullus suum episcopatum exiret, venit cum centum armatis equitibus Taurinum, dicens publice quod destructus erat et sui et expulsus et confinatus propter partem imperii, et quod sicut domino suo de illo modico quod eis remanserat paratus erat ei servire usque ad mortem. Dominus rex publice sic respondit : quod compatiebatur ei multum et suis, tamen quod propter suam partem hoc accidisset ei non credebat, cum ipse partem in Lombardia non haberet, sed totum, nec partem vellet tenere in Lombardia, nec pro parte venerat, sed pro toto. Et isto verbo fere omnes Guelfi fuerunt consolati, et omnis homo dicto regi benedicebat.

Postea venerunt ad eum illuc comes Philipponus cum tota militia Papiensium, qui fuerunt, ut audivi, plus quam quadringenti, Symon de Advocatis de Versellis cum ducentis militibus ad arma, et dominus Antonius de Laude cum centum armatis et plus, ut dicebatur. Isti tres post dominum Guidonem de Turre in parte Gue[l]pha dicebantur majores, prudentiores et domini suarum civitatum. Consilium istorum fuit quod nullam partem extrapositam *(b)* in aliqua civitate reponeret, donec esset coronatus, et quod hoc pro meliori esset pluribus rationibus ostendebant.

In eodem loco venit marchio Salu[1150]ciarum circa centum armatos secum habens. Ibi voluit jurare et facere fidelitatem de suis bonis, que ab imperio tenebat. Dominus rex ipsum noluit recipere ad fidelitatem, quia fidelitatem fecerat regi Roberto, dum per Lumbardiam veniret de coronatione revertendo. Et istud fuit suum mo-

a) ista omnia, *Bal.* — *b)* expositam, *Bal.*

---

1. Nicolas dut assister à l'entrevue, vers la fin d'août ou le début de septembre 1310, à Speyer. Il se trouvait à la cour pontificale avant le 16 septembre. Schwalm, p. 383.

tivum : quia parentelam intendebat facere cum eodem, noluit aliquid facere in terris et in hominibus que tunc per regem Robertum tenebantur. Recordor ego de civitate Albensi, cui vestra sanctitas litteras [1] sicut et aliis civitatibus Lumbardie, ut ei obedirent, dirigebat, quod ipse nunquam voluit sustinere quod eis presentarentur; ne, si obedirent, posset aliqua novitas oriri inter eum et regem Robertum, cui jam de mandato vestro dederat licentiam quod non teneretur recipere feodum suum usque ad certum tempus, de quo ad presens non recordor [2].

In eodem loco venit marchio Montisferrati cum ducentis armatis, ut dicebatur. Presentavit se publice ad faciendam fidelitatem de marchionatu. Dominus rex noluit ibidem ipsum recipere, quia marchio Saluciarum dicebat quod sibi de jure debebatur propter quedam que ab antiquo erant inter eos, et quod ipse nichil juris habebat. Propter hoc et quedam alia, ut sanius consilium haberet, et ne nimis se precipitaret in primis, pro tunc noluit ipsum recipere ad fidelitatem [3].

Licet autem consilium domini comitis Philipponi, Antonii et Symonis predictorum Guelforum fuerit quod nul[l]am partem introiret *(a)* expulsam donec coronaretur, consilium autem aliorum et specialiter citramontanorum fuit contrarium. Unde dominus de Taurino ivit in Kierium, et ibi partem Guebelinam diu expulsam secum introduxit; quod fuit ad maximam consolationem omnium expulsorum Ytalie. Ibi constituit vicarium, primum quem fecit, vestrum militem, dominum Hugolinum *(b)* de Vicco [4], qui [1151] sic eos in bonis moribus nutrivit una cum aliis vicariis, qui secuti sunt eum, quod usque in hodiernum diem in pace remanserunt.

Dicta terra dicitur ecclesie Taurinensis esse per privilegia imperatorum. Comes Sabaudie dicit quod sua est per privilegia imperatorum. Dominus rex ipsam semper sibi retinuit propter verba illius

a) introieret, *ms.* — *b)* Hugolinoem, *ms.*

---

1. Les bulles sont datées du 1er septembre 1310. Schwalm, n. 435.

2. Sur les instances du pape, Henri VII avait reporté au 2 février 1311 la date de la prestation de l'hommage dû par Robert. Cf. Schwalm, p. 515.

3. Le marquis de Montferrat prêta hommage le 25 novembre 1310, à Asti. Schwalm, n. 481-483.

4. Ugolino figure sur la liste des vicaires impériaux en février 1311. Schwalm, p. 534.

populi, qui dicebat quod F[r]edericus condempnatus jam illa privilegia dedit predictis ecclesie Taurinensi et comiti.

De Kierio venit in Ast[1] circa festum Martini, et secum partem expulsam introduxit, et fecit pacem[2] inter eos. Ibi fecit vicarium dominum Nicholaum de Bonsignoribus, de Senis[3]. Pace autem facta inter eos, ibi primo percepit intentionem regis Roberti; quia licet fuerit publicum quod cum eo societatem haberent, ut unus alium juvaret secundum quedam pacta, sine tamen alio juramento aliquo publico alicujus fidelitatis, per duos magnos de Solario, qui ante adventum suum dominabantur, fuit sibi intimatum et instrumentum apportatum, quomodo rege Roberto veniente de coronatione, ipsi secretum juramentum sibi fecerunt sicut domino, et ipse eis; sed istud non debebat revelari donec sanctitas vestra publice ostenderet affectum quem *(a)* ad eum habebatis, et quomodo voluntas vestra erat quod ipse cresceret in Lumbardia, et in brevi vos promiseratis sibi ostendere per effectum, prout ego melius possum recordari. Ista fuit sententia verborum illorum duorum de Solario; quos ego si viderem *(b)*, cognoscerem, sed nomina ignoro. Presens fuit in istis regina, fratres sui, episcopus Geben[n]ensis, et ego. Dominus post recessum illorum duorum michi precepit quod illud instrumentum ego comburerem; quod et feci. Nolebat autem quod unquam posset ostendi, ex quo unum esse debebant propter parentelam futuram, et ipsum excusabat dicens quod filius tam probi viri de sanguine beati Ludo[1152]vici natus nunquam faceret tale quid, sed forte consilium suum potuit hoc facere.

In illo loco diligenti et maturo consilio habito de marchionatu Montisferrati, cujus esset, invenit quod marchio Saluciarum nullum jus habebat. Licet autem inter ambos marchiones, qui *(c)* ejusdem domus fuerunt, fuerit ordinatum per testamenta eorum quod si unum contingeret mori sine herede, alius succederet, et marchio Montisferrati mortuus fuerit sine herede habens unam sororem, unde iste natus est qui jam marchio est, ratione cujus dicebat se habere jus,

a) quam, *ms.* — *b)* vederem, *ms.* — *c)* que, *ms.*

1. L'entrée à Asti eut lieu le 12 novembre 1310. Schwalm, p. 411.

2. Sur la pacification, voir les documents du 15 novembre au 8 décembre 1310, imprimés par Schwalm, n. 468-475.

3. Le 21 novembre 1310. G. da Cermenate, p. 41, n. 2. Sur Niccolô Bonsignori, voir l'édition de Compagni par I. del Lungo, Florence, 1879, vol. II, p. 596-604, et Schwalm, n. 476.

scilicet matris, que fuit soror ultimi marchionis, qui filiam comitis Sabaudie habebat in uxorem; quia tamen in tam nobilibus feodis sorores non succedunt, nec ordinatio potest fieri aliqua sine consensu superioris, declaratum fuit ibi per regem quod neuter eorum habebat jus et quod marchionatus devenerat ad manum dicti regis. Et hoc fuit per omnes approbatum, nullo aperte contradicente.

Tunc dominus rex volens placere comiti Philippono et omnibus Guelphis, volens etiam placere domino Opizino de Luculo, cujus filiam habet in uxorem nunc marchio, marchionatum Montisferrati, qui juste ad manus suas devenerat, de novo tradidit in feodum marchioni illis diebus[1]. Illa donatio omnibus Guebelinis in Lombardia displicuit, quia marchio tunc tenebat cum domino Guidone de la Turre et comite Ph[ilippono] et aliis Guelphis, et marchio Saluciarum tenebat tunc, sicut et nunc, cum Guebelinis expulsis de Lumbardia. Ab illo die semper marchio Montisferrati pro imperio et fidelibus imperii fidelis est inventus.

In eodem loco venerunt ad eum archiepiscopus Mediolanensis et dominus Matheus Vicecomes et Manfredus de Becaria, de Papia, qui tunc erant expulsi. Ibi, prout recordor, juraverunt suum consilium isti tres, qui tunc domino [1153] Guidoni de Turre et parti Guelphe erant contrarii, et adhuc sunt, excepto archiepiscopo. Tunc etiam superius nominati comes Ph[ilipponus] et Sy[mon] Versellensis et Antonius de Laude domini regis consilium juraverunt et fidelitatem fecerunt, et plures alii prelati et laici, quos nescio nominare; inter quos fuit episcopus Astensis, Novariensis et Taurinensis.

Ibidem dominus archiepiscopus Mediolanensis requisivit dominum regem quod fratres suos tres, quos Guido de Turre plus quam per annum in carcere tenuerat, mandaret liberari. Dominus rex mandavit illi quod ipsos liberaret; quod tunc facere recusavit.

Ibidem comes Philipponus invenit unum de Papia, qui venerat ad dominum suum. Et quia, ut predixi, ipse et alii qui potenter suas civitates tenebant ante ingressum regis in Lumbardiam ordinaverant sub pena gravi quod nullus suum episcopatum exiret, predictum increpabat quare contra ordinationem suam venisset et comitatum suum exivisset, respondit quod ad dominum suum venisset. Tunc dictus comes, postquam ipsum vituperaverat, mandavit fratri suo, tunc episcopo Papiensi, quod domos suas faceret sibi dirui et vineas suas abscindere; quod et fecit. Postquam factum est et regi fuit inti-

1. Le 25 novembre 1310. Schwalm, n. 481-483.

matum, multi mirabantur quod dicto comiti parcebat, sic quod non solum ipsum de hoc non punivit, sed etiam sicut prius consiliarius fuit. Et in conscientia mea ego ex tunc minus in animo meo ipsum regem reputavi, et quod ipse nunquam benefaceret justitiam, nec de malis hominibus magnis auderet *(a)* facere justitiam; quod supra modum michi displicebat.

Que facta sunt in Ast alia non bene recordor, licet plura, prout credo, facta sint *(b)*, quia diu remansit *(c)* post meum recessum ibidem. Ego autem illo die recessi de Ast cum magno capellano vestro, cum litteris quas scitis. Quo die dominus cardinalis de Peregrue *(d)* intravit [1].

[1154] Post meam reversionem suum recessum audivi de Ast in hunc modum [2]. Plures de Lumbardia, de Janua, tunc cum eo erant; et inter eos ipse vidit diversa consilia secundum diversitatem voluntatum. Modo quasi in centro illius contrate Lumbardie situatum est unum castrum, quod vocatur Vigenevum, distans de Mediolano, de Versellis, de Papia per viginti miliaria, et de Laude etiam. Illud castrum tunc tenebat dominus Guido de Turre pro communi Mediolanensi, et unus de suo sanguine erat ibi tunc potestas. Per procurationem unius medici, qui tunc ibi morabatur, notus postea et amicus domini O[thonis] de Grandissono, quia ipsum curavit de magna infirmitate quam tunc habuit in Aquebelle, dictum castrum domino regi latenter fuit promissum; ad quod recipiendum dominum Hugonem Delphini premisit. Qui simul cum eo de Ast recedens, paucis scientibus, ipse per partem vie que vadit in Cassalle, cum rege incedens, domino rege illa nocte veniente in Cassale, dictus dominus Hugo Vigenevum intravit, et potestatem, domini Guidonis consanguineum, cum suis

a) studeret, *Bal.*— *b)* fuerint, *Bal.* — *c)* mansit, *Bal.* — *d)* Peregruo, *Bal.*; *en marge une main postérieure a écrit* Pelagrua.

---

1. Le cardinal Arnaud de Pélagrue ayant assisté à la prestation de l'hommage du comte de Savoie le 24 novembre 1310 (Schwalm, p. 433), le départ de Nicolas et de son compagnon, Jean, doyen de Trèves, pour Avignon, eut lieu entre le 12 et le 24 novembre 1310. Les deux messagers étaient à la cour pontificale avant le 9 décembre, car, à cette date, Clément V annonce qu'il a reçu d'eux dernièrement, *nuperrime*, les requêtes d'Henri VII. Schwalm, n. 467. — On relève sur l'ambassade cette mention dans les comptes royaux : *Item sociis de societate Macciorum pro fratre Nicolao predicatore et decano Treverensi, quos receperant ab eis in curia, die* XXII *marcii... tercentas florenos auri.* Schwalm, p. 1146.

2. Le départ d'Henri VII eut lieu le 12 décembre 1310, d'après Böhmer, p. 285.

bonis illesum dimisit. Quo castro habito, omnes civitates circumquaque timuerunt. In Cassali, cum in pace essent, nichil aliud fecit nisi quod juramentum fidelitatis ab eis recepit.

In Cassali et ante, quia consilium predictorum trium Philipponi, Symonis Versellensis et Antonii erat, ut predixi, quod nullum extrapositum secum intromitteret, consilium autem aliorum erat contrarium, et voluntas domini regis caute et secrete dictos tres custodiri faciebat, sic tamen quod ipsi ignorabant, nec quis a[d]vertebat nisi illi quibus erat commissa dicta custodia. De Cassali volens recedere rex, dictus Symon de Versellis, ibidem potens et dominus, rogabat quod procederet. Dominus rex noluit non bene sperans de eo, sed ultra cum eo procedens versus Versellas, Padum cum somariis et curribus sine navigio transivit, quod omni[1155]bus patriotis miraculum videbatur, civitatem intravit Versellensem, et expulsos secum adduxit. Ibidem unum vicarium de Janua de Malosellis, qui Guelphi sunt, dimisit, consanguineum domini comitis Sabaudie. Ibique pace[1] inter eos facta et bona concordia, receptisque fidelitatibus domini episcopi, nobilium et communis, versus Novariam direxit gressus suos.

In Novaria veniens[2], partem expulsam secum adduxit. In Novaria tunc dominabatur unus guelphus dominus Guillermus nomine de Brusatis antiquus *(a)*. Utrum sibi o[b]viaverit nescio bene, nisi usque in Versellas, quia fuit antiquus *(b)* et debilis. Pace inter eos et concordia facta[3], quia dominus archiepiscopus Mediolanensis erat aliquantulum domino episcopo Versellensi durus super consecratione sua, dominus rex et regina ipsum archiepiscopum rogaverunt ut dictum episcopum Versellensem in presentia eorum consecraret, quod et fecit in ecclesia fratrum Predicatorum in Novaria. Qualem reverentiam sibi fecerunt, que dona dicto episcopo dederunt rex et regina, et quas expensas fecerunt in dicto festo, quantum ad convivia et alia, ipse scit cui factum est, et ipsi qui interfuerunt. Quomodo autem dictus episcopus dicto regi post suam consecrationem et honorem

a) antiqus, *ms.* — *b)* antiqus, *ms.*

---

1. La pacification eut lieu du 15 au 18 décembre 1310. Schwalm, n. 488-490, 1277-1278.

2. Le 20 décembre, Henri VII se trouvait à Novare. Schwalm, n. 500.

3. Les actes de la pacification de Novare sont dans Schwalm, n. 498-501 (16-20 décembre 1310).

receptum *(a)* ab eo sibi serviverit et fidelitatem servaverit, insignia regis Roberti in Versellis posita et in suo hospitio specialiter et per eum et suos, ut fama est, hoc ostendunt. Recordor incidentaliter quod ante recessum meum de Pisis audivi ab imperatore per paucos dies quod in isto mundo non erant duo prelati magis ingrati quam archiepiscopus Mediolanensis et episcopus Versellensis, et quod inter omnia, que plus habebat cordi, unquam sanctitati vestre supplicare circa facta prelatorum, hoc erat, quod sanctitas vestra sciret quid fecit pro istis duobus et quid fecerunt contra eum.

[1156] Domino rege in Novaria existente per aliquos dies, dominus Guido de Turre tunc sibi misit ambassiatores, primo quod veniret; per quos fratres archiepiscopi Mediolanensis, quos antea non miserat, licet de Ast petivisset, liberos remisit. Ille fuit primus locus, qui solum a Mediolano distat per parvam dietam, ad quem misit, licet in civitate Spirensi misisset priorem et suppriorem Predicatorum Mediolanensium quod citra Lausanam *(b)* sibi occurreret, prout superius est notatum. Mora missionis nuntiorum domini Guidonis de Turre ad regem, secundum ea que mandaverat per fratres, satis in corde regis posuit de suspicione, licet illis diebus parum ostenderet per effectum, cum semper, quantumcumque accusaretur per alios dictus Guido, per eum excusaretur, quamvis de multis veris accusaretur : videlicet quod domino Guillermo de Postella, qui major est nobilis de Mediolano, negavit venire ad presentiam regis hiis diebus et pluribus, et quod ipse terram muniverat armatis omnibus quos habere poterat; semper tamen, quantumcumque domino regi diceretur, ipsum publice excusabat, et dicebat quibusdam ad partem suis amicis privatis quod prior et supprior predicti Mediolanenses sibi dicerent *(c)* in animas suas quod bona fide intendebat obedire et nichil mali erat in corde suo circa eum.

De Novaria recedens, transivit Tisinum sine navigio [1]. Quod miraculum rustici de partibus dicebant, cum a centum annis non esset auditum quod sine navi per aliquem locum quis transiverit illam aquam. Mediolanum precesserat marascalcus regis propter hospitia assignanda. Qui nullam bonam voluntatem videns in domino Guidone suo judicio, satis ingressum domini regis timuit in Mediolanum,

a) receptam *(sic)*, *ms.* — *b)* Lausanan., *ms.* — *c)* *lege* dixerant, *Bal.*

1. G. da Cermenate, p. 37.

specialiter cum pallatium communis dictus Guido nollet dimittere, qui ipsum inhabitabat, nec stipendiarios vellet licentiare, qui erant [1157] in equis fere mille. Quando in via litteras recepit marascalci dominus rex de statu civitatis Mediolanensis et voluntate domini Guidonis et suorum, retraxit se aliquantulum extra viam, et predicta in consilio proposuit. Pauci, hiis auditis, fuerunt qui auderent bene ingressum suum consulere propter pericula proditionis, que quasi in promptu videbantur. Sue voluntati acquiescens mandavit festinanter marascalco quod proclamari faceret quod omnes sibi obviarent et sine armis, excepta familia marascalci. Tunc omnibus suis precepit quod arma acciperent. Et sic festinavit quod dominus *(a)* Guido, qui sibi obviabat sine armis, non bene per unum miliare potuit sibi obviare, ita cito civitati appropinquavit, cum pueris et familia decenti.

Intimaverunt autem aliquibus de consilio regis quidam *(b)* quod non obstante proclamatione marascalci quod nullus arma portaret stipendiarius vel civis sub pena gravi, sed omnes regi obviarent sine armis in sollempnitate qua deceret, quod in una platea illorum de Turri equitum et peditum fere decem milia armati fuerunt et ibi dicebant quod non erat contra regem, sed contra suos inimicos, videlicet archiepiscopum et fratres suos, dominum Matheum Vicecomitem et suos sequaces. Propter quod in campis fuit ordinatum quod intrando civitatem Mediolanensem [1] nullus iret ad hospitium sub pena gravi, nullus separaret se ab alio, donec dominum regem in suo hospitio posuissent et licentiam haberent recedendi ad hospitia. Et hoc fuit Theotonicis gravissimum, quia tarde erat, et hospitium non habebant plures, nec aliquis erat securus. In hospitio archiepiscopi descendit rex, et ibi fuit per plures dies, donec dominus Guido induci potuit quod palatium communis *(c)* dimitteret. De hoc multi multa loquebantur contra regem quod talia poterat sustinere.

Celebrato ibi sollempniter die nativi[1158]tatis Domini Jhesu Christi [25 decembris 1310], in crastinum fecit pacem inter dominum archiepiscopum, fratres suos, dominum Matheum Vicecomitem predictos, et dominum Guidonem [2]. In presentia sui et multorum se

a) dictus, *Bal.* — *b)* quidem *(sic)*, *ms.* — *c)* communes, *ms.*

1. L'entrée à Milan eut lieu le 23 décembre. Böhmer, p. 285, et G. da Cermenate, p. 38. Sur la suite des événements qui se passèrent à Milan, voir Dino Compagni, p. 224-232.

2. L'acte d'arbitrage est daté du 27 décembre 1310. Schwalm, n. 509.

invicem sunt amicabiliter, utinam fideliter, osculati. Cito post, nescio quot diebus, sed scio quod infra octavas nativitatis Christi, in platea communi, ante Sanctum Ambrosium, parata sede decenti, vocatis omnibus civibus et forensibus, ipse in sede regali sedens, et ad pedes suos predictos simul habens, unus jurisperitus de mandato suo surrexit ostendens populo quare venerat de suis partibus satis pulcre, et quomodo sue intentionis erat nullam partem tenere, ubique ponere pacem, omnes expulsos introducere, et talia plura que populus cum magnis lacrimis pre gaudio audiebat, dicens laudem Deo et sibi, secundum modum patrie supra modum. Specificavit etiam et digito ostendit dictus prolocutor unionem, pacem et concordiam quam fecerat alibi, et inter predictos dominos archiepiscopum, fratres suos, dominum Matheum et dominum Guidonem. Et omnia isti predicti simul sedentes et simul tenentes se in recessu cum manibus asserebant et tunc facta ostendebant. Hoc facto, dominus Guido sponte palatium communis, quod inhabitabat, domino regi dimisit, et domina regina remansit in palatio archiepiscopi.

Tunc temporis cives de Modoetia instabant quod rex Modoetiam *(a)* reverteretur ad coronam ferream recipiendam, cum ibi esset locus ab antiquis regibus ordinatus[1]. Dominus rex habita matura deliberatione et inspectis libris et chronicis antiquis invenit quod dictus locus erat sue coronationis ferree Mediolanum, et quod sanctus Ambrosius talem in tali loco et plures archiepiscopi Mediolanenses plures in tali vel tali loco coronarunt, et quia Mediolanum frequenter rebellavit imperio, et reges plures nesciebant si audacter Me[1159]diolanum possent intrare ad recipiendum dictam coronam ferream propter rebellionem eorum frequentem et infidelitatem, deliberaverunt quod quando Mediolanensem civitatem non possent pacifice intrare, quod apud Modoetiam *(b)* coronam reciperent, quod nunquam imperio rebellavit. Unde cum dominus adhuc Modoetiam *(c)* non intrasset, et in Mediolano pacifice esset receptus, injuriaretur ipsis, si alibi quam in ecclesia Sancti Ambrosii suam coronam ferream reciperet. Quod ad omnibus, exceptis civibus de Modoetia *(d)*, est una[ni]miter concordatum. Unde dominus rex diem Epiphanie *(e)*

a) Moedetiam, *ms.* — *b)* Moedetium, *ms. et Bal.* — *c)* Moedetium, *ms. et Bal.* — *d)* Moedetio, *ms. et Bal.* — *e)* Ephifanie, *ms.*

1. Sur les négociations avec les habitants de Monza, voir Schwalm, n. 485-486.

pro sua corona ferrea recipienda in ecclesia Sancti Ambrosii elegit.

Post hec fuit visum honestum consilio Mediolanensium quod aliqua curialitas fieret regi. Et super hoc fuit vocatum consilium sapientum, inter quos fuerunt dominus Guido et dominus Matheus. Omnes concordaverunt quod aliquid sibi daretur. Sed de summa unus nobilis dominus Guillermus de Postella dixit *(a)* primo quod regi darentur quadraginta milia florenorum. Dominus Matheus dicit quod bene erat dictum [1]. Et plures alii concordabant. Addidit tamen unum, quod aliquid daretur domine regine pro curia sua tenenda, et dixit de decem milibus florenorum. Et pluribus placuit. Tunc dominus Guido dixit quod civitas erat potens et dives, et quod parum erat secundum indigentiam domini. Unde videbatur ei quod non minus quam centum milia florenorum debebant sibi dare. Iste habuit etiam sequaces suos plures. Ex istis statim inter Theotonicos et inter consiliarios domini fuit dictum et judicatum quod dominus male fecerat quod unquam dominum Matheum intromiserat, et quod jam minus volebat de utilitate sua procurare in civitate Mediolanensi quam dominus Guido de Turre, qui dominium perdebat. Alii autem dicebant aliud, quod dominus Gui[1160]do sciens populum gravatum per eum multum, et non voluntarium ad tantam pecuniam dandam, quia cum maximo gaudio regem receperant *(b)*, ut omnino vel rebellarent vel gratiam ad eum perderent fecit. Nos autem citramontani, inter quos ego fui tunc, plus satis eramus contenti *(c)* de domino Guidone et de sua procuratione magna, cum sciremus regem et nos omnes satis indigere, quam essemus de domino Matheo. Unde dicebamus communiter quod dominus Matheus ita modicum volebat ut daretur regi ut gratiam populi et favorem haberet. Scio quod de istis centum milibus florenorum rex recepit quinquaginta milia sine solutione particulari alicujus hominis, quia ordinatores super hoc redditus et introitus civitatis vendiderunt ad certum tempus pro tali summa. Alia quinquaginta milia fuerunt posita per civitatem et comitatum, et cum talibus rumoribus recollecta quod ego frequenter de domo Predicatorum non audebam venire usque ad palatium propter maledictiones et vituperia que dicebant de rege et de nobis citramontanis isti qui ad solvendum *(d)* cogebantur.

a) dicit, *ms.* — *b)* receperent, *ms.* — *c)* contempti, *ms.* — *d)* solvandum, *ms.*

---

1. G. da Cermenate, p. 45 et n. 1.

In die Epiphanie *(a)* [6 januarii 1311] per archiepiscopum Mediolanensem et episcopum Versellensem, quem ad hoc specialiter voluit habere tanquam suum episcopum, qui sic tunc a rege et regina vocabatur, et pluribus aliis prelatis presentibus tunc, coronam ferream in ecclesia beati Ambrosii suscepit. Eodem die centum et sexaginta milites novos fecit; inter quos fuerunt aliqui citramontani, et plures Lumbardi, omnes Guebelini, duobus vel tribus exceptis, videlicet Guiberto de Corrigia de Parma *(b)* et Ponsino de Ponsonis de Cremona, qui Guelphi erant. Et de hoc fuerunt multa judicia, cum Guelphi essent plures quam Guebelini, et ditiores et potentiores, quia tunc per manum domini sui nolebant militari. Memoriam nominum *(c)* istorum duorum habui, quia frequenter propter [1161] mirabiles proditiones quas fecerunt in Parma *(d)* et Cremona suis civitatibus, quas procuraverunt rebellare, audivi eos nominare. Qui tot honores et commoditates a domino rege receperant in diversis locis, quomodo sine causa potuerunt talia facere?

Ad dictum diem omnes civitates fuerunt vocate per sindicos, et omnes miserunt, et omnes fidelitatem juraverunt [1], exceptis Januensibus [2] et Venetis [3], qui tunc, licet miserint, non juraverunt, et multa dixerunt, que male retinui, quare non jurabant et tamen dominum suum regem Romanorum recognoscebant. Unde nullam bonam causam scio nisi quia sunt de quinta essentia, nec Deum, nec Ecclesiam, nec imperatorem, nec mare nec terram volunt recognoscere, nisi quantum volunt; et ista sue rationes innuebant.

Postea successive infra mensem omnes civitates infrascriptas pacificavit [4], et partes expulsas intromisit, et vicarios [5] eis dedit, scilicet Cumanam, ubi partem Guebelinam intromisit, Brixiensem, ubi partem Guelpham intromisit, Mantuanam, ubi partem Guebelinam intromisit, Placentiam, ubi partem Guelpham intromisit, et sic de aliis omnibus *(e)* a Bononia et supra; excepta Verona, in qua

a) Ephifanie, *ms.* — *b)* Palma, *ms.* — *c)* nominorum, *ms.* — *d)* Palma, *ms.* — *e)* omnibus aliis, *Bal.*

---

1. Voir l'acte d'hommage de l'évêque de Lodi, dans Schwalm, n. 502-505.
2. L'acte d'hommage de Gênes est du 28 janvier 1311. Schwalm, n. 567.
3. Sur l'ambassade des Vénitiens, Schwalm, n. 560-561. Leurs instructions datent du 20 janvier 1311.
4. Les actes de la pacification de Pavie, Crémone, Reggio, Plaisance, Lodi, Crema sont dans Schwalm, n. 526-534, 542-547, 554-558.
5. Voir la liste des vicaires impériaux de février 1311, dans Schwalm, p. 534.

partem Guelpham voluit intromittere. Sed Veronenses noluerunt ipsum comitem de Sancto Bonefacio, tunc presentem in Mediolano, recipere, qui capud Guelphorum in illa civitate Verona erat, dicentes quod dictus comes per F[r]edericum erat privatus omnibus bonis suis tanquam proditor et rebellis et de hoc justitiam petebant. Dictus comes deffendebat se, quod F[r]edericus, licet privaverit eum, non potuit, quia jam fuerat condempnatus. Alii dicebant quod non, et de hoc volebant facere fidem. Et dum sic litigarent ante perfectam declarationem, ista que secuntur per dominum regem fuerunt in consilio suo proposita.

Proposuit dominus rex omnibus ci[1162]tramontanis et ultramontanis, non solum suis consiliariis, sed etiam pluribus aliis sapientibus ad hoc vocatis, cum Deus, non ipse, per suam gratiam in Lumbardia pacem posuisset, sic quod omnes partes expulse fere erant introducte, et simul pacifice vivebant, et vicariis suis obediebant, quis esset modus melior, cum ipse esset in procinctu eundi ad coronam, conservandi Lombardiam *(a)* in pace post suum recessum. Lumbardi *(b)* per se, citramontani per se, convenerunt. Et postea voluit rex quod simul essent. Et per se et simul omnes concordaverunt quod de omni civitate majores de utraque parte secum duceret, quia illi erant qui faciebant brigam, et hoc cum expensis suarum civitatum, et quod unus esset vicarius generalis cum magna gente stipendiariorum. Istud consilium dominus rex approbavit, et dominum comitem Sabaudie vicarium generalem constituit, qui debebat habere mille quingentos equites armatos ad expensas omnium civitatum Lumbardie secundum ratam cujuslibet [1]. Et ista stipendia recepit dictus comes per aliquod tempus.

De modo eligendi illos qui dictum regem ad suam coronam debebant sequi fuerunt multi multa dicentes, que longa essent enarrare. Sed finaliter in hoc devenerunt quod una pars eligeret aliam, videlicet Guelphi XXV Guebelinos, et Guebelini XXV Guelphos [2]. Ordinatum enim erat quod quinquaginta de Mediolano dominum regem sequerentur. Per Guelphos electus est dominus Matheus Vicecomes et unus de suis filiis cum XXIII aliis. Per Guebelinos electus fuit

a) Lonbardiam, *ms.* — *b)* Lunbardi, *ms.*

1. Voir, sur l'institution d'un vicaire général en Lombardie, les documents du 14 janvier au 8 février 1311. Schwalm, n. 550-553 et p. 534.

2. G. da Cermenate parle de cent otages, p. 47 et n. 1.

dominus Guido de Turre et unus de filiis suis cum XXIII aliis. Post aliquod intervallum videntes Guelphi quod fere omnes, quantum ad capita eorum, de Mediolano recedebant et plures Guebelini remanebant, quia plures intraverant tunc Guebelini Mediolanum quantum ad capita quam fuissent de Guelphis hiis diebus, reputabant se [1163] gravatos, et tunc rogaverunt dominum quod alius modus inveniretur eligendi, quia notabiliter gravabantur. Licet dominus rex non libenter mutaverit, tamen ad instantiam comitis Sabaudie vicarii generalis et aliorum citramontanorum, qui plus domino Guidoni favebant hiis diebus propter jam dicta quam domino Matheo, mutavit dominus modum, et elegerunt *(a)* aliter, ita quod credebatur quod negotium bene staret.

Domino disponente se ad recessum, pauci erant qui libenter sequerentur. Guelphi non libenter dimittebant civitatem, sed semper timebant dominum, nec de eo plene confidebant. Guibelini, quia pauperes et diu fuerant extra, non libenter sequebantur. Volebat tamen dominus rex quod venirent. Ex quo per eos et per alios fuerat consultum, nichil voluit *(b)* inmutare *(c)* quin venirent.

Tunc necesse fuit quod pecunia pararetur per modum dacie pro expensis eorum; item alia talia sive dacia pro expensis vicarii generalis; item alia pro illis quinquaginta milibus florenorum qui adhuc domino regi debebantur. Ista summa pecunie tanta pauperibus et divitibus imposita *(d)* sic omnes commovit quod nullus bene posset credere, nisi presens fuisset. Tamen opportebat quod pecunia pro omnibus predictis solveretur. In ista commotione dominus Guido excusavit se propter infirmitatem quod venire cum domino rege non posset. Dominus excusationem non admisit, et hoc, quia medicum suum misit, et requisitus per juramentum utrum haberet talem infirmitatem propter quam esset merito excusandus de non veniendo, dixit quod non.

In ista tanta commotione[1] accidit illa novitas que imposita fuit domino Guidoni, et hoc quia in domibus suis et in sua contrata et pedites et equites inventi sunt infiniti homines armati, et de domo sua principaliter et vicinia exeuntes contra Theotonicos plures vul-

a) eligerunt *(sic)*, *ms.* — *b)* voluerit, *ms.* — *c)* mutare, *Bal.* — *d)* Istam summam pecunie tantam pauperibus et divitibus impositam, *ms.*

1. Les troubles éclatèrent à Milan le 12 février 1311. Cf. Albertus de Bezanis, p. 74; G. da Cermenate, n. 50-64, et Schwalm, n. 582.

neraverunt. Item in aliis contratis longe remotis a [1164] sua, tamen de sua sequela, exiverunt armati pedites et equites, licet per plures dies esset proclamatum quod nullus Ytalicus arma portaret sub pena gravi. Fuit tamen dictum domino regi, me presente, et pluribus, quod dominus Matheus in illa novitate concordaverat, et de consilio suo factum erat totum, et quod filii sui erant armati cum filio domini Guidonis. Et istud fuit motivum quare credebatur, et hodie a multis creditur, quia dum ista novitas inciperet, plures erant cum equis euntes per civitatem, et aliquos ego audivi clamantes : *Moriantur (a) Theotonici omnes: pax est inter dominum Guidonem et dominum Matheum!* Et tunc post istas clamationes omnes cives sunt armati.

Tunc illa hora ego eram cum rege, qui mandavit quod dominus Matheus caperetur cum filiis. Ego autem, qui veniendo ad regem de domo Predicatorum, per domum cancellarii transiveram, ubi dictum dominum Matheum cum uno filio suo dimiseram sine armis, dixi : *Domine, dominum Matheum in domo cancellarii dimisi.* Nullus voluit michi credere. Precepit michi dominus quod ego irem et adducerem eum. Ivi cum maximo periculo, et ipsum adduxi ad cappellam domini. Tunc dixit michi dominus publice quod servitia feceram sibi, sed istud erat maximum, quia istum innocentem *(b)* mandaverat cappi ad eum interficiendum, si ego non fuissem, quia ab omnibus accusabatur, et adhuc etiam accusatur, et dicunt quod ipse consensit, sed quando vidit quod res non poterat fieri, ut credebant, propter festinationem nimiam Theotonicorum armatorum, dimisit alios in briga, et se extra posuit. Ibi facta sunt multa mala et infinita spolia, et multi mortui et vulnerati; si juste, Deus scit. Fugit dominus Guido. In domo sua inter *(c)* alia suspicione plena invente sunt sagitte parate cum igne greco, multe et grosse baliste ad trahendum.

Post illud periculum, quod satis magnum fuit, non [1165] multum post [20 februarii 1311][1] Cremona rebellavit projiciens partem unam et vicarium[2] extra civitatem. Hoc idem fecit Brixia et Crema[3]. Sed Laude extra partem Guebelinam posuit, sed obediebat vicario dicti

a) morientur, *ms.* — *b)* ignocentem, *ms.* — *c)* Fugit dominus Guido in domo sua Inter., *Bal.*

1. Albertus de Bezanis, p. 75.

2. Le vicaire impérial était « Franciscus, marchio de Cauxesano ». Schwalm, p. 534.

3. Schwalm, n. 582-585.

regis[1]. Illis diebus dictus rex dedit comiti Philipponi Cassalle[2], Symoni de Versellis mille libras imperialium in feodum in redditibus suis recipiendas in Versellis; quod multum Guebelinis displicebat. Domino Guidoni tria milia ordinaverat dare, nisi illa miseria accidisset. De consilio istorum missus est Antonius de Laude ad istas tres civitates predictas que rebellaverant, tanquam prudentior inter alios Lumbardos et melior mediator.

Illis etiam diebus missus fuit episcopus Geben[n]ensis in Paduam; ubi per eum invente sunt diverse vie et quidam tractatus super quibusdam gratiis quas petebant Paduani. Et de hoc habuit dominus rex magnam pecuniam, sicut scio [3].

Post hec Antonius de Laude reversus est de Brixia, Cremona, Crema et Laude, que rebellaverant, in quibus nullam obedientiam invenit. Et sibi ab aliquibus fuit impositum quod si bene laborasset et fideliter, quod ipsos de facili ad obedientiam reduxisset, quia nichil novi erat factum inter eos adhuc, nec causam habebant aliquam nisi ratione novitatis in Mediolano facte.

Post hec dominus Antonius[4] petivit licentiam eundi in Laude : que, licet partem Guebelinam expulisset, sicut et alie tres predicte, tamen adhuc vicarium regis tenebat et sibi obediebat. Dominus rex non libenter dedit ei propter ea que dicebantur de eo, et quia prudentior homo Lumbardie. Tamen quia multi instabant, receptis fidejussoribus pro eo quod ad talem diem reverteretur, licentiavit eum. Fidejussores sui fuerunt comes Phillipponus et dominus Symon de Versellis. Ivit; et postquam steterat per unum diem Laude, tunc Laudenses regis vicarium ad suam pro[1166]curationem expulerunt. Transacto termino, quod non revertebatur, sed mandabat se esse captum, multis placuisset quod dominus rex posuisset manus ad ostagia, scilicet dominum comitem Philipponum et Symonem de Versellis; quod facere recusavit. Et causa fuit, prout credo, quia tunc comes Philipponus maximam displicentiam ostendebat de hoc quod fecerat dominus Guido, gener suus, et tunc regi multum fidelis videbatur.

1. Le vicaire impérial était « Jacobus de Bachesello ». Schwalm, p. 534.

2. Schwalm, p. 534.

3. Les Paduans promirent, en effet, de donner 100 000 florins et 20 000 autres chaque année (10 juin 1311). Schwalm, n. 628. Les documents (8 mai-10 juin) concernant la mission d'Aymon, évêque de Genève, à Padoue, sont dans Schwalm, n. 624-627.

4. G. da Cermenate, p. 65-70.

Transactis quibusdam diebus, die quo vestri nuntii tunc electus Salarnitanus et dominus Hugo Geraudi, nunc archiepiscopus et episcopus, dum publicarent gratiam quam regi faciebatis super commissione sue coronationis[1], dictus Antonius cum quodam de Crema missi per suas civitates claves portarum earumdem domino regi presentaverunt, petentes misericordiam, et suam culpam recognoscentes. Claves de suo mandato maraschalcus recepit et dictum Antonium et alium custodiri fecit. Et licet eis tunc non pepercerit, tamen cito post ad preces vestrorum nuntiorum eis et civitatibus eorum sine aliqua pena indulsit *(a)*.

Predicta acta sunt circa finem quadragesime. Et quia hiis diebus Mediolani divina non poterat audire propter interdictum positum per dominum de Peregrue *(b)*, et ipse a vestra sanctitate privilegium habuit audiendi divina sollempniter in omni loco ubi intraret, per aliquos dies ivit Papiam [11 aprilis 1311], et in Pascha ibi propter divina audienda peracto mandato humil[l]ime in domo Predicatorum tenuit curiam suam, et illo die comitem Philipponem, suum filium, et unum alium militavit, et post festum reversus est Mediolanum[2].

Et tunc, quia audiverat quod Pergamenses non bene stabant, scripsit vicario[3] quod illos electos XIIIJ, qui debebant eum sequi ad coronam, sibi mandaret. Antequam vicarius litteras domini regis reciperet, cives Pergamenses in presentia vicarii sui firmaverant quod nul[1167]lus Theotonicus civitatem suam intraret, et quod nullus eorum ad sequendum regem ad suam coronationem iret, et quod predicta per vicarium regi intimarentur. Post istam ordinationem dictus *(c)* vicarius litteras regias recepit quod sibi mitteret illos XIIIJ qui secum debebant ire ad coronam. Et verisimile timens de rebellione civitatis, si dictas litteras publicaret, tenuit eas, et domino regi mandavit ordinationem quam fecerant, et quod non obstante tali littera sibi missa, quod iterum sibi scriberet quod ad bonum et pacificum statum civitatis Pergamensis faceret quod sibi

a) indulxit, *ms.* — *b)* *lege* Pelagrua. — *c)* dominus, *Bal.*

---

1. Les lettres de créance des messagers pontificaux sont du 28 février 1311. Schwalm, *op. cit.*, n. 587. Les instructions qui leur furent données en mars et le 5 avril indiquent qu'ils étaient en route pour Milan. Schwalm, n. 594-597. On constate leur présence dans cette ville le 17 et le 19 avril. Schwalm, n. 604-606.

2. Il y était le 17 avril. Schwalm, n. 605.

3. C'était « Petrus de Aymorino ». Schwalm, p. 534.

videretur expediendum *(a)*. Habita secunda littera, primam primo legit civibus, et postea secundam; et gavisi cives de secunda in pace tunc remanserunt.

In crastino octave Pasche [19 aprilis 1311] de Mediolano recessit dominus, et ivit Laude[1], dimisso domino Nicholao de Bonsignoribus vicario, et expulsos secum introduxit, et etiam dominum Antonium, et eis pepercit, licet videretur majoribus sui consilii quod muros destrueret et unum castrum de eis faceret ad expensas civitatis, ut subjecti per castrum tenerentur de cetero vellent nollent; quod facere recusavit. Immo in nullo eos punivit. Si bene fecit, Deus scit. Sed non credo, quia facilitas sue venie timeo ne aliis daret exemplum non bene faciendi.

Ibi Cremonenses, qui primo rebellaverant, misserunt claves civitatis petentes gratiam et misericordiam. Nec per vestros nuncios nec per suos consiliarios induci potuit quod eis misericordiam promitteret, quia primi erant qui rebellaverant. Tamen regina, piissima domina, que claves civitatis receperat, et omnes de suo consilio dabant talem spem quod laborarent secundum suum posse, sic quod non debebant desperare. De illo loco recessi ego[2] et veni ad presentiam vestre sanctitatis pro dispensatione matrimonii domini Guidonis Flandrie. Unde quomodo civitatem Cremonensem intravit sine promissione [1168] gratie, quia simpliciter ad suam voluntatem se posuerunt, quomodo sibi obviantes, pluribus in camisiis et corrigiis per collum, quos ad carceres misit, quomodo mulieribus et parvulis clamantibus *Misericordiam, misericordiam!* quomodo portas et partem murorum destrui fecit, et domos illorum marchionum de Calvacabbo *(b)*, qui fugerunt *(c)*, et quorumdam aliorum destrui fecit, et civitatem comitatu privavit, licet postea reddiderit, nescirem loqui nisi ex auditu[3].

De Laude audivi quod Cremam ivit[4], et introduxit secum expulsos,

a) expedientius, *Bal.* — *b)* Tabiacabbo, *ms. et Bal.*— *c)* fugerent, *ms.*

---

1. G. da Cermenate, p. 71.

2. Le 23 avril 1311, les livres de comptes d'Henri VII relatent la dépense suivante : *fratri Nicolao de Predicatoribus pro espensis ad curiam romanam, die XXIII aprelis... centum florenos.* Schwalm, p. 1147.

3. Sur les événements survenus à Crémone, voir Albertus de Bezanis, p. 75-76; G. da Cermenate, p. 72-78, et Dino Compagni, p. 232-234. La sentence royale fut promulguée, le 10 mai 1310, contre Crémone. Schwalm, n. 631.

4. G. da Cermenate, p. 72.

et eis pepercit in omnibus: nec intellexi quod aliquid ibi fecerit aliud, nisi quod mandavit Pergamensibus quod venirent ad eum, et ipsi tunc venire noluerunt.

In Cremona[1], eo existente tunc, nulli erant rebelles nisi Brixienses; et, prout intellexi, Brixienses ad ordinationem illius Theobaldi quem intromiserat, quia per Guebelinos episcopum et suos consanguineos diu extra civitatem fuerant *(a)*, miserunt quosdam mediocres ad regem, dicentes quod parati erant obedire, sic tamen quod Guebelini, quos extra posuerant, non intrarent. Aliquibus videbatur magis expediens domino dimittere sic Brixiam et directe ire ad coronam, quia tempus tunc satis erat conveniens. Aliquibus videbatur contrarium. Et ut intellexi, et credo verum esse, Guebelini de Brixia dominum Walerannum, fratrem regis, informaverant quod civitas infra quindenam caperetur, et quod si ipse posset ordinare quod rex poneret ibi exersitum, quod ipsi dicto Waleranno darent viginti milia florenorum. Tantum ipse laboravit cum quibusdam quod missus fuit ibi primus cum magna gente, et postea dominus rex ipsum cum sua gente est secutus [2].

Postquam vestra sanctitas me licentiavit, antequam Brixiam venirem, multa mala fuerunt ibi facta, que ignoro. Ibi fuit dominus Walerannus sagit[t]a percussus, et postea sexta die mortuus [25 julii 1311]. Ibi fuit ille proditor Theobaldus, quem do[1169]minus intromiserat, ad cujus procurationem civitas rebellaverat, per horribilem modum interfectus[3], et plures Theotonici per Brixienses assati, et plures ex utraque parte suspensi. Vix ab istis vel ab illis capiebatur persona que non esset in periculo mortis.

Post hec veni in Brixiam [4]. Et jam domini cardinales et dominus patriarcha pro pace laboraverant, sed nichil erat completum; et hoc, ut dicebant aliqui, quia dominus rex erat nimis durus, alii dicebant

a) fecerunt, *Bal.*

---

1. Henri VII était à Crémone du 8 au 15 mai 1310. Böhmer, p. 290. Le siège de Brescia commença le 19 mai. Böhmer, *ibid.*

2. G. da Cermenate, p. 83.

3. Il fut fait prisonnier, le 14 juin, au cours d'une escarmouche (Albertus de Bezanis, p. 77) et condamné à mort le 20 (Schwalm, n. 653). Sur les événements qui survinrent à Brescia, voir G. da Cermenate, p. 78-79, et Dino Compagni, p. 234-239.

4. Nicolas dut parvenir à Brescia après le 25 juillet 1310, puisqu'il n'assistait pas à la mort de Walram, qui eut lieu à cette date.

non, sed Brixienses erant nimis superbi. Ego autem credo quod nulla duritia erat in corde regis, sed quia frater suus erat de novo mortuus et plures Theotonici horribili genere, si vitam, sicut dimisit, eis promisisset, ut petebant, et cardinales consulebant, et non venissent ad omnimodam voluntatem suam, major pars exersitus et fere Theotonici omnes et amici mortuorum fuissent turbati contra ipsum, et merito, quia omnibus constabat quod in Brixia ipsi, quando ista tractabantur, victualia non habebant, excepto vino, de quibus commode per unum mensem vixissent. Et hoc satis apparuit quando intravimus, de omni re comestibili *(a)* modicum invenimus.

In eodem loco fuit episcopus Albensis, frater Minor, et unus archidiaconus ex parte regis Roberti ad tractandum pacta, condictiones et alia que neccessaria erant circa matrimonium filii sui et filie regis Romanorum. Episcopus Leodiensis et episcopus Basiliensis fuerunt electi per regem pro eo. Isti quatuor simul existentes juraverunt ad sacrosancta ewangelia quod bona fide ipsi ordinarent sine cavillationibus aliquibus et dominis suis consulerent *(b)* in hoc facto que essent pro meliori utriusque. Pluribus diebus simul fuerunt, et concordaverunt illas condictiones dotis et aliorum que requirebantur ad ista; sed quid, nescio, sed vidi quod consolati recedebant.

Interim fuit unus cursor veniens de [1170] Brixia et vadens *(c)* in Florentiam captus cum litteris quas *(d)* [mandaverat] potestas Brixiensis, qui tunc erat Florentie, Pynus nomine, per familiam domini Canis captus, quia Brixia tunc erat exercitu regio sic vallata quod exire vel intrare non erat facile sine magno periculo. Littere regi fuerunt apportate. Ibi fuerunt in legendo eas rex, regina, Treverensis, dominus Sabaudie, ego, et unus clericus qui vocatur magister Henricus de Jodonia, juris professor. Potestati, capitaneo, executori justitie, consilio et communi Florentie civitatis isti de Brixia scribebant quod nullo modo obedirent et quod ipsi eis cito succurrerent in pecunia *(e)*, et scirent quod nullius rei indigerent nisi florenorum pro stipendiariis solvendis, et mitterent per illos Predicatores per quos eis aliam pecuniam miserant vel per Minores.

Item scribebant quod tali die tunc quatuor milia interfecerant *(f)* Theotonicorum, et tot magnos ceperant, et totum erat mendacium *(g)* et quod cito haberent victoriam de rege, quia omnes sui recedebant. Modo cardinales, qui se intromiserant de pace, dixerant domino quod

a) commestibilem, *ms.* — *b)* consullerant, *ms.* — *c)* vadans, *ms.* — *d)* quod, *Bal.* — *e)* pecuniam, *ms.* — *f)* interficerent, *ms.* — *g)* mandacium, *ms.*

ipsi volebant obedire ei, dum tamen securi essent de vita, et quod bona intentione loquebantur, sed quia frater regis mortuus fuerat per eos hoc petebant.

Postquam rex istam litteram vidit et audivit, fuit totus melancholicus *(a)*. Tunc dixit ei primo, et credo quod comes Sabaudie, quod non curaret, quia isti erant homines qui mendaciis *(b)* et litteris falsis totum mundum revolvebant, et juvabant se talibus. Ut autem intentio eorum sciretur, non bona, sed perversa a cardinalibus, per illos qui ibi erant presentes, deliberatum fuit quod bonum erat quod littera domino legato et aliis cardinalibus[1] portaretur, ut ipsi scirent quo motu Brixienses movebantur misericordiam petentes *(c)*. Et fuit concordatum quod ego sibi et aliis portarem.

Tunc dominus legatus [1171] erat in quodam castro, quod vocatur Suneçinum, distante ab exersitu per viginti miliaria parva, et alii erant in Cremona. Receptis litteris illis de mandato regis, illuc eundo et revertendo *(d)*, dum essem quasi in medio vie, triginta homines in equis et bene trecenti homines pedites armati me cum familia mea acceperunt, et dum me ducerent ad quoddam castrum, quod Brixienses interiores tenebant, unde illi stipendiarii erant qui me ceperant (quod castrum a sinistris erat situatum inter exersitum et Suneçinum extra stratam publicam per octo miliaria), vulneraverunt aliquos de familia mea, et omnium manibus ligatis et ad terram positis, querebant locum convenientem ubi essent arbores ad eos suspendendum, ut dicebant *(e)*. Hiis diebus ex utraque parte pauci accipiebantur nisi per aliquem modum morerentur. Et dum me ducerent sic, major inter eos magis curialiter me associabat, ne ribaldi tunc aliquo modo me turbarent. Ab illo ego petivi quare me ceperant, cum essem frater Predicator et episcopus, et in via eundi ad cardinales, et talia, et quod ipsi essent excommunicati. Ipse sic michi subridendo respondit, quod securus essem, quod ego non morerer, sed famulos meos non assecurabat *(f)*, nec tamen morerentur donec aliud mandatum haberent a Brixiensibus suis dominis, qui de diversis

a) melencolicus, *ms.* — *b)* mandaciis, *ms.* — *c)* petantes, *ms.* — *d)* revertando, *ms.* — *e)* ut dicebant, *omis par Bal.* — *f)* assecurabant, *ms.*

1. Le légat était Arnaud de Faugères, évêque de Sabine. Il avait pour compagnons Léonard Patrasso, évêque d'Albano, Nicolas de Prato, évêque d'Ostie, et Luc Fieschi, cardinal-diacre du titre des Saints-Cosme-et-Damien. Le cardinal Patrasso mourut à Lucques, le 7 décembre 1311.

partibus nati propter stipendia serviebant eis, et opportebat eos obedire dum essent stipendiarii eorum.

Postea addidit quod mandatum eorum habebant quod me caperent, qui litteras eorum Florentiam missas mecum habebam et ipsas portabam cardinalibus legendas. Ego, qui litteras habui in somario, satis timui, et statim percepi quod circa regem erant aliqui proditores, cum tam pauci fuissent legendo primo illas litteras, opportebat quod unus ex illis vel Brixiensibus intimasset vel alteri sine advertentia *(a)* qui hoc etiam eis mandasset.

In illo castro ad quod me ducebant, et unde erant, omnium vi-[1172] ctualium habebant habundantiam, vino excepto. Et quia flascones super unum de meis equis videbant, querebant diligenter si esset ibi vinum. Dixi quod sic, et warnachinum. Ipsi, qui diu fuerant sine vino, appetebant bibere supra modum. Tunc descendi de equo, et eis dedi unum flasconem, et alium retinui michi. Feci somarium stare, quia vasa non habebamus ad bibendum. Et ibi acceptis quibusdam ciphis argenteis, dedi eis. Et dum biberent, ego petivi a famulo confectionem, et dedi eis. Et in ista occupatione litteram illam in cophino accepi, eis ignorantibus, et eam in sinu meo posui. Postea sedens in equo sub cappa ipsam divisi minutatim sicut melius potui, et sparsi valde caute, ne illi qui me sequebantur adverterent *(b)*. ✠

Postquam fuimus prope castrum, tunc me deposuerunt de equo curialiter, et corrigiam meam et omnia que erant supra me ubique quesiverunt; et nichil invenerunt valoris, nisi anulos. Totum michi dimiserunt, quia non querebant nisi litteras. Sic fecerunt de omnibus sociis et famulis. Et postea somarium evacuaverunt de omnibus litteris, quas Brixiam miserunt, qui plures erant. Et nullis aliis rebus me spoliaverunt. Et sic exquisiti castrum intravimus cum receptione tali quod mulieres et parvuli clamabant : *Ad patibulum, ad patibulum!* In domum curati prope ecclesiam duxerunt nos. Et de nostra pecunia nos et ipsi bene valebamus, sine vino tamen, quod non poterat haberi. De aliis rebus maximum forum erat. Tot et tanta lucrabantur continue illi de illo castro super exersitum regis quod carnes unius bovis maximi dabant pro tribus turonensibus, et unum ronsinum pro quinque florenis, qui hodie valeret viginti florenos.

Dominus legatus, qui litteram illam viderat et transcribi fecerat in crastinum, dum irem in Cremonam ad ostendendum eam aliis

a) advertantia, *ms.* — *b)* adverterant, *ms.*

cardinalibus, de Sunccino recessit et ad exersitum venit.[1173] Unde, dum ego reverterer de Cremona ad ostendendum, ipsum non inveni in Sunccino. Et illo mane, quo de Sunccino recessi revertendo versus exersitum, fui captus. Qui me tenebant dederunt michi licentiam quod unum de sociis meis ad exersitum mitterem una cum nuncio eorum, qui omnes litteras, quas nobis invenerant, Brixiam mittebant, ut ipse frater expeditionem nostram procuraret. Dominus legatus et dominus Lucas, statim quod audierunt a nostro socio me esse captum, nimis doluerunt, et eorum gratia in continenti Brixiam miserunt pro nostra liberatione, et etiam personaliter in crastinum civitatem intraverunt, quod non erat sine maximo dispendio eorum, et tantum laboraverunt quod litteras mee expeditionis, familie et rerum procuraverunt, licet cum maxima difficultate. Et multum me juvit cum laboribus eorum quia illas litteras non invenerunt inter nostras litteras eis missas, cum eas, ut predixi, destruxissem.

Me existente in carcere et nesciente quid fieret per cardinales de mea expeditione et supra modum timente, quia audiveram quod ille famulus eorum qui fuerat captus cum litteris predictis per gentem domini regis fuerat suspensus, cogitavi unum modum exeundi, et exivi antequam littera apportaretur vel aliquid sciretur de mea expeditione, dimissis omnibus, videlicet socio, duobus nepotibus et aliis familiaribus; et postquam venerunt littere per dominos cardinales procurate, tunc omnes libere sunt dimissi.

Modus per quem exivi fuit iste. Ego invitaveram omnes illos stipendiarios ad prandium, et feceram bene parari. Deficiebat nisi vinum. Modo quedam aqua dividebat illud castrum in quo eram, quod vocabatur Pont de Vic, ab alio quod erat ultra aquam, et vocatur Rubech. Quod castrum Rubech per gentem regis tenebatur, ubi erat habundantia vini. Aqua non erat meabilis sine navi. Ibi nobiscum erant duo fratres Predicatores, quorum unus erat [1174] notus in loco et dilectus. Mensa posita, ego petivi licentiam cum illo fratre noto pro vino habendo eundi in Rubech. Deliberaverunt ipsi, ex quo socius meus iverat pro mea expeditione ad exersitum, et quod alium socium meum cum nepotibus meis, familia et rebus dimittebam, quod ego reverterer, et licentiaverunt me una cum uno socio meo de fratribus illis, et navem paraverunt et plura vasa ad vinum ponendum. Hiis factis nullus scivit intentionem meam. Postquam fui ultra aquam, ivi ad castrum, et feci omnia vasa impleri de bono vino et in navem reponi. Et tunc dixi castellano quod

non permitteret me recedere. Hoc feci ne illi qui remanserant malhaberent. Alii hec scientes credebant quod violenter me teneret, et nullum malum nostris fecerunt, sed satis simul biberunt, et in crastinum eos omnes liberaverunt, quia venerunt littere cardinalium.

Post hec fuit deliberatum in consilio regis quod littera domini legati videretur et si ipse posset virtute *(a)* sue auctoritatis ponere sententiam excommunicationis contra illos qui nollent obedire, quod requireretur. Ego missus ad dominum legatum. Copiam sue littere michi dedit, que plenissima ad omnia ista facienda erat. Ipse michi dixit secrete, et voluit quod domino regi dicerem *(b)* quomodo parum Ytalici curant de excommunicationibus alicubi. Et posuit exemplum de Florentinis, qui sententias domini Ostiensis parum curaverunt. Item de Bononiensibus, qui sententias domini Neapoleonis vilipenderunt. Item domini de Peregrue sententias Mediolanenses non curaverunt. Unde nisi gladius materialis eos ducat ratione timoris ad obedientiam, gladius spiritualis non. Unde non intendebat aliquam sententiam excommunicationis ponere super aliquos, nisi primo sanctitatem vestram consuleret.

Non recordor de aliis magne memorie dignis ante Brixiam factis postquam [1175] ibi fui reversus, nisi de uno quod michi semper displicuit. Cardinales credo omnes, qui hiis diebus in Cremona et Suneçino morabantur propter sui majorem *(c)* commoditatem, fuerunt frequenter rogati, et aliquando ego fui presens, ab amicis et uxoribus eorum qui de Cremona obviam domino regi fuerant in camisiis cum corrigiis in collo, ut predixi[1], quos antequam intraret Cremonam misit ad carceres in diversis castris, quod dominus rex maritos suos, filios et fratres de carceribus liberaret, quia plures jam erant mortui. Hanc supplicationem dominus legatus ex parte sua, qui erat in Suneçino, et alii domini cardinales, qui erant in Cremona, voluerunt quod ego facerem; quod ex affectu feci, scit *(d)* Deus, licet nichil profecerim *(e)*. Tunc postea ipsimet rogaverunt dominum regem, et nichil fecerunt. Quidam latenter et secrete, quos Deus confundat, nescio qui sunt illi, in capite regis posuerant quod si ipse predictos dimitteret, statim Cremona rebellaret, et quamdiu eos haberet, securus esset de civitate.

a) virtutis *(sic)*, *ms.* — *b)* dixerem *(sic)*, *ms.* — *c)* majoram *(sic)*, *ms.* — *d)* sciat, *ms.* — *e)* proficerim *(sic)*, *ms.*

1. Voir *supra*, p. 509.

Et si unquam ipse in suo regimine male fecit, meo judicio debili, circa subditos, ibi fuit. Predicti capti Cremonenses non erant majores sue civitatis, quia majores noluerunt obedire, sed civitatem dimiserunt. Non erant pejores, sed judicio omnium de melioribus. Per eosdem civitas erat ad obedientiam reversa, quia civitatem diligebant. Unde ut dicto regi plus facerent de honore et reverentia, et ut provocarent eum ad majorem misericordiam, nudi in camisiis, ut predixi, sibi obviantes *(a)* et misericordiam pro sua civitate implorantes, de sua virtute premium non bonum habuerunt.

Ista fuit civitatis Cremonensis condempnatio *(b)*. Nullus eorum perdidit vitam neque membrum *(c)*, nec bannitus *(d)* fuit, nec incarceratus. Condempnati sunt omnes simul in sexaginta milia florenorum. Perdiderunt comitatum suum usque ad beneplacitum regis et portas suas cum aliquo muro adjacenti. Nunquam prop[1176]ter aliquem *(e)* clamorem meum et vituperia, que domino regi dixi frequenter, hoc facere potui quod illi miseri carcerati possent liberi *(f)* exire. Sed ad procurationem cujusdam crudelissimi judicis, qui erat in Cremona pro rege procurator super fisco rebellium, qui vocatur magister Johannes de Castilione (Tuscus est, crudelior homo de quo audivi loqui post Neronem), opportuit quod ipsi maximam pecunie quantitatem solverent camere regis et sibi ratione custodie, non obstante quod ipsi suam ratam solvere debebant de illis sexaginta milia florenorum in quibus tota civitas erat condempnata. Scio quod non poterant aliqui solvere, et quia ipse torquebat eos, fuerunt mortui. Alii, licet solvissent, tamen quia erant ultimum potentie, erant destructi. Et credo quod istud gravamen contra Deum et justitiam meo judicio fuit occasio quare postea civitas rebellavit et adhuc in rebellione persistit.

Excusare se non potuit rex quin ista sibi dixerim et durius et in presentia illius crudelissimi Johannis. Sed ipse Johannes cum pluribus suis complicibus tot et tanta mendacia *(g)*, ut puto, contra predictos dicebat quod verba mea parum poterant eis proficere. Si dominus Albanensis viveret, de hoc posset testimonium perhibere. Et etiam dominus legatus potest de aliquibus recordari

Post hoc intravit Brixiam [24 septembris 1311] dominus rex. Condempnati[1] fuerunt in muris et comitatu privati, quod porte

a) obvientes, *ms.* — *b)* condampnatio, *ms.* — *c)* menbrum, *ms.* — *d)* bennitus, *ms.* — *e)* aliquam (*sic*), *ms.* — *f)* libere, *Bal.* — *g)* mandacia, *ms.*

1. Brescia capitula le 18 septembre. Schwalm, p. 655. La sentence de condamnation fut prononcée le 1er octobre. Schwalm, n. 689.

portarentur Romam, et in una summa pecunie condempnati, quam omnes simul Guebelini et Guelphi solverent; licet Guebelinis, qui expulsi fuerant per alios, videretur esse contra justitiam, propter rebellionem, quod in tali summa condempnabantur. Que summa fuit, ut michi videtur, sexaginta milia florenorum[1]. Et quia Guebelini non rebellaverant, dicebant quod de tali summa ratione talis culpe non debebant aliquid solvere. Opportuit tamen quod solverent suam partem. Postquam intravimus Brixiam, quod miracu[1177]lum reputavi, nunquam est auditum quod unus percus[s]us fuerit, vituperatus vel lesus, licet precedentia fuissent talia quod sic transire non erat ymaginabile, nisi cum gratia Dei. Civitate Brixiensi dimissa in pace, et muris pro parte destructis, ivit Cremonam [4 octobris 1311], et postea Placentiam [6 octobris], nichil faciendo in istis, cum essent in pace. Postea ivit Papiam[2].

Recordor adhuc quod aliqua fecerat ante Brixiam, que si Deo placuerunt, non tamen omnibus hominibus; et scio quod michi displicuerunt. Primum fuit, quod domino Philippo Sabaudie, ad petitionem et procurationem comitis Phylipponi et aliorum partis Guelphe, dominium dedit civitatis Papiensis, Versellensis et Novariensis. Et de hoc habere debuit viginti quinque milia florenorum, que pars Guelpha solvit, non ipse. Et tam diu debebat dominium predictorum tenere, donec rex redderet sibi predicta viginti quinque milia florenorum. Et ipse tunc tenebatur eis reddere. Secundum fuit, quod domino Matheo ad procurationem Guebelinorum dedit dominium civitatis Mediolanensis[3]. Et de hoc solvit quinquaginta milia florenorum. Et omni anno viginti quinque milia tenebatur camere solvere. Nec poterat amoveri *(a)*, nisi prius sibi restituerentur quinquaginta milia. Unde tunc, cum iste pauper fuerit, et Guebelini ipsum ad solvendum *(b)* non juvabant, quia non multum habundabant, opportuit quod violenter a pauperibus extraheret. Tertium, quod domino Guilberto de Corregia, qui erat unus tirannus Guelphus, qui jam dominabatur in Parma *(c)*, adhuc dedit sibi dominium in Regio. Utrum ad hoc pecuniam receperit nescio; sed credo quod aliqui de suo consi-

a) admoveri, *ms.* — *b)* solvandum, *ms.* — *c)* Palma, *ms.*

---

1. La rançon fut exactement fixée à 70 000 florins d'or. Schwalm, p. 659. Sur la reddition de Brescia, voir Albertus de Bezanis, p. 77-78.

2. Il y était le 15 octobre. Böhmer, n. 432.

3. Matteo Visconti fut institué vicaire impérial à Milan le 13 juillet 1311. Schwalm, n. 660.

lio aliquid habuerunt. Quartum, quod alteri tiranno Guebelino domino Cani de Verona, qui dominabatur in Verona, nec unquam partem Guelpham voluit intromittere propter rationem superius dictam, adhuc dedit sibi dominium in Vicentia. Et ista fuit causa quare rebellaverunt [1178] Paduani. Quintum, quia alteri tiranno, domino Paserino de Mantua, cum illo dominio civitatis Mantue dedit unius castri dominium optimi, cujus nomen ignoro ad presens.

Item ante Brixiam dominus Waleramus, frater regis, de mandato regis ivit subito in Pergamum. Accusati erant quidam *(a)* quod rebellare volebant, et civitas illa per eos, quia potentiores erant civitatis. Hiis diebus civitas Pergamensis *(b)* tenebat exersitum suum magnum ante Brixiam, sicut faciebant alie civitates. Et propter hoc grave videbatur multis hoc credere quod vellent rebellare. Tamen regi per vicarium Pergamensem et per alios secrete fuit intimatum quod illi quos dominus Walerannus cepit tunc, inter quos erant aliqui consanguinei domini Guil[l]ermi de Pergamo cardinalis, volebant rebellare. Alii dicebant quod non, sed sui inimici dederunt dicto Waleranno pecuniam ut ista faceret, predicta predictis imponentes. Quid sit veritatis nescio. Unum scio, quod postquam ad preces vestras et multorum cardinalium dominus rex ipsos liberavit, et ipsi juraverunt fideles esse in perpetuum, postea domino existente in Tuscia, in quodam bello ante Suncçinum, cum rebellibus imperii existentes per comitem Warnerium et suam gentem aliqui mortui fuerunt et aliqui capti de predictis Pergamensibus.

Domino rege in Papia existente, mortuus fuit ibi dominus Guido Flandrie, sed non sepultus propter interdictum quod erat in loco, sed corpus suum fuit sepultum in Tortona[1].

Item ibi domino rege existente, mandavit domino Matheo, vicario in Mediolano, quod ad eum veniret. Venit; sed per comitem Phylipponem porte fuerunt clause, nec permissus fuit intrare, licet domino regi multum displiceret[2]. Extra portas stetit diu, videlicet duobus diebus, nec unquam potuit facere rex quod ipsum permitteret intrare. Nos omnes citramontani de re[1179]ge timebamus, quia paucos habebat secum citramontanos, plures fuerant mortui ante Brixiam, et plures reversi ad partes. Pauci Guebelini erant tunc cum eo, quia

a) quidem, *ms.* — *b)* se, *mis indûment avant* tenebat *par le ms.*

1. Voir G. da Cermenate, p. 91.
2. *Ibid.*, p. 89-90.

omnes fessi de exersitu revertebantur ad propria, et jam erat magnum frigus. Fuit autem hoc per decem dies ante festum Omnium Sanctorum. Infra illos duos dies Guelphi multi fuerunt ibi congregati, ita quod in Papia securi non eramus, et tantum de rege timuimus una nocte. Audiverant quidam *(a)* religiosi confessores ab uxoribus quorumdam *(b)* de civitate Papiensi quod tali nocte in lecto suo debebat interfici, et per tectum, ita quod opportuit una nocte dominum regem lectum suum mutare. Qua nocte vise sunt quedam scale apportari et conjungi et per quosdam circa domum. Et tamen totum opportebat dissimulare *(c)* propter deffectum gentis. Bene videbatur regi quod ille comes Phylipponus, quando esset absens *(d)*, parum faceret pro eo, qui presens non poterat in sua civitate suos servientes introducere. Tertia die dictus vicarius Mediolanensis intravit cum paucis et sine armis; et quibusdam *(e)* Papie ordinatis ad pacem, licet ex tunc rex non bene cogitaret de dicto comite Phylippone, recessit versus Terdonam, postea Januam. Quo die dominus Pandulphus de Sabello, vester notarius, et ego, vester humilis filius, plenissimam auctoritatem habentes recipiendi fidelitates civitatum et omnium nobilium, premiandi *(f)* fideles, et inobedientes puniendi, prout nostrum statum deceret, legati sui ivimus in Tusciam, primo versus Bononiam dirigentes gressus nostros, quia illa via erat rectior.

Quid dominus rex fecerit in Terdona *(g)* nescio[1]. Audivi quod expulsos intromisit, et ibi inter partes pacem fecit. Quid in medio usque Januam, et quid in Janua [2]. Audivi quod pacem fecit inter eos omnes, et quod dominus Opisinus *(h)* et alii expulsi de Janua reintraverunt, et inter eos fecit pacem [3]. Au[1180]divi etiam quod magnam pecuniam sibi dederunt et dominium simpliciter ad viginti annos : quod in veritate erat suum, sed propter quedam privilegia eis concessa a predecessoribus imperatoribus et regibus dicte civitati dicunt quod non tenentur sibi servire per mare, nisi ab Arelato usque ad castrum Sancti Angeli in Siciliam *(i)*, et per terram inter dictos

a) quidem, *ms.* — *b)* quorumdem, *ms.* — *c)* dissimilare, *ms.* — *d)* abscens, *ms.* — *e)* quibusdem, *ms.* — *f)* premiendi, *ms.* — *g)* Terdonam *(sic)*, *ms.* — *h)* Opesinus, *ms.* — *i)* Sciciliam, *ms.*

1. Henri VII était à Tortona le 17 et le 18 octobre 1311. Böhmer, n. 433-434.
2. Il entra à Gênes le 21 octobre. Böhmer, p. 295. Voir G. da Cermenate, p. 91.
3. Schwalm, n. 703-712, a imprimé divers actes concernant la pacification de Gênes (13 novembre 1311-31 janvier 1312).

terminos prope litus maris ad duas dietas. Visum fuit regi pro meliori quod ad presens sic dominium reciperet, sperans quod infra viginti annos totum posset recuperare. Interim ipse confirmabat eis privilegia sua, prout rite et juste erant eis concessa a suis predecessoribus.

Audivi etiam quod in Janua venerunt nuntii *(a)* regis Roberti plenariam potestatem habentes consummandi *(b)* parentelam inter eos, prout ante Brixiam per Albensem episcopum et unum archidiaconum, ex una parte, et episcopos Leodiensem et Basiliensem fuerat concordatum, et quod militia cotidie crescebat in Florentia et sub vexillo regis Roberti, quorum capud erat dominus Degus marascalcus ab eodem missus ut ipsius regis transitum impedirent versus Romam. Dominus rex predictos ambassiatores requisivit quid vellent significare predicte militie regis Roberti, quod de Tuscia recederent ex quo inter eos parentela fieri debebat; honestum autem non videbatur nec securum quod milites sui et sub vexillo suo rebellibus suis darent auxilium, si inter eos debebat fieri talis amicitia. Dicti ambassiatores responderunt quod mandatum non habebant ad hoc faciendum; venerant autem ad complendum parentelam, et de hoc erant parati. Post hoc fuit eis dictum quod licet non fuerit eis preceptum, hoc forte poterat esse causa oblivionis et inadvertentie *(c)*, vel quia non erat certum de consummatione parentele, quod ipsi nomine suo illis qui in Florentia erant scriberent *(d)* quod ex quo parentela talis sit inter dictos reges, quod non cre-[1181] dunt domino regi Roberto displicere si reced[er]ent, sed magis placere. Predicti noluerunt facere, dicentes quod hoc non habebant in mandatis. Et quando litteras quas ipsi dicto regi ex parte domini sui ap[p]ortaverant cancellarius ostendit, in quibus continebatur magna dilectio, voluntas et desiderium veniendi Romam ad ipsum honorandum in sui coronatione, per hoc satis videbatur quod dictus rex Robertus non intendebat in medio ipsum impedire per suos, qui in coronatione sua intendebat presens esse. Satis fuit illis dictum. Sed facere noluerunt. Audivi postea a fide dignis quod postquam rex Robertus scivit ista, dicti nuntii non fuerunt sibi familiares sicut ante, et quod multum fuit turbatus contra eos quod talia, que erant sue voluntatis, facere recusarunt. Sic recesserunt dicti nuntii imperfecto negotio, dicentes quod suo domino integraliter totum referrent et libenter facerent quod eidem videretur.

a) nunctii, *ms.* — *b)* confirmandi, *Bal.* — *c)* inadvertantie, *ms.* — *d)* scriberant *(sic)*, *ms.*

Ibidem mortua fuit regina, et apud [14 decembris 1311] Minores sepulta.

Prima civitas que postquam fuit rex in Janua rebel[l]is fuit Astensis.

Rege existente in Janua, Antonius de Laude, qui usque illuc ipsum associaverat, sine licentia recedens, et propter hoc suspectus de multis que facta sunt postea, in Vogueria castro Papiensium extrinsecorum transiens, per illos captus est et adhuc detinetur.

Domino rege existente in Janua et timente de civitate Papiensi, mandavit principi quod vigilaret ad custodiam dicte civitatis. Dictus princeps occasione habita cujusdam castri Papiensis, qui rebellaverant sibi, cujus fidejussor erat quod non rebellaret dominus Manfredus de Becharia, capud ibidem Guebelinorum, per dictum principem captus est, et adhuc detinetur[1].

Dictus princeps timens de comite Phylippone per ea que videbat, dum suas nuptias celebraret de sorore Delphini, quam accepit, invitavit comitem Phy[1182]lipponem et filium suum. Comes non venit, sed filius, quem dictus princeps accepit et adhuc captum tenet. De modo capiendi inculpatur a multis. Sed excusat se sic, quod mandatum a rege habuit quod assecuraret se de civitate Papiensi; assecurationem non videbat nisi per captionem comitis Ph[ylipponi], et quia ipsum habere non poterat, cepit filium eo modo quo potuit, timens, ne si civitas Papiensis perderetur, et patrem vel filium non acciperet, quod sibi merito imponeretur.

Cassalle, quod dominus rex dicto comiti Phylippono dederat in feodum *(a)*, fuit primus locus, postquam dominus Lumbardiam exivit, qui rebellavit, et post civitas Astensis. Et isti regem Robertum dominum acceperunt. Post magnum intervallum temporis civitas Versellensis. Et hec causam accepit, ut dicitur, propter quamdam brigam que fuit inter comitem Warnerium et principem dominum Philippum in Versellis.

Postea Parma *(b)* [6 decembris 1311], Regium et Cremona per Guibertum de Corregia[2], qui, ut dicitur, duodecim milia florenorum a Florentinis et Bononiensibus recepit.

a) pheodum, *ms.* — *b)* Palma, *ms.*

---

1. Voir Giovanni da Cermenate, p. 98.

2. Sur ce qui survint à Crémone, le 13 janvier 1312, voir A. de Bezanis, p. 80-81; G. da Cermenate, p. 100, et Dino Compagni, p. 241-244.

Postea Padua; et motivum fuit dominium domini Canis in Vincentia.

Alique istarum civitatum rebellaverunt, domino existente in Tuscia. Sed quia volo me expedire de Lumbardia, cum de factis ibidem aliis nesciremem plus quam ad presens scripserim, ad nostram legationem nobis commissam revertor.

Post recessum regis de Papia[1], eodem die dominus Pandulphus et ego recessimus *(a)* et in Parma *(b)* venimus. Dominus Guibertus de Corregia sciens nos esse legatos in Tusciam, quia in consilio fuit ubi de nobis fuit ordinatum, ad nos in Parma *(b)* venire noluit, licet pro eo mandassemus. Postea venimus Regium, et postea Mutinam; ubi audivimus quod dominus Guibertus de Corregia pacta fecerat pro duodecim milibus florenorum, que Florentini et liga eorum de-[1183]bebant solvere. Dum fuimus in Burgo Sancti Donini *(c)*, in Bononiam mittere deliberavimus; et misimus unum notarium potestati et regentibus, scribentes quod nos tales cum litteris papalibus et regiis sicut nuntii pacis ibamus in Tusciam et quod per Bononiam transire volebamus. Ipsi, litteris nostris lectis, post magnam deliberationem nostrum nuntium acceperunt et ad carcerem miserunt. Ipse in carcere existens, sicut Romanus subtilis, per pecuniam quam dedit uni qui ipsum custodiebat recessit et ad nos venit, ubi jam ad tria miliaria eramus prope Bononiam. In strata intellectis hiis que acta sunt circa eum, dimissa Bononia a sinistris, per castrum Episcopi posuimus nos in Alpibus per viam horribilem, et de nocte multum tarde applicuimus ad unum castrum inter Florentiam et Bononiam in via recta, quod castrum a Bononia distabat per septem miliaria. Ibidem invenientes totam militiam Florentinam, quantum ad stipendiarios qui venerant Bononiam, domino in Papia existente, timentes ne per Bononiam vel eorum comitatum vellet transire. Et quando sciverunt quod versus Januam direxerat gressus suos, tunc in Florentiam *(d)* revertebantur : Si dominus Pandulphus et ego timuimus, Deus scit. Inquietissima nocte habita, mane cum predictis surreximus, et deliberavimus pro meliori quod antequam poneremus nos cum talibus hominibus in via, quod illi qui preerat inter eos diceremus statum nostrum et ad quid in Tusciam ibamus, et quod ipse

a) ressessimus, *ms.* — *b)* Palma, *ms.* — *c)* Domnini, *Bal.* — *d)* Florantiam, *ms.*

---

1. Le départ eut lieu entre le 15 et le 17 octobre 1311. Böhmer, n. 432-433.

ordinaret quod gens sua nos non offenderet. Factum est sic. Cum eis ivimus sine offensa, quod satis fuit mirabile, et veninus secunda die in nocte prope Florentiam ad duo parva miliaria in quadam villa que vocatur Lastre *(a)*.

Et antequam ibi veniremus, premiimus illum notarium, qui in Bononia fuerat captus, ad potestatem *(b)* et capitaneum, et alios qui regebant, quod nos tales missi ad pacem eorum et utilitatem Tuscie cum litteris vestris [1184] et regis veniebamus, et quod nobis providerent de hospitio. Predicti nostris litteris receptis vocaverunt consilium majus secundum modum civitatis Florentie, et ibi remanserunt usque ad occasum solis. Nuntius noster de tanta mora attediatus, qui etiam pro se ipso hospitium non habebat, recessit, dimisso ibi uno, ut si predicti ipsum pro responsione facienda [vocarent], quod veniret pro eo ad tale hospitium. Cito postquam venit ad hospitium, illi consilium exiverunt, et quid deliberaverant nobis respondere facto ostenderunt. Precones civitatis illa hora satis tarde ad omnia loca civitatis ad que consueverunt clamationes fieri ex parte predictorum qui regebant Florentiam *(c)* et qui vocati fuerunt, significarunt populo quod nos in tali loco eramus prope civitatem ad duo miliaria, nuntii *(d)* et ambassiatores illius tiranni regis Alemannie, qui in Lumbardia *(e)* partem Guelpham destruxerat quantum poti[u]erat, et nunc in Tusciam descendebat per mare ad destruendum eos et inimicos eorum introducendos, et nos, qui clerici eramus, per terram premittebat *(f)* ad totam patriam subvertendam *(g)*, et sub umbra Ecclesie, cum clerici essemus. Unde publice tunc dominum regem banniverunt [et] nos, qui sui nuntii *(h)* eramus, et quicumque eum vel nos offendere vellet, quod posset impune *(i)*, sive in corpore offenderet sive in rebus, et quod certi erant quod magnam pecuniam portabamus ad corrumpendum *(j)* multos in Tuscia et ~~ad~~dandum Guebelinis. Noster nuntius hec audiens timuit, nec ausus fuit ex tunc hospitium suum exire, nec per aliquem nobis istud intimare. Unus de Spinis antiqu[u]s, qui mercator domini Honorii pape, avunculi *(k)* domini Pandulphi, fuerat, hec audiens, misit sibi litteras omnia predicta continentes apud Lastrem, ubi jam in nostris lectis dormiebamus quando littere venerunt. Surreximus, et quid eramus

a) Lastren., *ms.* — *b)* potestatam, *ms.* — *c)* Florantiam, *ms.* — *d)* nunctii, *ms.* — *e)* Lumbardiam *(sic)*, *ms.* — *f)* permittebat, *ms.* — *g)* subvertandam, *ms.* — *h)* nunctii, *ms.* — *i)* inpugne, *ms.* — *j)* corrumpandum, *ms.* — *k)* advunculi, *ms.*

facturi ignorabamus. Revertere Bononiam et suum districtum erat nobis periculum maximum, [1185] ut jam probaveramus. Aliam viam ignorabamus, nec erat secura illa hora. Potestati et capitaneo scripsimus (qui ambo nati erant de terris Ecclesie, unus de Radicophano, scilicet potestas, alius de Marchia) omnia que expedienda nobis post talem clamationem videbantur. Mane fecimus equos parari et somas ligari. Et dum essemus in mensa semper expectantes nuncium nostrum et responsionem potestatis, audivimus quod campana cum martello pulsabatur. In continenti vidimus totam stratam plenam armatorum peditum et equitum. Tunc domum nostram giraverunt. Postea ad scalam quidam de Maguelotis popularis, pulcher homo valde *(a)*, volens ascendere incepit clamare : *Moriantur tales!* Hospes diu gladio evaginato in gradibus *(b)* non dimit[t]ebat aliquem ascendere.

In illo tumultu somarii nostri et equi fere omnes per predictos ducti sunt. Tunc per diversa loca gradus ascenderunt, et ad cameram nostram venerunt cu[l]tellis evaginatis. De nostris familiaribus tunc aliqui fugerunt dimittentes se per fenestras cadere ad unum [h]ortum; inter quos fuit socius meus frater Predicator. Alii se pre timore mortis abscondentes sub lectis. Pauci tunc nobiscum remanserunt. Sed Deus, qui nos liberavit de manibus eorum, sic nos in cordibus confortavit quod in mea conscientia nunquam timui de me, licet magis essem in periculo quam alius. Dum hec fierent, in civitate Florentina fuit tumultus. Quidam *(c)* dicebant quod male erat factum sic nos bamniendo, et specialiter dominum Pandulphum, qui erat de nobilioribus Urbis natus. Et hac de causa potestas unum de suis militibus, natum de terris Ecclesie, et capitaneus unum popularem miserunt ad nos. Et hoc fuit factum ad procurationem predicti mercatoris de Spinis, cujus nomen suum est Advocatus, sicut credo. Isti tres venerunt ad nos; et partem de equis, partem de somariis in via invenientes, quia ad civitatem ducebantur, violenter de manibus eorum ac[1186]ceperunt, et nobis ipsos restituerunt cum hiis verbis, quod quantum vitam nostram diligebamus, quod in continenti recederemus, et quod ipsi laborarent quod omnia rehaberemus. Nos voluimus eis exponere ambassiatam nostram, noluerunt audire, litteras vestras ostendere, noluerunt videre. Quid plura? Rogavimus eos quod nos permitterent de nocte transire per Florentiam, et nos bene custodirent ne aliquid loqueremur. Negaverunt semper, dicentes

a) omis par Bal. — *b)* in gradibus, *omis par Bal.* — *c)* quidem, *ms.*

quod in mandatis habebant ut nos reverteremur unde veniebamus. Ille antiqu[u]s Advocatus de Spinis dixerat nobis ad partem quod nullo modo induceremur reverti per Bononiam vel suum districtum, quia jam erat eis mandatum quod nos expulsi de Florentinorum districtu eramus, et quod de nobis facerent sicut de publicis hostibus, ut de cetero nullus auderet intrare. Nos vilitatem, miseriam et fatuitatem Bononiensium cognoscentes diximus quod, si nos deberent interficere, nunquam per Bononiam reverteremur. Deliberatione habita inter eos magna, posuerunt nos per quamdam viam que ibat ad terras comitum Guidonum, qui habitant inter Bononiam, Romandiolam et Aretium. Ibi undecim equi nostri remanserunt et tres somarii. Dominus Pandulphus plus perdidit quam ego, et quia plura habebat perdere, et quia plures equos. Ego perdidi capellam meam et quidquid in mundo isto habui auri et argenti, excepto uno stilo argenteo, qui erat in tabulis meis ad corrigiam, et anulo in digito. Nec ipse nec ego unquam postea habuimus de predictis.

Altera die, que fuit sanctorum Symonis et Jude vigilia [27 octobris 1311] in tertiis, predicti tres dimiserunt nos in quodam oppido in quo Florentini *(a)* et comes Tegrinus habebant dominium. Et in nocte dictus comes Tigrinus duxit nos inter Alpes ad unum burgum suum qui vocatur burgus Sancti Gaudentii, et mutuavit nobis equos quot potuit pro familia, que erat pedes. Postea ivimus cum eo ad alium [1187] locum; ubi ad nos venerunt duo fratres dicti comitis Tegrini, videlicet comes Tancredus, et comes Bandinus. Postea invenimus quartum fratrem comitem Rogerium. Isti omnes dicuntur de comitibus Guidonibus, et sunt comites palatini; et ejusdem domus sunt comes de Batefole et comes Salvaticus. Item comites de Romena *(b)* omnes vocant se comites palatinos, et magnos redditus habent in Romandiola *(c)*. Inter istos quidam sunt Guelphi, et illi sunt ditiores, videlicet comes Salvaticus et comes de Batifole et comes Bandinus. Omnes juraverunt nobis fidelitatem et venire ad dominum suum personaliter, vel mittere, si impediti essent, statim quod esset in Tuscia, et ipsum associare ad coronam in illa decentia in qua possent secundum suas facultates. Isti omnes nos multum honoraverunt et gaudenter receperunt, et plus Guelphi quam Guebelini, meo judicio. Tamen non obstantibus fidelitatibus nullus de istis Guelphis venit ad eum in Tusciam vel misit ad renovandum juramentum, sed dilationem petiverunt et habuerunt usque ad terminum petitum;

a) Florantini, *ms.* — *b)* Romania, *Bal.* — *c)* Romanniola, *ms.*

et in termino petito, jam imperatore existente ante Florentiam, confederati sunt publice cum Florentinis, cum ipsis in Florentia existentes. Qui erant Guebelini inter istos, vel venerunt qui potuerunt vel miserunt, et cum eo fuerunt usque ad mortem suam.

Post receptionem juramenti et fidelitatis predictorum comitum venimus in terram episcopi Aretini, qui erat frater germanus comitis de Romena, unius de predictis; qui multum nobis compatiens, duxit nos ad unum castrum suum quod vocatur Civitella inter Arretium et civitatem Senensem. Et hoc fuit in vigilia Omnium Sanctorum [31 octobris 1311]. Ibi celebrato festo, dimisit nos sicut nobilis, totum castrum munitum de omnibus in manibus nostris dimittendo, ut de castro et de bonis faceremus nostram voluntatem; facto tamen prius juramento fidelitatis, prout tenebatur, de suis bonis temporalibus. [1188] Ibidem multa ordinavimus. Citavimus Florentinos et Senenses, et tantum fecimus quod citatio fuit af[f]ixa ad eorum palatium[1]. Postea ipsis contumacibus processimus secundum auctoritatem nobis commissam *(a)* ad multas penas temporales contra eos, semper tamen servato ordine juris; de quo parum scio ego, sed socius noster dominus Pandulphus in utroque jure multum est expertus, ut dicunt qui jura noverunt et ipsum audiverunt.

In eodem castro nos existentes Aretinos, Cortonenses, illos de Burgo Sancti Sepulcri, de Montepollitiano, de Lucignano, Sancti Savini, et illos de civitate Clusina, illos de Castro plebis, et illos de Castilione Aretino citavimus ut per sindicos et procuratores comparerent, audituri et facturi que eis auctoritate nobis commissa mandaremus. Predicti omnes miserunt, exceptis illis de Castro plebis, quos Perusini tenent. Omnes juraverunt fidelitatem, exceptis illis de Burgo Sancti Sepulcri, qui petebant inducias usque ad mensem, dicentes quod bona eorum pro majori parte erant inter mercatores Florentinos et in Florentia ad presens. Unde dilationem petebant ad recolligendum, ne perderent predicta. Illi etiam de Clusio petebant dilationem, si illi de Sancto Savino et de Lucigniano, quos Senenses tenebant, petebant dilationem. Nullis voluimus dare; sed magnas comminationes *(b)* eis fecimus quod durissime contra eos procederemus, nisi nostris mandatis obedirent.

a) missam, *Bal.* — *b)* commignationes, *ms.*

---

1. Voir Schwalm, n. 715 (20 nov. 1311); Florence fut mise au ban de l'empire le 24 décembre. Schwalm, n. 716.

Postea ivimus Aretium. Illi ad votum obediverunt. Ibi existentes citavimus comites de Mangone, qui morantur versus Bononiam, inter quos aliqui sunt Guelphi, aliqui Guibelini, comites de Montedolio, qui omnes sunt Guebelini, marchiones plures qui inter Aretium et Perusium morantur, quorum quidam *(a)* sunt Guelphi, et quidam *(a)* Guebelini, Huguitionem de Faiola, illos de Pacis, illos de Ubertis, illos de Petramala, et generaliter omnes et quemlibet per se qui erant nobiles in districtu Florentino, Senensi, Aretino et Chusino. Et [1189] credo quod fuerunt plus quam quingenti. Item multa alia castra particularia, de quibus non recordor. Pro majori parte omnes vel venerunt, et tunc juraverunt, vel miserunt, et tunc isti vel juraverunt publice vel occulte. Aliqui non audebant publice, quia statim fuissent destructi per inobedientes, cum omnes non haberent loca fortia. Et forte, quod verius de pluribus credo, publice nolebant jurare, cum falsi essent et in corde suo inobedientes, sed jurabant occulte, ne si dominus obedientiam haberet civitatum majorum et magnorum dominorum, quod ipsi postea, si non jurassent, destruerentur. Generaliter contra rebelles et qui non venerant vel legitime se excusaverant posuimus graves penas ad terrorem.

Postea venimus in Castilionem Aretinum. Ibi obediverunt ad votum, et multum nos honoraverunt.

Deinde venimus Cortonam; qui multum nos honoraverunt, sed aperte vocato populo jurare noluerunt, licet per sindicum jurassent[1]. Quin primo eos citavimus, et in multis verbis nos tenuerunt sicut viri dupplices, qui libenter non hoc faciebant. Excusabant se sic, quod statim postquam Perusini, Castellani et illi de Augubio scirent quod jurassent, in continenti ipsos destruerent, et hoc possent quando vellent, quia pauperes sunt et debiliores respectu predictorum, et Aretini non diligunt eos. Unde supplicabant quod eis daremus dilationem donec dominus rex esset in Pisis. Quod fecimus, licet non libenter. Sed quia eramus inter eos, opportuit quod in aliquo eis condescenderemus.

Ibidem existentes, illi qui majores erant in Perusio, non potestas vel capitaneus, sed cives ditiores, quorum nomina non habeo in memoria, miserunt ad nos unum fratrem Minorem, gardianum in

a) quidem, *ms.*

1. La procuration des habitants de Cortone est du 17 mars 1312. Schwalm, n. 757.

civitate Castellana, quod libenter vellent quoquo modo inter eos et dominum regem esset pax et concordia, et quod ipsi unam summam pecunie ad presens concordatam et unam sibi darent annuatim [1190] pro illis castris que fuerunt imperii et pro lacu Perusino, que nunc possident, licet juste testimonio sue conscientie predicta tenerent, quia unus predecessorum vestrorum predicta, que tunc pacifice tenebant, eis confirmavit et de novo dedit, et quod hoc posset facere ille vester predecessor dicebant quod privilegium imperiale haberet *(a)* sibi super hoc ab uno imperatore concessum. Nos ista audientes respondimus quod libenter ad pacem laboraremus, et specialiter in isto facto, sed scire volebamus que, quot, et a quanto tempore predicta tenuerunt, et videre copiam privilegii papalis de hujusmodi confirmatione. Misimus unum fratrem Predicatorem [1], illum qui nunc accusatur false de intoxicatione *(b)* imperatoris, cum in partibus illis ab omnibus inter omnes Predicatores esset magis Guebelinus et a Guebelinis dilectus. Pluribus diebus stetit cum predictis Perusinis, semper promittentes sibi ostendere predictum privilegium. Finaliter opportuit quod recederet per eos licentiatus. Nichil sibi ostenderunt, quia, ut frater credebat, non habebant. Dixerunt sibi sic : *Recedatis, quia vos estis Guebelinus; et si jam populus, qui totus Guelphus est, sciret quod nostra privilegia vobis ostenderemus, miraretur et de facili crederet quod esset proditio per nos facienda. Nos predictis dominis legatis mittemus que volunt videre.* Postea nec miserunt nec se excusaverunt. Unde trufam reputavimus.

Ibidem existentes, illos de Burgo Sancti Sepulcri et plures alios condempnavimus *(c)*, qui mandatis nostris nolebant nisi sub conditionibus obedire.

Mortua domina regina in Janua, statim postquam dominus rex venit Pisas [6 martii 1312], mandavit nobis quod ad eum veniremus et gentem, quam possemus sibi adducere vel mittere, mitteremus. Misimus plures comites et nobiles. Postea nos cum episcopo Aretino et filio fratris sui cum pulcra gente posuimus nos in via, ordinatis tamen prius que ordinanda erant [1191] in partibus illis, quomodo patria maneret in pace et secura, et quomodo de civitatibus et castris que nobis obediverunt sequerentur nos armati, penas ponendo in nolentes vel etiam infra certum tempus negligentes.

a) habebat, *ms.* — *b)* intosicatione, *ms.* — *c)* condampnavimus, *ms.*

1. Bernardino da Montepulciano.

Primo die postquam de Cortona recessimus, transeundo ante Castrum plebis, quod nobis non obediverat, Clusium venimus, que sub manu Senensium erat. Bene nos recepit et honoravit, sed jurare noluit, timens, si juraret, quin *(a)* statim Perusini et Senenses ipsos, inter quos sunt positi, destruerent, sed promittebant quod si dominus mitteret militiam vel veniret in Tusciam et quod aliqualiter possent deffendi, quod fidelitatem jurarent, et interim euntes ad eum et revertentes ad eum non offenderent *(b)*, sed conducerent eos per suum districtum. Hoc acceptavimus ab ipsis, quia aliud habere non potuimus, et nullos processus fecimus contra eos. Videbamus eorum bonam voluntatem, paupertatem et debilitatem suam, et potentiam *(c)* et voluntatem malam Perusinorum et Senensium, inter quos predicta civitas est situata. Est etiam ibi passus, quem si ipsi non permisissent transire Aretinos, Cortonenses, et omnes illos qui fidelitatem nobis fecerant, nulla erat via per quam nos vel ipsi ad civitatem Pisanam possemus ire.

Adhuc antequam de Cortona recederemus, illi de Montepollitiano miserunt nobis litteram apertam sub sigillo communis quod daremus eis spatium unius mensis, [quia] nimis Senenses timebant, et post mensem obedirent. Dedimus; sed non obediverunt, nec adhuc obediunt.

Post recessum de districtu Clusino, per terras Ecclesie versus Radicophanum *(d)* et continuatis dietis applicuimus ad Sanctam Floram *(e)*. Comites de Sancta Flora, qui sunt tres, libenter nos receperunt, et fidelitatem juraverunt, et semper pro imperio inventi sunt fideles. Ibi mare intravimus, et equi nostri cum familia de nocte in magno periculo transiverunt per [1192] unam aquam prope civitatem Grossetanam, quam Senenses tenebant, et est situata prope mare. Applicuimus illo die nos per mare et familia per terram ad quoddam castrum Pisanorum quod vocatur Castilio de Piscaria supra mare. Tunc fuimus securi, quia ibi incipit comitatus Pisanorum, licet distet a civitate Pisana bene per tres dietas.

Venimus Pisas; et ibi inter alia relatione digna invenimus civitatem satis turbatam et commotam [15-20 martii 1312], et hoc propter dominium totum, quod ad se dominus rex acceperat, nichil volens eis servare de modo faciendi ancianos et alios officiales secundum consuetudines antiquas, qui consueverant civitatem gubernare; sed unum

a) quia, *Bal.* — *b)* offenderant, *ms.* — *c)* potantiam, *ms.* — *d)* Radicophonum, *ms.* — *e)* Florem, *ms.*

vicarium dedit eis de Ubaldinis [1]. Tunc [15-20 martii 1312] inveni in dicta civitate unum fratrem Predicatorem, qui vocatur frater Peregrinus, missum per regem Fredericum. Que fuit illa prima ambas[s]iata quam portavit, nescio. Audivi tamen quod dictus *(a)* Fredericus libenter vellet esse junctus dicto *(b)* regi per aliquam parentelam, et propter hoc venerat dictus frater. Cum dicto fratre missi fuerunt ad regem Fredericum duo ex parte dicti regis, unus nobilis de comitatu Florentino, qui vocatur dominus Ubaldinus de Ubaldinis, frater vicarii tunc Pisani, et quidam miles Florentinus qui vocatur dominus Lambertus de Ciprianis. Et isti intentionem domini regis bonamque voluntatem quam ad eum habebat intimarunt [2].

Hiis diebus illi de Columpna et dominus Ludovicus de Sabaudia, senator Urbis, significaverunt regi statum Urbis, quomodo illi duo, quibus Capitolium dimiserat, sicut bonis et fidelibus, qui etiam fecerant juramentum de restituendo, reddere nolebant, nisi primo haberent quatuor milia florenorum, quos expenderant in custodiendo, timentes etiam ne aliud lateret. Dominus rex illa quatuor milia eis misit. Significaverunt etiam quomodo militia magna omni die ad dominum Johannem, fratrem *(c)* regis Rober[1193]ti, veniebat, et de barris factis ibidem, et de exersitu posito ante pontem de Mollen, et multa alia.

Dominus, habito maturo consilio, ordinavit quod in continenti dominus Pandulphus et magister Johannes de Venestingue, utriusque juris professor, et frater Johannes [3], magister in theologia, de Pisis recederent cum plena potestate et auctoritate perficiendi et complendi parentelam inter dicti regis Roberti filium et filiam regis Romanorum [4]. Tunc fuit quibusdam visum quod duo sufficerent ad predicta facienda, et quod dominus Pandulphus et ego iremus ad

a) dominus, *Bal.* — *b)* domino, *Bal.* — *c)* fratris *(sic)*, *ms.*

---

1. Actes concernant les réformes d'Henri VII. Schwalm, n. 753-756 (17 mars-18 avril 1312).

2. Un traité d'alliance fut signé entre Henri VII et Frédéric vers la fin de mars ou le début d'avril 1312. Schwalm, n. 765 et 766.

3. *Johannes de Lucidomonte,* auquel on peut ajouter *Anthonius de Surdis.* Schwalm, n. 751.

4. L'acte de procuration est du 10 mars 1312. Schwalm, n. 751. Cf. G. da Cermenate, p. 94.

Urbem [1], ad tollenda omnia impedimenta que possent esse in receptione jocunda coronationis dicti regis. Visum etiam fuit quod predictis duobus fratri Johanni et magistro Johanni daretur ambassiata [2], sicut et nobis, ad dominum Johannem, fratrem regis Roberti, et ad Romanos, et quod ponerentur in littera. Factum est sic. Simul ivimus satis festinanter *(a)*, scientes quod dominus rex non multum tardaret post nos, nec etiam domini cardinales.

Continuatis dietis, die dominica ante festum Ascensionis *(b)* Domini [30 aprilis 1312] venimus Romam. Litteris credentie domino Johanni datis, respondit nobis breviter quod in crastinum veniremus, ipse pro suo consilio, quod erat in campis ante pontem de Mollen, mandaret, et tunc ante eos proponeremus que ex parte domini regis Romanorum dicere haberemus. Mane fuimus ad eum reversi. Respondit nobis quod adhuc non fuerat eis locutus, sed post dormitionem iret ad eos. Ivit, et nos ivimus; et fuit ibidem nobis dictum quod non turbaremur de mora, quia in crastinum nobis responderent. O[c]cupati satis erant, ut oculis videbamus, quia continue supra pontem et citra et machinis et balistis *(c)* et gladiis confligebant, et jam unam partem pontis acceperant. De quo multum dolebamus, quia plures ibi moriebantur, et ad tollenda hujusmodi veneramus.

In crastinum, hoc est, die martis ante As[1194]censionem *(d)* [2 maii 1312], venimus, et ambassiatam proposuimus, que nobis erat commissa sub litteris credentie. Et ut melius recordor, ista fuit : quod dominus rex Romanorum salutabat eum, et de adventu suo multum

a) festinenter, *ms.* — *b)* Ascentionis, *ms.* — *c)* balistris, *ms.* — *d)* Ascentionem, *ms.*

---

1. Pandolfo et Nicolas partirent le 19 avril 1312, ainsi qu'on le lit dans les livres de comptes d'Henri VII : *Item a frère Nicole, évesque de Beteronde, e a se compagnie envoiet de par le roy a Rome de Pise le dit jour... VI cent florins. Item pour un galiot armée pour monsegnour Bandulfe, notare le Pape, alant vers Rome, par le commun de Pise... L florins.* Schwalm, p. 1168.

2. Elle quitta Pise le 16 avril 1312. A cette date, on lit dans les livres de comptes d'Henri VII : *Item a Jehan de Diest, notare, envoiet avoecke les autres ambaxeurs de Pise vers le roy Robert, pour dette que on li devoit, dès qu'il fut envoies à court de Rome... CII florins. — Item à frère Jean de Clermont alant à roy Rober pour deux chevaus... LV florins.* Schwalm, p. 1168. — L'ambassade se trouvait encore le 7 mai à la cour de Naples. *Item à corier monsegnour Lowi de Savoie envoiet à tout lettres le roy à Naples, à frère Jehan de Clermont e az autres ambaxeurs le roy... 2 florins.* Schwalm, p. 1171.

gaudebat, cum frater suus rex Robertus ipsum misisset ad honorandum eum in sua coronatione, prout in litteris quas dictus *(a)* rex Robertus domino regi Romanorum illis diebus miserat, plenius continebatur, et illas credo habere. Unde ipsum ex parte dicti regis rogavimus ut receptio sua in Urbem et coronatio pacifice sine briga posset fieri, quod laboraret una nobiscum, qui propter hoc mittebamur, quomodo pax esset inter Ursinos et Columpnenses, et si subito dicta pax fieri non posset, quod fieret treuga.

Item petivimus quod gentem suam, que erat circa pontem de Mollen, faceret recedere, cum in brevi dictus rex Romanorum una cum cardinalibus ad Urbem veniret, et quod urbem intus et extra sic dispositam non libenter inveniret. Dulciter nos audivit, et sic respondit : quod juvenis erat, et dominus rex, frater suus, dederat sibi in mandatis, quando ab eo recessit, quod de consilio talium qui cum eo erant responderet et faceret que erant respondenda et facienda in omnibus, nisi ab eo haberet in mandatis. Assignaverunt nobis diem in crastinum vigilia Ascensionis *(b)* [3 maii].

Venimus, et ipsum invenimus, sed consilium nōn, quia tunc erant circa pontem predictum, ubi dabant durum bellum; et illo die dicebatur quod pons predictus per eos lucraretur. Rogavit nos dictus dominus Johannes quod in mane die Ascensionis *(b)* essemus cum eo in prandio, et tunc indubitanter nobis responderet. Dicto die [4 maii], dictus dominus Johannes predictos magistrum Johannem et fratrem Johannem conduci fecit versus Neapolim. Sibi enim dixerant expresse et de mandato domini quare ibant, quia ad complendum parentelam. Et istud movit domi[1195]num regem quare predicta sibi exprimeret *(c)*, ut sicut juvenis, magis esset promptus *(d)* ad ea que requirebamus facienda.

Invitationem dominus Pandulphus, cum ipse plures invitasset, non retinuit, sed se excusavit ; nec ego volui ibi esse sine eo. Dum essemus in prandio, dicto die [4 maii], plures de familia dicti regis intraverunt et ad nos directe venerunt, dicentes nobis quod de suis sociis ante castrum Sancti Angeli, in quo erat dominus Johannes hospitatus, aliqui erant per familiam ipsius interfecti, et aliqui capti. Dum hec nobis narrarent, dictus dominus Johannes mandavit nobis quod veniremus in vesperis, et ipse nobis faceret responderi, et si nollemus ire propter distantiam, unum locum medium assignavit nobis, ad

a) dominus, *ajouté par Bal.* — *b)* Ascentionis, *ms.* — *c)* exprimerant, *ms.* — *d)* prumptus, *ms.*

quem ipse mitteret aliquos, qui nobis ex parte sua responderent *(a)*. Domino Pandulpho non fuit visum nec michi, propter commotionem que erat in Urbe, quod ad dictum locum veniremus; sed domino Gentili de filiis Ursi et Poncello, suo consanguineo, mandavimus quod illi qui nobis debebant respondere ad domum domini Pandulphi venirent, nam decentius esset quod ipsi nuntii fratris regis ad nos venirent quam nos ad eos iremus, qui eramus nuntii *(b)* tanti regis. Dominus Gentilis et unus episcopus de ordine fratrum Minorum, credo quod vocabatur episcopus Casertanus *(c)*, et erat consiliarius domini Johannis, ad domum domini Pandulphi venerunt, et nobis ex parte dicti domini Johannis responderunt per hunc modum : *Dominus Johannes, frater domini regis Sicilie (d), mittit nos ad vos, qui estis hic nuncii regis Alemannie, et qui ex parte dicti regis litteras credentie sibi apportastis. Vos audivit, et ad ea que dixistis sic respondet: quod verum est quod missus fuit ad Urbem ex parte fratris sui, ad honorandum illum qui vos huc misit. Postea habuit litteras dicti fratris sui, in quibus sibi mandabat quod regem predictum in Urbem non* [1196] *permitteret intrare nec ipsum coronam in ecclesia beati Petri recipere, sed omne impedimentum quod posset sibi et suis prestare prestaret. Propter quod, domini fratris sui mandatis obediens, significabat nobis quod ipsum regem, qui nos miserat cum litteris credentie, diffidabat et omnes suos servitores et nos duos, qui presentes eramus. Unde sciremus quod non sustineret quod in Urbem intraret, sed ubicumque posset offenderet ipsum.* Quantum ad aliud sic nobis respondit : *quod pacem facere inter Ursinos et Columpnenses vel treugam non faceret, quia Columpnenses erant sui inimici, pacem nolebat procurare eis vel treugam, sed ubique ipsos offendere.* Quantum ad aliud quod rogabamus ex parte domini nostri, quod gentem suam que erat ad pontem de Mollen revocaret, dixerunt : *quod revocare illam intendebat illo die, non propter preces suas, quia pro eis nichil faceret, sed propter suum melius; quod et fecit.*

Post multa verba inter nos petivimus quod ex quo diffidati eramus, quod nos conducerent ad significandum hoc regi Romanorum, quia sciebamus ipsum esse prope et venire sine armis, non dubitans dictum Johannem esse suum inimicum, sed credens ipsum esse suum amicum, vel quod magis nobis placebat, predicto regi significaret diffidationem per suos nuntios, et nos in Urbe nos custodiremus melius

a) responderant *(sic)*, *ms.* — *b)* nunctii, *ms.* — *c)* Carsertanus, *ms.* — *d)* Scicilie, *ms.*

quam possemus. Responderunt : *quod sibi nullo modo significarent, sufficiebat quod nobis suam voluntatem intimassent, sed parati erant nos conducere usque ad castrum de Insula.*

In crastinum [5 mai] cum domino Gentili posuimus nos in via. Et antequam ad castrum veniremus, aliquos familiares cardinalium in via per domum domini Johannis captos invenimus et ligatos, quos dominus Gentilis expedire fecit, et satis laboravit. Hoc fecit, ut credo, quia dominos cardinales diligebat et reverebatur, et quia nos sibi dicebamus quod ista erat proditio accipere gentem [1197] regis Romanorum antequam sibi significaretur diffidatio, et quod regales Francie nunquam fecerunt tales proditiones. Castrum de Insula intravimus, ubi jam plures de familia regis Romanorum invenimus signantes hospitia, cum ibi dominus rex illa nocte in predicto castro hospitari credidisset. Postquam intra fuimus, clause sunt porte et cum difficultate aperte, quia statim exiverunt multi de familia domini Johannis, qui in domibus armati latitabant, ad portas; et credo quod, nisi fuisset domini Gentilis probitas et legalitas, quem *(a)* timebant, quod strages fuisset antequam portam exivissemus, quia jam se illi qui intraverant, credentes se esse perditos, ut desperati videntes portas clausas volebant in alios irruere; sed, benedictus Deus et bonitas domini Gentilis, omnes exivimus sine dampno.

In continenti post exitum castri invenimus totam stratam plenam hominibus dicti regis, inter quos pauci erant armati. Precepimus eis quod non ultra procederent. Dominum Ostiensem inter cardinales invenimus primo, quia primus erat. Postquam nos audivit, incepit fortiter fugere et retrocedere, et satis nos fecit ridere, quantumcumque timeremus. Breviter invenimus regem sine armis equitantem. Vocatis dominis cardinalibus, prelatis et principibus, predicta per ordinem narravimus. Omnes mirabantur; et qui magis fuit durus ad credendum fuit rex, et hoc propter litteras regis Roberti recenter sibi missas, et propter quod sui ambassiatores qui ibant in Neapolim dixerant sibi quare ibant. Videbatur sibi etiam quod si in mandatis habuisset predicta, quod nichil novi deberet attemptare donec scivisset intentionem fratris sui, auditis ambassiatoribus suis.

Ibi pernoctavit in campis. Et mane cardinales diviserunt se. Dominus Ostiensis cum domino Pandulpho per terras sororii sui iverunt; dominus legatus et dominus Lucas per rectam viam, [1198] per quam nos veneramus; dominus rex et sua gens directe versus pontem

a) quam, *ms.*

de Mollen aciebus ordinatis. Quando ad pontem venerunt, jam homines domini Johannis illum locum ante pontem, ubi plus quam per mensem fuerant, dimiserant, munita una turri hominibus et balistis multum bene; nec aliquis supra pontem ascendere poterat quin illi qui in turri existebant possent eum sagit[t]are.

Postquam rex prope pontem fuit, qui in penultima acie venerat, nullus adhuc transiverat. Exiverunt per pontem Sancti Angeli gentes domini Johannis in pulcherrimis equis et armis, ita quod omnes credebamus quod deberet esse pugna. Ibi facti sunt multi novi milites. Ordinatis aciebus ad pugnam, viderunt quod alii in uno loco firmi stantes et ultra non procedentes, mirabantur. Miserunt aliquos in cursoribus ad respiciendum locum, et invenerunt illi quod pratum Molle pulcrum erat medium et quedam vinee inter eos et unus rivus prope pratum; nec erat via nisi stricta, per quam pauci simul ire poterant. Postea deliberaverunt quod pontem transirent, credentes quod cum ultimis, si bellare intenderent, bellarent. Inceperunt continue transire, et alii de turre sagittare. Dictus rex transivit quasi de mediis. Visum fuit comiti Sabaudie securum quod ipse in transitu cooperiret arma sua, que multum apparebant exterius propter aurum et gemmas. Et dicebat sibi istam rationem : *Domine, forte in turri sunt baliste tales que projiciunt sagittas ita grossas quod possent vos armatum totum perforare.* Noluit, sed sic sibi respondit : *Domine comes, audivistis vos quod adhuc aliquis sit mortuus vel letaliter vulneratus qui pontem transiverit, licet plus quam duo milia sine armis transiverint?* Respondit quod non. *Et quare*, dixit rex, *Deus custodit eos, et Deus nos custodiet.* Et sic transivit, et nos omnes cum eo. Non audivi, licet plures fuerint sa[1199]gittati, quod aliquis homo mortuus fuerit. Equi plures fuerunt mortui.

Statim post domini regis ingressum [7 maii 1312] in Urbem inceperunt bella, destructiones domorum, et multa alia mala. Gens regis, continuato insultu per duos vel tres dies, turrim illam juxta pontem ceperunt et omnes qui erant ibi, et credo quod se reddiderunt salva vita. Post paucos dies illi qui tenebant Capitolium de nocte ipsum dimiserunt, et gens domini Johannis, ad quem illi iverant, intravit, habita pecunia ab eo, ut publice dicebatur. Statim domum fratrum Minorum prope Capitolium muniverunt de aliquibus eorum, ne per illum locum gravarentur. Gens regis post hec domum fratrum Minorum violenter intravit et, ut audivi, per consensum *(a)* aliquo-

a) concensum, *ms.*

rum fratrum, quia aliter non potuissent sine dampno. Quosdam de illis qui locum muniverant ceperunt, et alii in Capitolium fugerunt ad suos socios. Postea videntes quod populus Romanus cum senatore parabant se ad dandum insultum contra Capitolium, quia multos de populo jam vuln[er]averant de balistis *(a)* trahentes per fenestras ad diversa loca, dimiserunt Capitolium sic quod quilibet posset portare arma sua et una vice quidquid posset cum armis portare. Factum est sic. Dominus Ludovicus, senator, dominum Nicholaum de Senis dimisit ibidem loco sui; quem etiam populus finito termino senatoris habere voluit, prout ad presens recordor.

Quomodo dominus legatus et dominus Lucas laboraverunt transeuntes ad dominum Johannem pro pace et nichil facere potuerunt; quomodo dominus rex in presentia multorum in domo domini legati, ad quem venerat, ipsi domino legato, domino Ostiensi, et domino Luce obtulit quod paratus erat, secundum quod vos volebatis, filiam suam dare filio regis Roberti, et frater suus impedimentum removeret quod sibi faciebat tenendo viam clausam ad Sanctum Petrum; breviter scribo, quia do[1200]minus legatus sanctitati vestre retulit, qui melius scit quam ego, et non solum hoc, sed omnia que facta sunt in Urbe.

Illis diebus [18 maii 1312] reversus fuit frater Johannes de Lucido monte, magister in theologia, et dominus Johannes de Venestingue [1], utriusque juris professor, de Neapoli, et quid sibi respondit rex Robertus super parentela facienda, quam, sicut potestatem habentes, sibi offerebant secundum conditiones *(b)* et articulos qui fuerunt ante Brixiam concordati, credo quod dominus legatus vobis dixit que in sedula manu dicti regis Roberti scripta continebantur, que volebat adimpleri antequam ipse vellet facere parentelam, de quibus alias inter tractatores nulla erat facta mentio *(c)*. Plura in sedula continebantur de quibus non recordor. Recordor autem quod volebat [quod] vicarius Tuscie esset ad vitam filius suus, et quod ipse rex Robertus esset admiraldus per mare et vicarius in Lumbardia ad aliquos annos, et multa talia que nullo modo rex Romanorum fecisset. Per hec judicet sanctitas vestra intentionem utriusque ad faciendum vel impediendum predictam parentelam.

a) bellistis, *ms.* — *b)* condictiones, *ms.* — *c)* mensio, *ms.*

---

1. Schwalm, n. 781-787.

Illis diebus[1] frequenter instabat dominus rex apud cardinales quod vellent ipsum coronare in ecclesia beati Johannis Lateranensis, ex quo ad Sanctum Petrum non per eum sed per alios clausa erat via, et si ipsi vellent ire et ipsum precedere ad eorum ecclesiam, ipse eos sequeretur. Domini cardinales de hujusmodi impedimento dolentes, et continue afflicti super strage et destructione Urbis, que continue fiebat, non valentes apponere remedium, libenter ipsum alibi quam in Sancto Petro coronassent, sed timebant quod non possent virtute commissionis eis facte. Et hoc sentiebant multi clerici eorum. Clerici domini regis et plures de Urbe ad hoc vocati sentiebant quod poterant, sicut etiam sanctitas vestra declaravit.

Romanis aliqualiter notis per domi[1201]num regem, et specialiter amicis domini Neapoleonis, quos tales non invenerat quales littere domini cardinalis promittebant, tamen propter hoc quod fecerant illi qui pro pecunia domini Johannis Capitolium reddiderunt, vocavit uno mane majores et nobiliores Urbis qui secum tenebant et servitores suos se reputabant, inter quos fuit dominus Hanibal et dominus Theobaldus de Campo floris, qui consilium suum juraverunt in Taurino, illi de Sabello, et plures alii quos nescio ad presens nominare. Petivit ab eis utrum vellent ipsum juvare, et de quo, et quomodo. Responderunt fere omnes quod sic, tamen diversimode. Aliqui fuerunt, videlicet illi de Comite, quod eum non juvarent contra regem Robertum, cum avus dicti regis avum suum militem fecisset, nec ipsum regem Robertum vellet juvare contra eum in aliquo.

Hiis diebus rex Francie nobilibus Urbis litteras direxerat, supplicando quod regem Romanorum non juvarent contra regem Robertum. Et hoc non erat secundum quod confederationes inter eos in manibus vestris facte sonabant.

Responsio *(a)* cujuslibet fuit scripta et in presentia omnium lecta. Tunc dixit eis dominus rex quod multum eis regratiabatur, tamen volebat quod illud quod promiserant assecurassent antequam recederent ab eo, et quod in presentia omnium vellent operibus adimplere absque ulla mutatione predictorum. Propter quod captos se reputaverunt. Quidam *(b)* eorum pueros suos ponebant pro se ipsis obsides, quidam *(b)* fratres suos, alii domos et castra et aliquam

a) responcio, *ms.* — *b)* quidem *(sic)*, *ms.*

1. Le 12 mai et les jours suivants. Schwalm, p. 777-779.

summam pecunie, de qua dabant fidejussores. Istud factum fuit quare dominus potuit tenere illam partem Urbis quam occupaverat, et quare acquisivit magnam partem quam alii tenebant ante ista, Coliseum. Militias, turrim de Comite, turrim Sancti Marci, montem illorum de Sabello, et multa alia palatia statim habuit in manu sua, per que illos tenebat quorum [1202] erant, et de illis deffendebat vicinos et propinquos offendebat.

Postquam omnes securitates dederant secundum suam possibilitatem et convenientiam, et ipsis dimissis, dominus Hanibal, qui consilium domini regis juraverat in Taurino, frater etiam domini Johannis, qui fuit unus qui Capitolium pro pecunia reddiderat, Urbem exivit, et statim dominus Johannes de Sabello post eum, publice et apperte domino regi se opponentes, et Romanos qui cum eo stabant offendentes, aquam de Urbe, per quam molendina que sunt sub Sancta Sabina molebant, subtrahendo. Unde moti Romani cum Theotonicis ad unum castrum quod vocatur Capud Bovis prope Urbem ad duo miliaria, quod castrum erat domini Johannis de Sabello, cucurrerunt, et castrum, excepta arce, violenter acceperunt, et partem combusserunt *(a)*. Et cito post custodes arcis, non habentes succursum, facto uno pacto de quo non recordor, recesserunt. Tunc dominus rex arcem cum castro et aliis bonis sibi obligatis per dominum Johannem de Sabello, qui promissum non tenuerat, sed contrarium fecerat sibi publice opponendo, fratri suo Petro de Sabello, qui sororem domini Petri de Columpna habet in uxorem, pro illa summa pecunie, pro qua erant ista obligata si non teneret promissum, dedit, et quod predicta teneret donec esset sibi satisfactum de predicta summa pecunie, in qua erant sibi ista obligata. Que summa fuit, ut recordor, viginti milia marcarum argenti.

Dominus Theobaldus de Campo floris recessit post istos sine licentia domini regis. Tamen nunquam eum offendit vel Romanos; sed in castris suis pacifice se tenuit, quia bonus homo est et fidelis. Et credo quod recessit propter brigam quam habebant Columpnenses cum eo; et quia tunc nimis sequebantur eos Theotonici et diligebant propter servitia que domino eorum fecerant, timebat ne ipsum offenderent *(b)*.

Hiis diebus fecit pacem inter prefe[1203]ctum Urbis et illos de Columpna et comitem Anguilarie. Nunquam autem pacem facere potuit inter illos de Sabello, licet multum a principio laborasset pro-

a) combuxerunt, *ms.* — *b)* offenderant *(sic)*, *ms.*

pter amorem quem habebat ad dominum Pandulphum, cui multum tenebatur propter sua bona servitia.

Hiis diebus dominus legatus expectabat unum nuntium ad vestram sanctitatem missum ad sciendum vestram intentionem, utrum liceret eis alibi quam in Sancto Petro dominum regem coronare, quia de hoc erant opiniones diversorum. Quidam *(a)* dicebant quod non. Clerici romani, ut predixi, et consilium regis dicebant quod *(b)* sic. Propter quod moti Romani una die [1], qui jam alias rogaverant cardinales quod Urbi compaterentur, que sic continue destruebatur, cum furore venerunt ad Militias, ubi tunc dominus rex hospitabatur; et cum eo illa hora presentes erant domini cardinales omnes. Satis timuimus illos rusticos insanos; et credo quod nisi fuisset dominus rex, qui illos quantum potuit mitigavit, pauci de clericis fuissent securi de vita. Quis eos moverit ad talia facienda multi multa loquebantur *(c)*, sed credo quod dominus rex nichil scivit, prout audivi hoc ab eo per juramentum affirmari *(d)*. Sed si aliquis fuerit in culpa, plus crederemus de domino Nicholao de Senis, qui tunc Capitolium pro senatore tenebat, quam de alio. Tamen nec in eum nec *(e)* alium, quod sciverim, de tanto excessu fuit unquam facta per aliquem correctio, quia pro certo scitum non fuit.

Deinde cardinales videntes commotionem populi et Urbis continue destructionem, transactoque termino quo famulus qui ad vos venerat reverti debuisset, in die apostolorum Petri et Pauli [29 junii 1312], electo per dictum regem, ipsum coronaverunt in ecclesia beati Johannis in Laterano, receptis juramentis et promissionibus [2] ab eo secundum quod in ordinario scribitur et in litteris vestris continetur.

Post sui coronationem dominum Symonem de Regalibus de Pystorio, tunc suum cambellanum, una cum quibusdam militibus qui ad Urbem venerant et fra[1204]tre *(f)* Peregrino [3] ex parte regis F[r]ederici ad eum missis misit in Siciliam *(g)*: Et, ut credo, isti

a) quidem *(sic)*, *ms.* — *b)* non. Clerici... quod, *passage omis par Bal.* — *c)* Quis eos... loquebantur, *passage omis par Bal.* — *d)* affirmare, *ms.* — *e)* in, *ajouté par Bal.* — *f)* fratri, *ms. et Bal.* — *g)* Sciciliam, *ms.*

1. Le 22 juin 1312. Schwalm, n. 794.

2. Actes concernant le couronnement d'Henri VII, dans Schwalm, n. 796-812.

3. Le 20 avril 1312, le roi Robert de Naples annonçait au roi d'Aragon que frère Pelegrino était passé, la veille, à Ischia, se dirigeant vers le camp d'Henri VII. Schwalm, p. 1428.

primo de parentela facienda inter filium dicti regis et filiam imperatoris sunt locuti ad dictum regem Fredericum, et de quibusdam pactis et confederationibus[1] inter eos, de quibus modicum recordor ad presens; tamen credo quod postea inter eos pro pueris eorum per procuratores in Roma parentela est jurata, et quantum ad dotem et ad omnia concordata.

Item recordor quod dominus imperator habuit de pecunia regis Frederici unam summam magnam florenorum; et de illa dominus Lucas et dominus Ostiensis aliquid in Sicilia *(a)* habuerunt propter suas expensas; quantum, non recordor. Credo etiam quod *(b)* pacta erant inter eos quod unus tenebatur alium juvare in ista guerra quam habebat dominus contra Tuscos et contra regem Robertum. Et credo quod post inceptionem guerre contra regem Robertum unus non poterat pacem facere sine alio, et quod quamdiu guerra durabat inter eos, omni anno rex Fredericus tenebatur ei dare quinquaginta milia florenorum, et de hoc quod contra regem Robertum juste acquirerent filius suus cum filia imperatoris debebat habere unam partem, et multa talia. Ista pro certo nescio, quia modicum ad talia habebam cor; sed per intellecta a pluribus ista puto vera esse.

Hiis diebus finito termino senatoris, et domino coronato, cum nec bella nec destructiones Urbis cessassent, populus unum de militibus domini, Burgundum natione, nomine dominus Johannes de Savigney, capitaneum elegerunt, qui Capitolium teneret donec vestra sanctitas de alio senatore ordinaret. Et antequam ipsum elegissent, scio quod populus dominum rogaverat quod vellet Capitolium committere alicui, donec de alio senatore ordinaretis. Qui cum non debuisset nec potuisset de jure, facere recusavit. Credo etiam per ea que [1205] audivi quod populus Romanus dominum legatum rogavit quod eis provideret de aliquo senatore, cum sine capite non bene viverent, et specialiter hiis diebus. Qui, ut intellexi, respondit quod hoc non poterat, cum a sanctitate vestra sibi nichil erat commissum.

Et quia dominus imperator et omnes sui fessi erant de mora in Urbe tanta, et plures eorum deficiebant in expensis, et nullus propter calores securus erat de vita, quilibet tendebat *(c)* ad recessum. Romani videntes quod dominus parabat se ad recessum, habita inter

a) Scicilia, *ms.* — *b)* quia, *Bal.* — *c)* tandebat, *ms.*

---

1. Schwalm, n. 815-823 (4 juillet 1312).

se deliberatione, supplicaverunt ei quod vellet adhuc manere per aliquos dies, donec dominus Johannes cum suis recessisset. Dicebant autem quod si recederet ante eum, quod ipsi omnes erant in periculo et corporum et domorum, et quod dominus Johannes, ex quo ipsum non impediverat de corona, qui ad hoc venerat, quod non staret, sed in continenti recederet. Dominus imperator excusabat se, et propter consuetudinem antiquam imperatorum, qui recedunt corona recepta, et propter multa alia que clare in suis hominibus apparebant, qui disponebant se ad recessum, sicut dux Bavarie et majores exersitus, qui nullo modo manere volebant, etiamsi dominus maneret, ut apparuit per effectum. Qui etiam predicti reputabant se in periculo recedendo et dominum imperatorem manendo, et hoc cum non essent tot homines quod si fieret divisio, quin omnes essent in periculo. Et tamen finaliter plus elegerunt periculum vie quam calorum in Urbe, qui satis magni erant hiis diebus, et dominum suum in illo periculo dimiserunt.

Dominus imperator volens in aliquo Romanis satisfacere, ivit in Tyburim [20 julii 1312] cum aliquibus de suis, paucis tamen ibi dimissis, quia pauci inveniebantur qui vellent ibi remanere. Nec propter hoc bella cessaverunt, nec alii recesserunt. De Tybure dux Bavarie, dominus Ludovicus Sabaudie, comes de Nydove *(a)*, [1206] et multi alii magni viri cum eis recesserunt.

Post hec littere vestre ad dominos cardinales venerunt; qui simul non erant, sed dispersi. Dominus legatus erat prope Viterbium, et dominus Lucas, et dominus Ostiensis magis de ipsis remotus.

Habita inter eos collatione, venit dominus legatus et dominus Lucas in Tyburim. Et litteris vestre sanctitatis lectis domino imperatori in presentia multorum reverendorum dominorum et cum reverentia intellectis, copiam sub sigillis eorum sibi dederunt. Antequam ad ea que eis continerentur et per dominos cardinales distincte et mature propositis responderet, nec responsionem *(b)* aliquam fecit, donec primo sapientes et jurisperitos Urbis, quos meliores habere potuit, super predictis audivit. Et tunc ipsos cum suis auditoribus copulavit, ordinans juramentum tunc inter illos qui alias sibi juraverant renovari et de novo facere qui alias non fecerant quod sibi veritatem consulerent quid esset facturus, et ad quid tenebatur secundum ea que in litteris vestris continebantur, et multa talia que longa *(c)* essent enarrare. Quid responderit, cum publicum fuerit,

a) Aydone, *Bal. et ms.* — *b)* rationem, *Bal.* — *c)* lungua, *ms.*

credo quod domini cardinales ibidem existentes sanctitati vestre scripserunt, et etiam postquam ad presentiam vestre sanctitatis venerunt retulerunt viva voce. Propter quod breviter transeo. Nec in speciali de omnibus recordor. Habeo tamen memoriam de hoc quod predicti jurisperiti sibi dixerunt, quod in jure canonico et civili non inveniebant quod dominus papa posset indicere treugam inter imperatorem et vassallum suum : quia si vassallus committat crimen lese majestatis, et imperator, qui tenetur facere justitiam, velit eum punire, et sanctitas vestra posset indicere treugam inter eos, ea ratione qua posset una vice posset semper, et sic nunquam sequeretur punitio de delicto; quod est contra jus naturale et divi[1207]num. Addebant etiam quod imperator et rex Robertus non subjiciuntur Ecclesie equaliter, quantum ad temporalia : quia unus est deffensor et advocatus, nichil habens ab Ecclesia de temporalibus; alius est subditus et vas[s]allus, suum regnum ab Ecclesia habens. Dicebant adhuc quod si ut vassallum Ecclesie in temporalibus permitteret se duci per sanctitatem vestram, quod esset perjurus, cum jura imperii diminueret; que tamen juravit non diminuere, sed augere. Unde cum treuge *(a)* per vestram sanctitatem indi[c]te inter eos non durassent nisi per annum, non obstantibus hiis que [a] predictis clericis audiverat et multis aliis que male intelligere et minus repetere scirem, deliberavit in animo suo, prout ab eo audivi in privato, et interim ad vestram sanctitatem mittere, quamvis non potuerit ita cito et propter defectum nuntiorum sufficientium et propter quedam alia, quod per totum annum in aliquo regem Robertum non offenderet, ut magis ipsum diligeretis et minus regem Robertum; quem non credebat abstinere quin offenderet eum ubi posset, non obstantibus treugis per sanctitatem vestram indi[c]tis. Et hoc bene in Lombardia et Tuscia apparet per effectum, in quibus dominium multarum civitatum, castrorum et villarum sibi accepit contra Deum et justitiam, et ubi potuit ipsum et suos in mari et in terra offendit et post treugas.

Ibidem Columpnensibus voluit dare tria milia florenorum in feodum, quod recipere noluerunt, nisi primo scirent voluntatem suorum dominorum cardinalium.

Ibidem ipse fecit unam protestationem propter predicta, quod licet non intenderet ad presens regem Robertum sibi rebellem et hostem publicum offendere, tamen sue intentionis non erat, cum in suorum discretorum consilio non inveniret, quod ratione treuge indi[c]te

a) treugam *(sic)*, *ms.*

inter eos per vestram sanctitatem ab offensione *(a)* dicti regis Roberti abstineret[1].

[1208] Ibidem domini cardinales ipsum requisiverunt quod vellet quedam *(b)* juramenta facere, que in litteris vestris de novo eis missis continebantur. Respondit[2] quod non intendebat alia juramenta facere quam fecisset ante sui coronationem, nec virtute litterarum vestrarum tenebatur judicio suorum jurisperitorum, quia vestra sanctitas mandabat predictis quod talia juramenta ab eo requirerent antequam ipsum coronarent, quod si nollet, ipsum non coronarent, et jam ipsum coronaverant, ideo minime tenebatur.

Post festum beati Dominici [post 4 augusti], nescio quot diebus, contradicentibus omnibus de suo consilio, Romanis exceptis, reversus est Romam propter ea que fiebant Rome per gentem domini Johannis. Timebamus quod si Romam reverteretur, quod Romani ipsum recedere non permitterent donec dominus Johannes recederet. Item, si recedere vellet, quod non posset sine maximo periculo, et quia paucos homines habebat, et quia per pontem de Mollen recedere eum opportebat; ubi si pars alia bonum cor habuisset, de facili impedivisset in exitu pontis : quia ante pontem, ubi alias fuerant, subito poterant se congregare, per pontem non poterant quatuor homines simul exire. Item multi passus erant infra unum miliare a ponte, ubi decem boni homines tenuissent decem milia per unum diem antequam transire potuissent sine eorum maximo periculo. Propter que nullus nostrum concordabat ut Romam reverteretur. Ipse autem fidelissimus suos amicos Romanos, quos fideles invenerat, volens consolari in recessu, et in Deo confidens, nichil timens inimicos, Romam non cum magna societate est reversus; et ibi ad preces Romanorum, paucis de suis dimissis, ne si omnes duceret, alii majora mala fecissent qui ibidem remanebant, de Roma recessit per illum pontem cum Dei adjutorio, nullum per inimicos habens impedimentum, versus Viterbium [20 augusti 1312][3] [1209] dirigens gressus suos. Primo Sutrium.

Ad presens unam modicam disgressionem facio. Antequam do-

a) offentione, *ms.* — *b)* quidem, *ms.*

---

1. L'empereur protesta à deux reprises, le 1er et le 6 août 1312. Schwalm, n. 839 et 840.

2. Le 6 août. Schwalm, n. 841.

3. Henri VII entra à Viterbe le 21 août. Böhmer, p. 304.

minus imperator de Tibur recederet, Florentini pro se et sua ligia *(a)* timentes ne imperator in revertendo ipsos offenderet, sicut et fecit, miserunt unum de quo plene confidebant ad consilium domini imperatoris ad inveniendum modos et vias pacis et tranquillitatis ipsorum. Iste missus vocabatur Ricardus Hugueti. Illi qui mittebant eum erant dominus Gerius de Spinis et dominus Pinus *(b)* de Tosa Florentini. Per plures dies dictus Richardus cum consilio domini imperatoris secreto fuit, et recessit quasi totaliter in concordia a nobis secundum intentionem illorum qui eum miserant dicebat se scire, promittens reverti in Urbem Veterem cum illis et quibusdam aliis ad omnia perficienda, et ibidem debebant quidam occurrere de consilio domini imperatoris majores ad aliquem diem certum infra mensem augusti. Non venerunt, nec miserunt ad dictum diem predicti, licet postea miserint. Secundum veritatem antequam de Tybur recederemus ego credidi negotium esse factum per ea que audiveram a predicto Rycardo. Adhuc non cognoscebam Tuscos hiis diebus.

De Viterbio placuit domino ire Tudertum [27 augusti 1312], licet omnibus citramontanis displiceret propter devium. Quidam de illis partibus posuerunt in capite suo quod si iret et eis regratiaretur de bona militia quam ei sine debito, cum sint homines Ecclesie, cum propriis expensis per longum tempus miserant Romam in suum servitium, quod ipsum, qui tunc pecunia indigebat, honorarent, sicut fecerunt postea.

Ibidem vicarius qui erat in Marchia misit ad eum ut litteras conductus per totum imperium ob vestram reverentiam *(c)* sibi mitteret. Quod libenter fecit, licet a multis de partibus fuisset accusatus quod non permi[si]sset ire aliquos voluntarios de [1210] Marchia Romam in suum servitium, licet omnes contra eum ire volentes sine difficultate dimisisset.

De Tuderto intravimus comitatum Perusinum. Nec recordor me unum solum citramontanum vidisse cui placeret illa via, non compatientes Perusinis, quos una cum Bononiensibus supra modum odiunt propter ea que fecerunt contra imperatorem, qui nunquam in aliquo ipsos gravaverat, sed propter devium, quia quilibet tendebat reverti Pisas, et plures ad partes suas.

Dominus imperator proprii capitis et proprii sensus in hoc et in multis aliis, qui non se regebat semper per consilium alicujus nisi per suum, sicut omnes qui in suis consiliis magis secretis fuerunt

a) ligua, *ms.* — *b)* Pisus, *Bal.* — *c)* reverantiam, *ms.*

frequenter sunt experti, in multis locis illum comitatum destruxit, et multa dampna bonorum temporalium eis intulit. Non credo quod aliquis fuerit ibi mortuus, quia omnes fugerunt, exceptis illis de Marchano, qui omnes sunt inventi, quia primi, et omnes per ignem destructi et per spolium. Ibidem et in quibusdam aliis locis in dicto comitatu fuerunt Tudertini, Spoletani, et Narnienses non dolentes de illorum destructione, cum alias, ut dicebant, fuissent per eos destructi. Immo scio quod domino imperatori promiserunt omni die quo vellet jacere in comitatu Perusino mille florenos, sed quod habuerit non credo.

De comitatu Perusino venimus Cortonam, ubi fuit Terricus de Villeson, vester familiaris, de una continua mortuus. Illi imperatorem cum magno honore receperunt, et in presentia totius populi fidelitatem sibi fecerunt[1] per sindicos, rogantes ipsum ut eos ad cameram suam reservaret, ita quod nulli tenerentur servire nisi sibi. Quod facere noluit, et hoc quia in civitate Pisana, antequam ad Cortonam iret, per episcopum Aretinum fuit sibi intimatum quod Cortona erat ecclesie Aretine; et de hoc vole[1211]bat facere fidem dictus episcopus per privilegium Karoli Magni, qui eam ecclesie Aretine dedit, et per confirmationem multorum aliorum imperatorum. Antequam privilegia sua venirent, pro quibus miserat in Aretium, placuit Deo quod dictus episcopus in Pisis finem universe carnis est ingressus. Undè recordor quod imperator precepit fieri instrumentum quod fidelitatem Cortonensium receperat salvo jure ecclesie Aretine, nondum *(a)* tamen sibi declarato nec ostenso.

De Cortona venimus Aretium [7 septembris 1312], qui ipsum cum gaudio receperunt et fidelitatem fecerunt. In illo loco fere omnes reno[va]verunt juramenta, aliqui personaliter, aliqui per sindicos, qui domino Pandulpho et michi juraverant.

In Aretio publicaverunt[2] processus quos publicari mandastis in presentia imperatoris, quidam *(b)* abbas Aretinus et prepositus ecclesie[3], secundum quod domini *(c)* cardinales eis mandaverant *(d)*, et dominus imperator cum reverentia audivit.

a) nundum, *ms.* — *b)* quidem, *ms.* — *c)* *omis par Bal.* — *d)* mandaverunt, *ms.*

1. Le 6 septembre 1312. Schwalm, n. 846.
2. Le 10 septembre 1312. Schwalm, n. 847.
3. « Bosus », prévôt d'Arezzo, figure seul dans l'acte.

Utrum in civitate Tiburtina, vel in Cortona, vel in Aretio *(a)* inceperint citationes [1] regis Roberti et multarum personarum et civitatum rebellium non recordor; sed memoriam habeo, quando hoc in Roma tractabatur, quod auditores sacri sui *(b)* palatii, de quorum consilio specialiter omnes tales processus fiebant, dixerunt imperatori quod initiare, et mediare et terminare talia opportebat in terris imperii.

Bene ymaginor ego quod in altero predictorum locorum facte sunt primo citationes. Ante Florentiam et apud Sanctum Cassianum, ubi diu fuimus, et in Monte imperiali diutius, facte sunt multe declarationes et dilationes et talia hujusmodi neccessaria [2], que ego ignoro, cum de jure nunquam lectionem audiverim; de quo doleo multum.

In civitate Pisana [3] regis Roberti et bonorum suorum et civitatum multarum rebellium imperii, necnon comitum, baronum, et multarum singularum per[1212]sonarum imperii, et civitatum Ecclesie, qui fuerunt personaliter in Roma, in Lumbardia et in Tuscia contra imperatorem, sententie diffinitive sunt date secundum qualitatem personarum et locorum et quantitatem culparum. Et omnia ista scripta publice, et ab omnibus possunt videri.

In processibus predictorum, diu antequam sententia daretur, voluit imperator quod sui clerici ista tractantes et in Bononiam et alibi in Tusciam, ubi litterati viri reperiuntur, mitterentur ad videndum et examinandum *(c)* si [in] predictis vel in aliquo predictorum esset aliquis defectus : quia si defectus propter negligentiam eorum qui talia ordinabant fuisset inventus, promisit eis quod de vita et *(d)* de honore eorum non essent securi. Ante sententiam assecuraverunt imperatorem quod in processibus nullus esset defectus et hoc vellent secundum jura ante omnes clericos mundi sustinere.

Dominus, qui alias viderat eorum opinionem de coronatione sui possibili alibi quam in Sancto Petro bonam, prout in litteris vestris continetur, quod licuit atque licet, licet plures clerici dominorum cardinalium sentirent contrarium, non dubitavit quod in processibus

a) civitatem Tiburtinam, vel in Cortonam, vel in Aretium, *ms.* — *b) omis par Bal.* — *c)* estimandum, *Bal.* — *d)* quod, *répété par le ms.*

---

1. Le 12 septembre, à Arezzo. Schwalm, n. 848.

2. Le 12 février 1313, à Monte Imperiale, sentence contre Robert, roi de Naples. Schwalm, n. 913. Le 23 février, au même lieu, sentence contre les rebelles de Toscane. Schwalm, n. 915 et 916. Le 12 décembre 1312, devant Florence, sentence contre les Florentins. Schwalm, n. 890.

3. Le 26 avril 1313. Schwalm, n. 946.

esset defectus ex quo per tantos et cum tanta diligentia erat examinatum et cum tanto periculo eorum eis noto et certo *(a)* si in eis defectus aliquis inveniretur.

Post hec ipse motu justitie, sicut in mea conscientia credo, sententiam protulit, sed non simul de omnibus, nec in eodem die, licet in eadem civitate, prout michi videtur ad presens, et in mea conscientia adhuc sentio, quod audacius de majori et magnis executionem sententie fecisset, si potuisset, quam scripto et verbo protulerit, in hoc Deo credens placere. De minoribus et multitudine non credo propter suam maximam compassionem et misericordiam, quod de ipsis quantum ad omnia, si potuisset, executionem justitie fecisset, sed quan-[1213]tum ad aliqua credo.

De Aretio recessit dominus imperator circa festum Nativitatis beate Virginis. Et prima nocte fuit in comitatu Florentino ante castrum Montis Wardi [15 septembris 1312][1]. Homines castri mane fortissime deffenderunt se contra insultus Theotonicorum. In vesperis duo fratres Predicatores de conventu Florentino, quorum unus fuit de illo loco, et quidam *(b)* cives Aretini, habentes in dicto castro amicos, intraverunt ad eos, et eis pericula ostendentes, eos induxerunt ad obedientiam, quam in mane fecerunt, misericordiam imperatoris deprecantes quod in corpore et in rebus vellet eis parcere; quod et fecit.

Altero die [16 septembris 1312] venit imperator ad castrum Sancti Johannis[2]. Et postquam viderunt illi de castro quod aqua, que per villam transibat, ab eis removebatur, nec impedire poterant aliqualiter ante eorum destructionem, mediantibus tamen quibusdam patriotis, castrum reddiderunt ad omnimodam voluntatem suam faciendam. Ibi erant circa quinquaginta nobiles bene in equis, stipendiarii Florentinorum, natione Cathalani *(c)*, ad custodiam castri missi, ignorantes voluntates eorum, quando marascalcus intravit, et eos captos, dimi[s]sis equis eorum et armis indigentibus, ad imperatorem adduxit : qui, licet plures instarent quod suspenderentur, quia meruerant ratione cujusdam ordinationis et proclamationis facte, quod quicumque infra certum tempus cum suis rebellibus inveniretur ratione stipendii, quod puniretur sicut rebellis et hostis,

a) et certo, *omis par Bal.* — *b)* quidem, *ms.* — *c)* Cathellani, *ms.*

1. Cf. G. da Cermenate, p. 108.
2. *Ibid.*, p. 108-114.

item dicebant quod si illos primos captos suspenderet, nullus de eorum sociis auderet se ponere in alio castro firmo, et per hoc rebelles Tusci sibi obedirent, qui solum in potentia et virtute Cathalanorum suorum stipendiariorum confidentes, non in semetipsis, qui miseri sunt in armis, contradicunt, nullo modo voluit sustinere quod morerentur, sed ipsos cum aliis de illis partibus captos de Ro[1214]ma post se in magna miseria duci fecit, et in festo Nativitatis Christi, ad preces meas et aliorum meliorum, me eis compatientes, apud Sanctum Cassianum liberos dimisit. Non tamen eis bona, videlicet equos et arma, restituit; quia bene petitum fuit ab aliquibus melioribus si vellent cum eo manere et sibi servire, qui causam contra Florentinos habebat, sicut serviebant Florentinis, qui nullam justam causam habebant, quia inobedientes domino suo erant, aliqui dixerunt quod sic, aliqui quod non, cum essent subditi regis Roberti, qui eos miserat. Postea ab aliquibus fuit dictum pro meliori quod nullus eorum teneretur.

Altera die [17 septembris 1312] venit in Phiguino, pulcherrimo loco sine muris, quasi ab incolis dimisso propter timorem. Ibi perno[c]tavimus usque mane. Et tunc [18 septembris 1312] versus castrum Ancisse fortissimum, in quo erat tota militia Florentie, post tertiam venimus. Pons erat ibi super aquam nullo modo cum equo meabilem. Prope castrum super illum pontem et circa muros et portas erant Florentini armati pulcherrime et multi et, ut dicebatur, in duplo quam nos; quia tunc in equis pauci eramus, et nulli pedites armati. Et quia non fuit via nec per aquam nec per pontem, nec bellare poterant nisi illi de locis ubi erant descenderent, supra castrum per montem sine via, ubi non dicebatur per incolas quod aliqualiter possemus ascendere nec transire, ivimus, et prope castrum ex alia parte versus Florentiam venientes, exiverunt illi de castro in cauda exersitus, et fuit ibi durus conflictus nobilium, et multi mortui Cathalani et Florentini per gentem imperatoris fuerunt, et, ut ab omnibus postea fuit dictum, si fecisset... *(a)* ante dictum castrum Ancise *(b)*, in quo tunc erat flos militie Florentie et Tuscie in maximo numero hominum, ipse vicerat Florentiam, quia omnes boni erant ibi, et maximus numerus hominum, et locus strictus et male de victualibus munitus.

[1215] Florentini exteriores dederunt sibi aliud co[n]silium, quod directe Florentiam iret, et statim eam caperet, quia omnes qui poterant eam deffendere erant in illo castro Ancise, sicut verum erat.

a) obsidionem, *forsan.* — *b)* Ansise, *ms.*

Mane versus Florentiam *(a)* ivit [19 septembris 1312]. Sed per aliam viam Florentini recesserunt scientes ultra aquam, quia pontem habebant, de nocte, et ante imperatorem pervenerunt[1]. Et tamen post eos ita cito venit imperator quod, quando applicuimus ante Florentiam, scio quod carnes inveniebantur ad ignem in ollis et lecti facti, et nichil adhuc erat remotum; et hoc probavi in hospitio in quo fui.

Postquam venimus ante Florentiam, omnia mala que per gentem imperatoris potuerunt fieri in eorum districtu et territorio facta [sunt], et per ignem et per destructionem et per arborum suarum abscisionem *(b)*.

Post paucos dies ab adventu suo dominus imperator fuit infirmus[2] continua vel duplici tertiana, et de hoc erat dubitatio inter medicos. Ibi primo incepit crescere in hominibus de partibus Tuscie et de Marchia. Non tamen unquam fuerunt tot in armis quin Florentini et eorum liga, que ibi convenerat tam de Tuscia quam Bononia, et Romandiola *(c)*, et Marchia, de Perusio, et quibusdam aliis terris Ecclesie, pro uno, ut dicebatur, fuissent tres in bonis equis, et pro uno pedite armato decem armati vel plures.

Ego recordor frequenter, quando medici desperabant de imperatore, plures qui jam sibi serviverant diu cum eorum expensis, volentes sibi providere in hyeme, receperunt licentiam ad tempus certum, et post eorum recessum, quia jam ad decem miliaria non inveniebantur victualia, opportebat cum magna comitiva ire pro victualibus propter periculum quod aliquando, ut dicebant qui talia scire debebant, non remanebant homines trecenti bene in equis ab aurora usque ad vesperas cum imperatore periculose sic infirmo. Et bene erat mirabile, nisi Dominus custodivisset imperatorem [1216] cum suis, quomodo alii tot in numero et infra suam civitatem potentes non majora dampna faciebant aliis, cum tamen fere omni die non generaliter alicubi exirent, sed statim quod inveniebant resistentes ad civitatem revertebantur.

Ibi de comitatu eorum et districtu ad obedientiam venerunt[3] tam

a) Florantiam, *ms.* — *b)* absitionem, *ms.* — *c)* Romanniola, *ms.*

---

1. D'après Villani, l'armée florentine ne parvint dans la ville que le 21 septembre. Muratori, *Rerum Italicarum scriptores*, t. XIII, col. 464, lib. IX, cap. XLVI.

2. Cf. G. da Cermenate, p. 110.

3. Nombreux serments de fidélité dans Schwalm, n. 851-865 (29 septembre-25 novembre 1312).

de valle de Seva, quam de valle de Greva, et pluribus aliis contratis, versus Arnum plus quam quadraginta castra, et meo judicio plus timore quam amore. Timebant autem ne spoliarentur per Theotonicos. Et postquam obediverant, erant securi, et veniebant ad exersitum, vendebantque bona sua in duplo quam valerent.

Domino imperatore sic debili, iterum predictus Rycardus Hugueti venit ad exersitum, missus per istos majores de Florentia ad tractandum de pace et concordia ut prius, excusans eos quantum potuit, licet non bene, predictos quare non venerant vel miserant in Urbem veterem, prout promiserant; et reincepto tractatu de novo propter plures mutationes in predictis, post plures dies quasi concordes omnes illi secretiores de consilio cum predicto confessorem suum vocaverunt ut ipsum induceret ad faciendum pro pace illud quod talibus, de quibus magis confidebat, pro meliori videbatur. Predictus confessor satis laboravit, sed parum profecit. Omnia que volebat totum consilium habere, que possibilia erant et honesta eorum judicio, a Tuscis rebellibus concedebant[ur], hoc excepto quod in terras non intraret in ista novitate, sed bene vicarium mitteret unum singularem quem *(a)* petebant, de quo domino imperatori plus placebat quam de alio vicario. Sed nullo modo voluit consentire, nisi intraret, si vellet, dicens quod gratiam et misericordiam haberemus ab eo pro ipsis quantum vellemus, salvo tamen honore suo, qui nullo modo esset in tali pacto quod necessitatus esset non posse intrare, si vellet, in suis civitatibus, nec ipse judica[1217]bat quod sui rebelles quererent aliud nisi suum recessum ad tempus, postea de facili impedirent eum ne intraret, quia introitus per istas partes sine mari in Tuscia satis sunt graves, et per mare non semper homo vadit quando vult, et magnam multitudinem simul per mare transire sumptuosum est multum.

Quando plura dampna in illa parte non poterant fieri Florentinis, nec victualia amplius inveniebantur, quia in principio sicut fatui per ignem granum et paleas et per effusionem vinum et oleum destruxerant, in vigilia Omnium Sanctorum [31 octobris 1312] de illo campo recessit imperator et transivit aquam hiis diebus satis magnam de clara die; in quanto periculo, illi sciunt qui viderunt. Si alii in aliquo cor habuissent, cum possent ad quamcumque *(b)* partem voluissent cum eorum enfortio percutere, nec alia pars aliam

a) quam, *ms.* — *b)* quemcumque *(sic)*, *ms.*

poterat juvare, cum una esset citra aquam, alia extra, et alia infra. aqua fuit profunda, et transitus longissimus, et alveus altissimus, ita quod judicio transeuntium decem bone balliste *(a)* super alveum existentes nos omnes impedivissent, quia a nobis non poterant offendi gladio vel lancea propter profunditatem aque prope alveum et ipsius alvei altitudinem. Deus voluit quod sic fieret, prout credo, quia illi sapientes milites, qui predicta consideraverunt, hoc semper timebant.

Cum adhuc nullum remedium posset videre, vastando comburendo *(b)* aliam partem, ultra aquam fecimus festum Omnium Sanctorum et animarum in uno castro illorum de Bardis, pleno mulieribus nobilibus et infinitis divitiis de illa contrata. Mulieres nobiles illius societatis pro majori parte se, pueros et bona eorum recollegerant *(c)* propter loci fortitudinem; ubi erant muri altissimi et fossatum latissimum et profundissimum, plures servitores locum custodientes cum multis balistis. Ad primam invasionem salva vita eorum, castrum reddiderunt. Dominus imperator voluit quod illas dominas nobiles honesti viri eas duce[1218]rent decenter ad quecumque loca ire vellent cum eorum pueris, qui de majoribus et ditioribus Florentie erant nati et magis sibi in civitate contrariis. Tuscis Guibelinis, qui pueros noscebant, displicuit de eorum liberatione, dicentes quod credebant quod si dominus teneret pueros cum eorum matribus, mariti earum et patres eorum cito ad obedientiam venirent. Dominus nullo modo eos voluit retinere, sed liberos misit eos.

In crastino animarum [3 novembris 1312] recessit imperator de illo castro. Et post suum recessum statim ibi positus fuit ignis, tunc comburendo *(d)* illam patriam usque ad Sanctum Cassianum prope Florentiam ad sex miliaria. Ibi posuit castra sua. Villa fuit valde bona et plena omnibus bonis. Ibi remansit usque post festum Epiphanie [6 januarii 1313]. Circa illum locum erant multa castra fortia. Aliqua combussit *(e)*, aliqua retinuit, sicut Lucardum, ubi fiunt boni casei, et castrum Sancte Marie Novelle, in quo cepit dominum castri, postquam per aliquos dies se deffenderant, qui vocatur Conrardus, filius domini Johannis Filache. Dicitur quod pater cum filio in terra Delphini et circa Rodanum habent plus quam centum milia florenorum, et sunt de magnis hominibus Florentie. Plures domino imperatori consulebant quod de isto faceret justitiam ad

a) belliste, *ms.* — *b)* comburando, *ms.* — *c)* recolligerent, *ms.* — *d)* comburando, *ms.* — *e)* combuxit, *ms.*

terrorem aliorum Florentinorum : quia si istum decapitaret, alii nunquam auderent se ponere in castris, timentes similem sententiam, si caperentur *(a)*, et si non vellent se ponere in defensione *(b)* castrorum, nunquam inveniretur stipendiarius qui auderet se ponere, ex quo illi, quorum sunt castra, non auderent, et sic de facili omnia castra lucrarentur, quibus habitis, civitates nullo modo se tenerent. Misericordia motus imperator, quia fuit pulcher juvenis, et multi querebant mortem suam, ipsum extra carcerem dimisit, primo tamen positis duobus suis filiis obsidibus pro eo. Postquam exivit carcerem, fecit sibi fidelitatem, [1219] et dominus indulsit sibi omnia, si fidelis inveniretur. Accepit licentiam eundi in Florentiam, credens eos inducere ad obedientiam postquam eis conditionem imperatoris narrasset, quomodo erat sanctus et misericors. Reversus est, et nichil fecit. De quo doluit, ut dicebat. Plures voluissent obedire, sed quidam *(c)* impediebant, fingentes multas litteras, quas falsas ipse dominus reputabat, missas eis de ista curia vestra, sed non de vestro consensu, dicebat, quomodo viriliter se tenerent, quia per vestram sanctitatem cito confortare eos procurarent. Isti mendaces *(d)*, qui sic populum inducebant ut pacem nollent, pro confirmatione predictorum dominum episcopum Florentinum in exemplum ponebant; qui de concilio reversus, et intentionem vestram sciens, erat de primis armatus cum suis clericis, et plus confortabat eos publice in sermonibus quod nullo modo ipsi; qui erant liberi, ponerent se in servitutem et cogitarent diligenter quid de ipsis facerent inimici eorum, dum intrarent Florentiam ipsis potentiores, ratione Theotonicorum, qui eos semper contra suos vicinos juvarent. Hec et plura alia de Florentia diversis in exersitu scribebantur, que nunquam credidit, sed falsa semper dixit, et quod talia inveniebantur ad inducendum populum ut facilius pecuniam solveret; qui jam erat sic illis diebus gravatus quod pro defectu solutionis plures domus et magne *(e)* continue destruebantur.

Et istud sentio ego in conscientia mea. Et hoc movet me. Cum semel unum fratrem Minorem de Florentia natum misi ad episcopum Florentinum, et omnia predicta secrete sub litteris credentie mandavi sibi quod talia de eo dicebantur, et quod ipse talia generaliter et publice dicendo curiam Romanam totam diffamabat, vos autem merito contra eum turbari deberetis, qui eis et omnibus aliis civi-

a) capperetur, *(sic)*, *ms.* — *b)* deffentione, *ms.* — *c)* quidem, *ms.* — *d)* mandaces, *ms.* — *e)* magnas *(sic)*, *ms.*

tatibus vestras litteras miseratis quod obedirent, et quod sanctitati vestre ego predicta significaveram, tunc per di[1220]ctum fratrem Minorem michi mandavit quod nunquam a vobis nec ab aliquo cardinali aliquid de hujusmodi materia haberet in mandatis, nec pro nec contra in dicto concilio fuerat ab aliquo attemptatum; multa erant alia circa que erat occupatus *(a)* sine istis. Subjunxit postea quod ipse erat Guelphus et de Guelphis natus et per eos promotus. Unde si eos diligebat, non debebam admirari; quia sciebat quod si Guebelini reverterentur in Florentiam *(b)* et possent, quod ipsum et domum suam destruerent *(c)*. Predicta ego retuli domino; qui libenter audivit, et voluit quod ista publicarentur, ne talibus mendaciis *(d)* crederent.

Multe valles et plura castra in ipsis illis diebus venerunt ad obedientiam, et personaliter in exersitu erant, et victualia adducebant, et plus judicio meo timore quam amore, sicut postea apparuit per effectum : quia statim quod exersitus fuit ab eis elongatus, plures ex eis reversi sunt ad obedientiam Florentinorum.

Hiis diebus [22 februarii 1313] dominus imperator dedit comiti Sabaudie civitatem Astensem [1] cum comitatu, et omnia sua privilegia a suis predecessoribus sibi vel suis data, sive essent reges, sive imperatores, confirmavit; et fecit eum principem de novo, et approbavit quitationes quas fecerunt nepotes sui, et pacta inter ipsos confirmavit, et si minus juste ipse ratione quacumque comitatum possideret, confirmavit et de novo donavit.

In eodem etiam loco dedit domino Roberto Flandrie Cassale in Lumbardia in feodum et usque ad valorem quatuor milium florenorum in redditibus magis prope locum illum.

In eodem loco pluribus Tuscis nobilibus plura dedit castra in feodum, sic tamen quod esset ad beneplacitum suum et imperii. Et hoc fecit de omni feodo quod dedit alicui Ytalico, ubicumque fuerit, timens semper de eorum mutatione quantum ad fidelitatem propter ea que videbat in multis aliis comiti[1221]bus et nobilibus, qui totum quod habebant ab imperio tenebant, et fidelitatem domino Pandulpho et michi fecerant nomine domini, et tamen tunc, sicut nunc, erant cum Florentinis. Unde quia opportebat ipsos privare

a) occupatum *(sic)*, *ms.* — *b)* in Florentiam, *omis par Bal.* — *c)* destruerant, *ms.* — *d)* mandaciis, *ms.*

1. Schwalm, n. 914.

via juris, dicebat imperator quod in donis que Ytalicis daret nolebat quod processus juris essent neccessarii, ut magis ipsi ad infidelitatem inclinati timerent eorum bona perdere.

In eodem venit unus nobilis de Senis tunc potestas Pystoriensis, et vocatur Binduchius de Salenbenis, vir eloquens, sicut recordor me vidisse secularem. Iste erat vir dives, dicens quod habebat auctoritatem ex parte totius lige Tuscie tractandi de pace, et si alie civitates nollent pacta convenientia, ipse tamen volebat pro sua. Non credo quod ipse tunc aliquid sciverit de alio tractatu, ut in verbis suis videbatur, quia plura petebat sic diversa ab aliis petitionibus concordatis quod nobis constabat quod dominus ad talia nullo modo inclinaretur.

De illo loco recessit dominus Robertus Flandrie, et dominus de Blanquenchain. Et licet haberent causas sufficientissimas, ut domino pretendebant, tamen cum beneplacito domini et licentia non recesserunt. Dicebat autem quod cum esset in medio inimicorum suorum et in campis, ille non erat consanguineus suus bonus qui ipsum in medio inimicorum suorum dimittebat et in periculo tanto, et plura alia ostensiva quod male faciebant quod ipsum sic dimittebant.

Ad alium locum venerunt Pisani in magno numero peditum et equitum, et de eodem loco recesserunt diu ante nos.

Postquam non inveniebantur plura victualia circa Sanctum Cassianum, dominus imperator recessit versus Podiobovis inter Senas directe et Florentiam et Sanctum Miniatum, et ibi montem quem vocavit imperialem precepit hedificari *(a)* et per incolas habitari *(b)*. Qui libenter hoc fecerunt, cum alias ibi securi existentes, multis annis per regem Ka[1222]rolum castrum eorum fuisset destructum et per Florentinos condempnatum quod amplius non habitaretur.

In eodem loco in castro imperiali dominus dedit domino Henrico Flandrie, suo marascalco, civitatem Laudensem cum comitatu, et si non valeret decem milia florenorum in redditibus, volebat quod in locis propinquioribus eidem assignarentur usque ad decem milia florenorum, et fecit eum comitem Laudensem.

Ibidem comiti de Foresio dedit castrum de Suncçino in Lumbardia et quatuor milia florenorum magis prope castrum assignandorum, si predictum castrum non valeret.

Ibidem omnibus militibus citramontanis non Theotonicis inter duo milia florenorum et trecentos. Ista fuerunt extrema, quia nullus

a) hedificare, *ms.* — *b)* habitare, *ms.*

habuit plus quam duo milia, et nullus minus quam trecentos. Dedit hujusmodi feodum secundum conditiones eorum.

De hujusmodi feodi[s] predicti[s] et comites et alii tenebantur facere servitia imperio secundum modum et formam quam faciunt illi qui habent feoda talia in regno, licet eis modus et forma gravis et dura videatur aliquibus, et pluribus assignavit eis in illis partibus castra et circa castra magis prope summam datam. Et quia non tot erant castra in sua obedientia sicut milites, eis assignavit de sua camera recipere annuatim, donec in Ytalia in aliquibus locis certis eis predicta assignasset [1].

Omnibus Theotonicis militibus, paucis exceptis, in Alemannia in suis partibus alias terras in feoda assignavit secundum conditiones *(a)* et merita personarum.

Hiis diebus Senenses Augustinianos primo, postea Predicatores, postea fratres ordinis Camaldulensis *(b)* miserunt ad inveniendum aliquam viam pacis; et secundum ea que petebant nichil est consummatum. Tamen illi qui tunc regebant supplicaverunt imperatori quod me [1223] vellet mittere ad eos ad tractandum aliquam bonam viam. Et quia nolebant quod aperte ego irem, sed occulte, domino non placuit, cum non esset honor suus, ut dicebat. Litteras plures habuerat de Senis quod ad tractandum occulte nullum mitteret, si vellet pro se habere bona pacta, sed aperte quemcumque vellet mitteret, cum populus tunc pacem desideraret; si pax non fieret, ex quo gratiam dominus imperator eis volebat facere, et hoc publice populo diceretur, quod omnes pacem impedientes essent ad clamorem populi in periculo. Regentes noluerunt quod aperte ego irem, timentes predicta, et imperator noluit quod ego irem occulte.

Hiis diebus prope Montem imperialem ad unum miliare, ad duo, vel ad tria in tribus castris major pars stipendiariorum Tuscie erat. Et propter custodiam castrorum et propter *(c)* offensionem gentis imperatoris et semel aliquos de gente imperatoris *(d)*, que victualia de Cassulis venientia *(e)* conducebat, illi qui erant in castro Collis prope Sanctum Geminianum in uno campo molli aliquos interfece-

a) condictiones, *ms.* — *b)* Camodulensis, *ms.* — *c)* custodiam castrorum et propter, *omis par Bal.* — *d)* et semel... imperatoris, *omis par Bal.* — *e)* venientem *(sic)*, *ms.*

1. Voir les libéralités de l'empereur à Manfred « de Claromonte ». Schwalm, n. 825 et 826 (5 juillet 1312).

runt, et aliquos acceperunt; inter quos fuit unus imperatoris consanguineus, dominus Aymo de Albomonte, captus. Hac vice excepta, nec vidi nec audivi quin ubique perderent imperatoris rebelles. Ipsum suum consanguineum cum omnibus captis pro tribus milibus florenorum redemit imperator. Mortui fuerunt inter omnes circa XX *(a)*, nullus tamen miles[1].

Et quia quadragesima erat, et pisces non inveniebantur, et jam propter moram longam victualia male, quia illi de illis tribus castris, qui forte erant plures quam nos, destruebant illos qui imperatori obediebant, et nos alios, licet cum difficultate posset imperator induci ad recedendum, tamen illud pro suis gentibus coegit eum quod cogit lupum aliquando de silva recedere. Jam enim sui iverant bis ante Senas, et totum erat apportatum quidquid erat inventum pro victualibus.

[1224] Dimisso Monte imperali [8 martii 1313] firmato lignis, et portis factis, et plus quam mille hominibus habitantibus, pedites et equites tot dimisit quot ad custodiam patrie necessarii *(b)* videbantur. Et licet de illo loco esset via eundi in Pisas sine periculo, tamen, quia longior erat quam recta, in qua erat maximum periculum, paucis videlicet nullis consentientibus per medium inimicorum per totum diem equitavit, hoc est, inter Sanctum Geminianum, Castrum Florentinum, et Sanctum Miniatum, et quidquid combustibile invenit combussit *(c)*, et in via unum castrum fortissimum accepit de districtu Sancti Miniatis. In continenti post illud castrum intravit comitatum Pisanum. Tunc omnes fuerunt securi.

In omnibus locis predictis, non solum laycis, sed clericis et religiosis, maxima dampna facta sunt de eorum bonis temporalibus contra Deum et justitiam. Et hoc generaliter fiebat per ribaldos, licet dominus imperator per me et alios religiosos, qui talia videbamus, frequenter fuisset provocatus contra marascalcum suum quod de hujusmodi malefactoribus non faceret justitiam competentem. Unde frequenter fuit sibi dictum per me et quosdam alios quod de officio divino, de quo erat solicitus super omnes quos in vita mea vidi, dominus parum curaret, quando permittebat ecclesias spoliari. Tunc plorans amare mandabat pro marascalco, et fiebant proclamationes et tallia et mutillationes multorum. Et tamen non obstan-

a) triginta, *Bal.* — *b)* necessaria *(sic)*, *ms.* — *c)* combuxit, *ms.*

1. Cf. G. da Cermenate, p. 116-119.

tibus istis aliquem locum ecclesiasticum non vidi alicubi in Tuscia in terris rebellium custoditum a predictis, ut deceret. Ipse affligebatur, et clamabat contra suos officiales. Sed nichil erat. Tunc erant miseri Guibelini pauperes facti de novo per Guelphos, et plures Guelphi igniti et destructi per gentem suam. Hiis diebus omnes exersitum sequentes, nescientes quo ire, et de vita dubitantes. Tunc etiam erant pauperes multi ribaldi citramontani et pessimi, qui nulli ecclesie [1225] deferebant, si poterant spoliari. Et istud aliquando movebat eos, quia dum aliquando inter se et alios rebelles esset pugna, plures interficiebant sacerdotes et clericos. Et hoc probabatur quando denudabantur. Et plures capiebant vulneratos adducentes. Inter quos recordor quod ego de uno sciens quod erat captus in quodam insultu unius castri, potenter dictum castrum deffendens, unde erat plebanus, statim dominus mandavit quod mitteretur ad suum episcopum; et in mane, quia letaliter erat vulneratus, fuit mortuus.

In partibus illis meo judicio seculares sunt mali, et clerici non sunt boni.

In Pisis *(a)* dominus imperator venit circa medium quadragesime [10 martii 1313]. Et inter omnia que facta sunt ibi relatione digna, quantum recordor ad presens, ista fuerunt.

Pluribus diebus de portu Pisano usque in Januam nullus audebat ire, quia galee regis Roberti, que jam aliquas terras in Corsica *(b)* et in Sardinia Pisanorum destruxerant, mare taliter tenebant clausum quod nullus sine periculo poterat ire, et plures de gente imperatoris fuerunt per predictas galeas, et mortui et capti, postea redempti. Et ista, prout credo, fuit prima causa et primum motivum quare Venetos et Januenses dominus imperator requisivit ut de aliquo certo numero galearum infra tale tempus usque ad tale, hoc est, per spatium trium mensium, sibi vellent servire. Januenses viginti promiserunt. Veneti promiserunt libenter sibi servire, sed nesciebant quot possent ad dictum tempus, quo indigebat, propter armatam quam ipsi contra quosdam sibi rebelles faciebant hiis diebus, sed si pacem vel treugam vel victoriam haberert, totam suam armatam ad servitium imperatoris offerebant.

Item judicem Alboree ad preces aliquorum Pisanorum ipsum legitimavit quoad successionem. Qui legitimatus dedit sibi quindecim milia florenorum. Quibusdam videbatur quod [non] pote[1226]rat, quia de terris *(c)* Ecclesie erat. Finaliter tamen sui clerici dicebant

a) Piscis, *ms.* — *b)* Corcica, *ms.* — *c)* territorio, *Bal.*

quod poterat. Item in illa legitimatione remisit sibi offensam omnem, si aliquam contra eum commiserat, quia, ut dicitur, fratrem suum occiderat ut terram haberet. Sed quia justitia de fratricidio *(a)* ad eum non pertinebat, cum esset homo ligius Ecclesie, poterant, ut dicebant illi, sibi remittere offensam contra eum commissam, non contra personam offensam, vel contra Ecclesiam.

Nunquam *(b)* Pisanis confirmare voluit sua privilegia ab aliis suis predecessoribus data vel confirmata, nec aliquam gratiam vel privilegium unquam eis dare voluit. Et de hoc multi contra eum mirabantur, cum ipse *(c)* ultra sexa[gi]nta milia florenorum, postquam primo factus fuit rex Romanorum, ab eis habuerit, vel pro ipso expenderint. Causa quare confirmare nunquam eorum privilegia voluit fuit, quia ego et quidam *(d)* alii, qui eorum privilegia videramus, sibi retulimus quod in dictis privilegiis plura continebantur que erant Ecclesie, sicut Sardinia tota, et una pars de Neapoli, et quedam alia de quibus non recordor ad presens.

Item in Pisis unum carceratum Guelphum nomine, de illis Guelphis comitibus natum *(e)*, qui castra eorum proditiose Lucanis dederunt, licet propter delicta parentum a cunabulis captus fuisset, per me mandavit ipsum liberari. Quod supra quam dici possit omnibus Guebe[li]nis et specialiter Pisanis displicuit. Nec propter hoc dimittere voluit quin innocentem *(f)* liberaret.

Item in Pisis privilegia Januensium confirmavit, que in Janua confirmare noluit, salvo tamen jure imperii et omnium aliorum. Januenses non fuerunt contenti *(g)* de hujusmodi confirmatione. Aliam tamen confirmationem non habuerunt per eum.

In Pisis domino imperatore existente, iterum Senenses miserunt ad imperatorem quod me in quoddam castrum [1227] quod vocatur Cassula mitteret, et illi qui regebant civitatem Senensem illuc venirent assecurati per illos de castro primo, quia per gentem imperatoris tenebatur. Dominus imperator satis voluisset quod ego ivissem. Sed sine periculo non poteram propter civitatem Vulterranam, que erat in medio. Unde non ausus fui me in periculo ponere.

In Pisis, ut predixi, regem Robertum[1] et multos alios Astenses,

a) fratrisidio, *ms.* — *b)* nonquam, *ms.* — *c)* ipsi *(sic)*, *ms.* — *d)* quidem, *ms.* — *e)* natus *(sic)*, *ms.* — *f)* ignoscentem, *ms.* — *g)* contempti, *ms.*

1. Le 26 avril 1313. Schwalm, n. 946.

Papienses, et multas alias civitates[1] Ytalie propter crimen lese majestatis condempnavit.

In Pisis Lucani miserunt pro archiepiscopo Pisano et pro me ad tractandum de pace. De licentia imperatoris ivimus prope civitatem Lucanam. Et ibi qui terram regebant ad nos venerunt, et multum nos honoraverunt, et in fine post multos tractatus consuluerunt pro meliori in dicto negotio, cum populus Lucanus esset superbus et fatuus, quod gens imperatoris super eos aliqua dampna faceret. Tunc equitavit gens imperatoris, et Petram Sanctam et Sarsanam et illas partes accepit.

Cum quanta reverentia in Pisis nuntios vestros, qui processus[2] coram eo publicaverunt, [recepit], et quomodo voluit quod ipsos honorarem, et in civitate et per mare securos conducerem, quid responderit eis, et protestationem quam ibi fecit[3], non solum c[h]ristiani regis, sed christianissimi imperatoris, quia hic presentem habeo, personam vestram et Ecclesiam romanam quanta reverentia et dilectione habebat ostendentem, et multa circa ista non scribo, credens probabiliter quod fratres vestri nuntii[4] ordinate et diffuse sanctitati vestre retulerunt. Voluit etiam quod vicarius Pisanus pub[l]icationem devote audiret. Qui tamen, quando ad ipsum ivi ex parte sua, michi sic respondit, quod in Sicilia *(a)* duo alii fratres Predicatores, quorum unus erat sacerdos, alius dyaconus, portaverunt alias ex parte domini pape litteras, quorum unus fuit suspensus, et [1228] alius decapitatus, qui non ita bene meruerunt sicut isti. Tamen non obstantibus multis aliis ab eo tunc dictis ipsos audivit devotius quam credebam.

Pater sancte! Unum nolo omittere quod audivi ab imperatore quando ab eo recessi. Petivi secrete quod placeret michi dicere quid

a) Scicilia, *ms.*

---

1. Padoue fut mis au ban de l'empire le 16 mai 1313. Schwalm, n. 982.

2. Ce sont les bulles de Clément V interdisant toute attaque contre le royaume de Naples (12 juin 1313). Schwalm, n. 1003.

3. Le 4 juillet 1313. Schwalm, n. 1004.

4. C'étaient les deux frères prêcheurs Armand « de Bellovisu » et Jean « Peregrini ». Schwalm, n. 1005. — De plus, Henri VII envoya en Avignon une ambassade dont fit partie Nicolas, évêque de Bitonto. G. da Cermenate, p. 125. Le 17 juillet 1313, il délivrait des lettres de sauf-conduit à Nicolas et à Henri, évêque de Trente (Schwalm, n. 1037); vers la fin du mois, il leur donnait des instructions (Schwalm, n. 1006).

intendebat facere de toi galeis in mari existentibus, ex quo tales processus audiverat fieri contra regnum Apulie invadentes. Induxi tunc eum, quantum potui, quod caveret summe de occasione quacumque per quam Ecclesia romana haberet causam ipsum offendendi directe vel indirecte. Et ad istam materiam multa sibi dixi. Tunc ridendo et quasi me confortans, qui multum hoc timui, respondit : *Sitis consolatus. Nos audivimus consilium nostrorum clericorum juratorum utrum defendendo nos Deum offendamus et utrum teneamur facere justitiam et delinquentes punire, ex quo Deum non offendimus predicta faciendo, sed magis offenderemus ipsum contrarium facientes. Pro certo nondum (a) deliberavimus utrum debeamus intrare regnum vel non, nec bene deliberare possumus donec alios rumores habuerimus de rege F[r]ederico.* Tunc ego subjunxi : *Et si ipse consulat, et vos intretis, papa excommunicatum vos denuntiabit et postea procedet ad vestram depositionem, sicut factum fuit de F[r]ederico, qui fuit ditior, nobilior, et potentior, et minores rebelles habuit et plures amicos, tamen finaliter Ecclesia ipsum destruxit.* Tunc dicebat : *Si Deus pro nobis, nec dominus papa nec Ecclesia destruet nos, ex quo Deum non offendimus. Bene faciemus pacem nostram cum domino papa, quia bene scimus suam intentionem diu est, et bene nobis per nostrum camerarium Terricum de Villeson mandavit illud quod de nobis in corde habuit. Unde non timeatis, quia nos non timemus.* Petivi pro gratia speciali ut michi illud diceret, et hoc propter meam maximam consolationem. Ista fuit intentio verborum suo[1229]rum :

Pater sancte! Licet de verbo ad verbum non sint eadem verba, tamen certus sum quod est eadem *(b)* sententia, quod sanctitas vestra a principio eum ita cito approbavit, licet multis displiceret et magnis, ita curialiter de legato sibi providit ut in Lumbardia possent omnes videre affectum vestrum sincerum, quem ad suum magnificum statum habebatis, ut citius obedirent. Postea commissionem quam petivit de sui coronatione in continenti habuit. Hec omnia fecistis ut in statu debito positus, superbia aliquorum per eum refrenaretur, quos jam nullus audet tangere propter ea que facta sunt per eos, et adhuc possent similia et majora fieri, nisi essent humiliati. Modo quia fortuna non arrisit sibi in Ytalia, et omni die timebatur de statu suo, et quia pauper, et quia infinitos habens rebelles, opportuit de necessitate quod vestram gratiam ab eo retraheretis, timentes probabiliter quod si cum vestra gratia in displicentiam

a) nundum, *ms.* — *b)* eadam, *ms.*

alio[1230]rum deficeret simpliciter, vel statum perderet aliqualiter, quin vobis et Ecclesie ex hoc maxima dampna et incommoda evenirent. Unde dicebat quod certus erat quod si regem Robertum juste et rationabiliter bonis temporalibus privatum propter commissionem criminis lese majestatis decapitaret tanquam dignum, quod sanctitati vestre displicere non deberet, sed placere, et omnia que sunt Ecclesie romane, videlicet regnum et quedam alia, ad manus vestras libere recipere et uni de vestro sanguine vel alteri nobili digno conferre de quo vobis videretur.

Pater sancte! Testimonio conscientie mee alia ad presens nescio relatione digna, nisi quod per salutem anime mee vobis dico quod non credo quod aliquis vivat hodie inter principes seculares, qui plus Deum diligat et Ecclesiam romanam et omnem probum virum quam ipse faciebat.

Paris. — Imp. Letouzey, 17, rue du Terrage.

sium v. 3
11699

PONTIFICAL INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK CRESCENT
TORONTO—5, CANADA

11699